
IOACHIMI PERIONII CORMOERIACENI IN OMNES T. LIUIJ CONCIONES, UT BREUIUSCULAE, ...

Titus Livius, Joachim Périon


A
16




Ioachimi Perio

NII CORMOERIACE-
ni in omnes T. Liuij Conciones, ut
breuiusculæ, ita cùm primis
eruditæ Annotationes.

Vnà cum ipsis T. Liuij Concionibus per genera causarum distinctis, ut uix quicquam Rethorices ac Latinitatis studiosis proponi accommodatius poßit.

Accessit quoq; rerum ac uerborum locuples Index.





BASILEAE.
1545.

[redacted]



REVERENDO IN CHRISTO PATRI, D. DIONYSIO Briconneto episcopo Maclouiensi, abbatiq; Diui Pauli apud Cormœriacum Ioachimus Perionius S. P. D.



EMORIA *teneo, prudentißime præsul, iam tum quum pueri primis adhuc literis Cormœriaci in tuo illo cœnobio institueremur, sæpe hoc te cohortandi nostri causa dicere solitum, T. Liuium unum ex omnibus qui Latinè historias scripsißent, non tam uerborum copia, quàm sententiarum grauitate atque dignitate plurimum præstare, in primisq; laudabas diuini illius uiri penè diuinam in concionando facultatem. Quorum alterum animaduerti Nicolaum Glotholætum, quem tum audiebamus, facilè tibi concedere, alterum, quorundam sententia, quos ille perpetuam istam consuetudinem tam sæpe concionandi huius damnare dicebat, quodammodo negare. Ac mihi quidem eius totius disputationis summa sic iam tum (facile tibi assentiebamur) non insedit modo, sed etiam placuit, ut quum paucis pòst annis ad lectionem Liuij me cõtulissem, quod de ipso prudentia tua senserat, id, quantum*

ea ætate iudicare poteram, ita habere planè perspicerem. Itaq; quanquam alioqui legendo ampla, ut ita dicam, operæ precia mereri me posse uiderem, scribendo tamen plus me consecuturum ratus, conciones ipsas, adductus uidelicet argumentorum quibus scriptæ sunt uarietate, atq; adeò ipso genere elocutionis, quanta diligentia mea illa ætas ferebat, uelut in breue coëgi, ut inde rationem quãdam scribendi dicendiq; mihi compararem: Qua in re me in primis adiuuit diligentia tua. Fortè uelut intra uiscera eius ipsius codicis Liuiani, quem mihi ex bibliotheca tua locupletißima Iacobus Symoneta singulari homo prudentia exhibuerat, index quidam omnium concionum, quæ tum extabant, manu tua scriptus latebat. Huius ergo, atque adeò codicis, (qui quantum temporis, quanto studio lectioni tribuisses, facile indicabat) fidem secutus, id intra paucos menses sum consecutus, quod alioqui multorũ annorum opus fuisset. Hoc deinde modico interuallo consecutum est id tempus, quo singulari tua in me humanitate atq; pietate autore, in hãc omnium principem Academiam ad recipiendas atq; penitus cognoscendas liberales artes ueni, ubi quàm primũ licuit, rogo primùm, num adhuc seorsum illæ ipsæ conciones excusæ essent? deinde, num quis hoc negotium suscipere uelle, aut iam suscepisse diceretur?

Alte

*Alterum mihi planè negabatur, alterum nemo af-
firmabat. Itaq; expectandum censeo, num u-
nus aliquis ex nostris hominibus, aut etiam aliarum
gentium existeret, qui pro suo erga Liuium studio
sosq́; omnes studio atq; diligentia, opus ipsum emit
teret. Interim quantum propè mihi studia uel Phi
losophica uel Theologica tribuebant otij, ad reco-
gnoscendum potißimum collatis uarijs exemplari
bus conferebam. Iam uerò et multum temporis pro
ceßerat, & ne tum quidem usquam opus appare-
bat: quum non solum ad edendum, uerum etiam ad
maturandum quod Liuio gloriosum, iuuenibus uti
le, nulli non gratum futurum esset, stimulor quidē,
cæterum metu ab eodem parte altera deterreor. Ac
quanquam facilè, ut ferè fit, spes metum uincebat,
tamen ante omnia mihi diligēter uidendum esse pu
tabam, ne plus apud me alienæ gloriæ atq; utilitati
liceret, quàm meæ ipsius famæ. Quo factum est, ut
conciones ipsas iam tanquam certa uictoria exultā
tes, intra fines modestiæ diu multumq́; continue-
rim, continuissemq́; diutius, nisi connixæ argumen
tis atq; annotationibus, uelut uiribus auctis atque
coniunctis, id quoq; in me scelus ausuræ fuissent,
quod fœtus in uiperam matrem audere scribit Pli-
nius. Ita aut temeritatem uitaui, aut non nisi inui-
tus memet in discrimē obtuli. Certe consilium erat,*

 copias

copias nec cornu præmunitas, nec subsidio firmatas ob id ipsum in aciem educere, eduxissemq́;, nisi alterum etiam doctis propè necessarium, alterum studiosis iuuenibus utile putassem. Nam quis tandem nesciat plurimum ad cognitionem concionum pertinere, scientia iam antè comprehendisse atque perspexisse quo quæq; loco, tẽpore, modo, qua quæq; occasione habita sit? At detractis argumentis uel hæc scientia simul tollenda est, uel certe nunquam abijciendum è manibus totum Liuij corpus. De annotationibus uerò, ipsas in eorum duntaxat gratiam scripsimus, qui studio rhetorico destinati, penitusq; dediti essent, in quo plurimum habet momenti diligenter percepisse atq; penitus cognosse non partes modo, sed etiam uirtutes orationis, uim & naturam uerborum. Quod si non in totum præstitimus, at certe in eo elaborauimus. Faxint superi ut tam sit felix conatus, quàm pius. Satis equidem habeo non omnem lusisse operam. Vtcunq; hæc alea casura est, hunc laborem, quantulus est, iampridem uotum, nunc tuæ amplitudini, dignissime præsul, tanquam pignus quoddam meæ in te fidei, ac deditionis qualecunq; testimonium dedico. Vt ad magna non sufficimus, ita quod possumus, id demum præstamus atq; offerimus. Etiam accepimus antiquos illos Romanos, quum in discrimine res esset,

quod

quod Dijs gratum esse uidissent, uelutifanum, supliciter solitos uouere, id uerò post uictoriam exiliter ac tenuiter, non magnificè præbuisse, tamen nũquam auditum est fulmina de cœlo ob eam causam iacta esse. Tuæ dignitati ædem ob uictoriã quandã uoui, hanc quanta potui diligentia & magnificentia extructam, in tutela tua esse, sub umbra auxilij tui latêre sinas. Ita ne tenuia quidem & exilia fastidiendo, ad maiora audenda me nõ hortaberis modo, uerum etiam impelles, aut etiam trahes. Vale præsul ornatissime. Parisijs è gymnasio Montis acuti, pridie Cal. Februarias, Anno M.D.XXXII. ad calculum Romanum.

IOACHIMVS PERIONIVS
Cormœriacenus Lectori S. P. D.



N tibi, Lector, T. Liuij scriptoris clarissimi conciones, quas ex domo locupletissima illa quidẽ & ornatissima, sed tamen non perinde nuda & aperta, ceu rarũ thesaurũ nõ protulimus modo, uerum etiam in enchiridium quoddam coẽgimus. Quod ipsum cur ante nos adhuc nemo quod sciã, tẽtarit, seu metu seu pudore prohibitus, seu magnitudine atq; difficultate operis deterritus, seu (quod proximũ uero) negligentia impeditus, quod minimam inde gratiam uel

ingenij uel artis se initurũ speraret, ut diuina-re equidem non possum, ita mirari non desino. Nos certe & si ab alijs hoc ipsum maiore studio atq; diligentia iudicabamus præstari posse, tamen ueriti ne semper expectando, nunquam opus procederet, ac sic demum tanto præsertim fructu studia iuuenum in æternum carerent, tandem studio & mente in commune consulendi exhibuimus. Quæ ut pia sunt, ita non omnino uana duplici de causa spero fore. Primũ, quòd labori studiosorum ad fastidium multo pepercisse, deinde quòd utilitati publicæ prospexisse uideor. Quot, quæso, horæ transmittebantur euoluendis translegendisq; chartis, ut optatã notatamq; animo concionem assequeremur? Quàm rursus graue ac molestum erat, tantum uolumen tota urbe, totis diebus circunferre ob conciunculæ unius enarrationem? Nunc ea forma excusę sunt, ut quiuis etiam inambulando, uel ad ueterem aliquarum memoriam repetendam, uel ad nouam commentationem gestare & cupiat & possit. eædem rursus eo digestæ ordine, ut quæcunq; arriserit, quàm primum uel ultro sese nobis offerat, atq; ostendat. Nam triplici indice uelut quibusdam signis uiam in urbem ferentem præparaui, in quam ne fortè temerè irrumperes, ex eademq; egredereris, circa argumẽta atq; annotationes uelut mœnia quę

dam

dam duxi: quæ diruas, propè dixerim, oportet, si urbe pulcherrima potiri uelis. Nec uerò propositi nostri fuit, uniuersa ornamenta & lumina concionum proferre, aut explicare, quòd repetēdi genera, item asyndeton, polysyndeton, & item mille alia generis eiusdem aperta sunt, non recondita, & in recessum aliquem abstrusa, ut expromi debeant. Iam ipsæ quàm uberes fructus polliceantur, uel ex hoc facilè intelligi potest, quod non priuata quidem aliqua ex ijs unius alicuius generis, sed communis quędam omnium generum scribendi dicendiq; facultas paretur atq; conformetur. Neq; enim aut iudicium solum, aut deliberatio, aut demonstratio continetur, sed perpetuus quidam omnium cō centus, ut quædam sensuum nostrorum ratio in totum corpus, ita in summā consentit. Nec hæc rursus simpliciter tractantur, sed in suas quicq; partes diuisum atq; seiunctum, ut quicū que huc penetret, quemadmodum si in hortū aliquem omni florum genere ornatissimum atque amœnissimum secedat, nesciat quem potissimum eligat ex omnibus: ita hic quod genus sequi malit. Adhortationem aliquis præstare putet, quòd frequentior. Quid? monitionem illam Q. Fabij Cunctatoris ad Paulum Aemiliū consulem, suasionem pacis per Annibalem apud Scipionem nemo opponat? Alius dissuasi

onẽ anteponat, pietate in patriam adductus Furij Camilli, qui, ne sedes imperij Veios trãsferretur, dissuadendo obtinuit. At Martij Septimij ad milites exhortatio de gloria cõtendat. Cãpanorũ in senatu petitio nõ cedat. Cato sibi quenquã præferri nõ patiatur. Ad hæc accusatio, defensio, obiurgatio, expostulatio, & querelæ sequũtur. Tũ purgatio, recõciliatio, gratiarũ actio incedũt. Postremũ agmẽ claudũt leuis armaturæ milites, quanquã sicut à nobis paulo antè dictũ est, eo delectu atq; discrimine omnia scripta sunt, ut quid cui præstet, nõ facilè discernas. Et hæc ipsa quæ tractamus, reliquiæ tantum sun quædã eorũ quæ ille diuinus scriptor ab origine Vrbis in suã usq; ætatem diuinitus perduxit. Cætera iniquitate atq; iniuria temporũ interciderũt, quãto, Diui boni, rei literariæ dãno? Quæ spes esset fore ut aliquãdo à silẽtio uindicarentur, si docti homines uelut signo dato in hanc causam incũberent. Priore demũ anno quinq; libri, mutilati quidem illi, in Germania reperti sunt, ex quibus cõciones suo quãq; ordine disposuimus. Certũ habeo, si res (uetus utinã uates sim) nobis esset cũ bibliothecis monachorũ, integritati suæ T. Liuiũ aliosq; ad quos eadem pertinet iniuria, restitui aliquãdo posse. Quod si iam contigisset, aut nõ esset nostris annotationibus locus, aut in plura uolumina cõciones secari cõueniret, aut certe maiuscula forma imprimi

mi. Quantum enim numerum, quot chartas implerent ex CCXL libris collectæ, quæ uix ex XXXV iam propè CC sunt numero: quibus iam penè in immensum opus ipsum creuisse uideri potest: Atq; utinam iam uidẽdum esset, quidnam sequi placeret. Non obstarent publicæ libertati Perionij ineptiæ. Tu tamen, lector optime, quicquid hoc est laboris, ita demum uelim boni consulas, si hac parte tuæ consultũ est utilitati. Vale. Parisijs ex gymnasio Mõtis acuti pridie Cal. Februarias Anno. M.D. XXXII.

LECTORI.

Hoc te scire uelim, lector, non sine ratione omnes omnium etiã generũ orationes Liuij, concionũ appellatione nobis significari placuisse: etiam si propriè concio esse intelligatur sola ea oratio quæ ad populum lègitimè conuocatũ per magistratum habetur. Primum, quod nullius non in ore conciones T. Liuij habẽtur. deinde, quod ita cõparatũ est, ut gratiores sint libri, quibus titulus nudus ac breuis prælatus sit, quàm qui ampullas quasdã uerborũ præ se ferãt. Tũ etiã magis, quod ita facilius et sciẽtia singula cõprehenderetur, & memoria continerẽtur repeterẽturq;, si ad unũ omniũ cõmune genus referrẽtur. Hoc eo te monere uolui, ne forte mirareris, iudiciũ, deliberationẽ, et demõstrationẽ concioni à nobis hac tabula subijci. Vale.

TABVLA COMPLECTENS CONcionum, uelut generis diuisionem in species, quarum suæ cuiq; , sed insigniores partes subijciuntur.

CONcio.
- Deliberatio
  - *Suasio, dissuasio.*
  - *Adhortatio, dehortatio.*
  - *Monitio.*
  - *Petitio, cũ responsione.*
  - *Gratiarum actio.*
  - *Commendatio.*
  - *Reconciliatio.*
- Demõstratio
  - *Est coniũcta cũ cæteris, ut describitur Carthago noua, concio* CXXVI.
  - *Personæ.* Rei.
- *Iudicium*
  - *Accusatio, Defensio: siue Criminatio, Defensio.*
  - *Exprobratio. Inuectiua.*
  - *Expostulatio. Purgatio.*
  - *Querela.*
  - *Obiurgatio. Deprecatio*

Vt

nouæ

Grati

Iudicij

CAVSARVM DISTINCTIO IVDICII PARTES.

Index

INDEX OMNIVM CONCIONUM *eo ordine digeſtus, quo illæ ſcriptæ ſunt, in quo prior numerus concionem ſignificat, poſterior pagellam.*

Verba

Ex

Ex VII ab Vrbe condita.

Ex VIII ab Vrbe condita.

Ex XXII ab Vrbe condita.

Ex XXIII ab Vrbe condita.

Adhorta

Ex

Ex XXXI ab Vrbe condita.

Ex XXXII ab Vrbe condita.

Ex XXXV ab Vrbe condita.

Purgatio

Expostu

Defensio

T. LIVII PATAVINI CONCIONES, PER IOACHIMUM PERIONIUM COLlectæ, adiectisq; Argumentis atq; Annotationibus illustratæ.

EX LIB. I. AB VRBE condita.

Argumentum in Concionem I.



Omulus nouæ Vrbi nihil ad nobilitatem deesse uidens, nisi multitudinem, qua frequentaretur: non posse autem frequentari ratus, nisi Romanis cum finitimorum populorũ uirginibus connubia essent: ex consilio Patrum per legatos societatem nouo populo petit. Vbi uerò legatione nihil profici intellexit, quinimò Romanos contemni: ludos facit Neptuno Equestri, quos finitimis ex industria indici iubet. Conueniunt ad spectaculum Ceninenses, Crustumini, Antennates, & Sabini omnes, cum liberis & coniugibus. Ac quum omniũ oculi ad spectaculum intenti essent,

tũ repente uelut ex composito iuuentus Romana ad capiendas uirgines discurrit. Quibus dignitas formæ, àc elegantia inerat, eas homines ex plebe, quibus datum negotium, domos primorum patrũ deferebant. Mœsti parentes raptarum profugiunt, incusantes uiolati hospitij fœdus. Nec ita multo pòst Sabini, Ceninenses, Crustumini, atq; Antennates partim lachrymis querelisq́; parentum uirginum captarum, partim nomine iniuriarum concitati, coniunctis castris, opibus, exercitu, Romanis bellum inferre deliberant. At quum cæteris tribus lentius agere Sabini uiderentur, parant simul quæ ad bellum sunt opus. Ceninensesq́; primi omnium per se, iam iram reprimere nescientes, quum in agrum Romanum incursiones facerent, à Romulo fusi sunt, fugatiq́;. Fugatos persecutus, regem in bello interficit, atq; spoliat. Inde uictor Romam regressus, spolia cæsi ducis hostium in Capitolio Ioui dedicat, templumq́;, quod primũ omniũ Romæ sacratum fuit: in hanc sententiam locutus.

Verba Romuli ad Iouem Feretrium, in *oblatione spoliorum, & dedicatione templi.* Concio I.

IVpiter Feretri, hæc tibi uictor Romulus rex regia arma fero: templumq́; his regionibus, quas modo animo metatus sum, de

dico,

dico, sedem opimis spolijs, quæ regibus, ducibusq; hostium cæsis, me autorem sequentes posteri ferent.

Iupiter Feretri.) Iupiter Feretrius, *à ferendo dictus est, quòd ei à* Romulo *primum, deinde à posteris, spolia ducum hostiũ ferrentur: uel, ut sentit* Festus Pompeius, *quòd pacem ferre putaretur, ex cuius templo sumebant sceptrum per quod iurarent, & lapidem silicem quo fœdus ferirent.* Metatus sum, Metor *uerbum proprie significat.) longum, latumúe, aut altitudinem rerum ad pedum dimensionem designare.* Inde *metatores appellati, qui rerum dimensiones pedibus inuestigant, & designant: qui & mensores dicuntur.* Quanquam *non me fallit, mensores à* Vegetio *dici, qui ad podismum, hoc est ad dimensionem pedibus factam loca dimetiuntur, quibus tentoria milites signant: siue, qui hospitia in ciuitatibus præstant.* Hoc loco *refertur ad dimensionem eam rerum, quæ animo ac ratione ipsa inuestigatur.*

Argumentum *in secundam.*

Consimili *ratione adducti* Sabini, *omnium nouißimi contra* Romanos *pugnarunt.* Ii *dolo quodam usi, opera uirginis cuiusdam auro à* Tatio *rege corruptæ, in arcem* Romanam *etiam armati accipiuntur.* Indignatione, *atq; ira, cupiditateq; recu*

 perandæ

perandæ arcis stimulati Romani*, postera die iniquo loco aduersus hostes ita infeliciter pugnant, ut* Hostius Hostilius *eorum dux tandem occubuerit. Ita cæso duce acies* Romana *facile fusa est ad portam ueterem palatij: quò actus & ipse* Romulus *turba fugientium, arma ad cœlum tollens, ita* Iouē *precabatur, ut* Romanis *adesset propitius.*

Precatio Romuli *ad* Iouem *Statorem, ut* Romanis *aduersus Sabinos ferat opē. Concio.* II.

IVpiter, tuis auibus iussus, hic in palatio prima Vrbi fundamenta ieci. Arcem iam scelere emptam Sabini habent: inde huc armati, superata ualle media, tendūt. At tu pater deûm hominumq́ꝫ, hinc saltem arce hostes: deme terrorem Romanis, fugamq́ꝫ fœdam siste. Hic ego tibi templum Statori Ioui, quod monumētum sit posteris, tua præsenti ope seruatam Vrbem esse, uoueo.

Iupiter, tuis auibus.) Mire T. Liuius *tam breui oratione totam uim, rationemq́; petendi expreßit. Quod petit* Romulus*, iustum esse ostendit, quum dicit: Arcem iam scelere emptam. Esse in potestate, hoc loco: At tu, pater deûm. Qua ratione id efficiatur, hac parte: Hinc saltem arce hostes. Sequitur remuneratio, si in* Deos *cadat: Hic ego tibi templum. Tuis auibus iussus.)* Nam *quum imperaturum, nomenq́;* Vrbi *daturum eum, ipse, atq; ij qui*

qui illi fauebant, intelligerent, cuius in augurio plures aues apparuiſſent: Remo autem ſex duntaxat, ſibi duodecim obueniſſe uideret: ſe regem declaratum augurio contendens, urbem exædificauit, cui à ſe nomen dedit: quanquam alterius factionis homines regnum temporis ſpacio deſignabant. Arcem iam ſcelere.) Tarpeiam enim uirginem, filiam Tarpeij, qui arci præerat, Tatius rex Sabinorum auro, ut nocte armatos in arcem reciperet, corruperat. Atqui ſcelus eſt, corrumpere, ut habeas quod tuum non eſt. Statori Ioui.) Ioui cognomen inditum Statoris, non quatenus à ſtando deducitur, ſed à ſiſto. Siſtere enim præter alias ſignificationes id quoq; ſignificat, quod cohibere, ſiue præſentare. uulgo dicimus Artare. Hinc Iupiter Stator appellatus à Romulo, quod fugam Romanorum aut cohibiturus uideretur, aut iam cohibuiſſet. Quanquam cognomen inditum antè, ſatis conſtat ex precatione, quàm Romanos à fuga repreſſiſſet. Quod monumentum ſit.) id eſt, quod teſtetur, & demonſtet ijs qui mihi ſuccedent, & poſt me uenient, à te defenſam Romam. Nam monumentum eſt, quo memoria rei alicuius præteritæ ſeſe nobis offert: ueluti cruce Chriſti, eiuſdem paßionis nobis in mentem uenit. Poſteri.) dicuntur, qui proceſſu temporis aliorum ætatem & ſeculum conſequuntur.

tur. Eos uulgo non uno uerbo ſignificamus. eos appellantes, qui poſt nos uenient, ſeu naſcentur. ijdē & nepotes uocantur. Atq; illud notandum, quod ij qui alia ætate uixerunt, multis, uarijsq; nominibus ſignificantur, prout alia atq; alia ætas fuit. Eos enim qui priore memoria uixerunt, patres appellemus licebit: qui huic proxima, auos: qui ſuperiore, alijsq; prioribus, maiores. Quanquam non me præterit, eos omnes nullo diſcrimine adhibito, maiores, hoc eſt ut uulgo loquimur, prædeceſſores appellari. Qui Liuium diligenter euoluerit, ita uſum eum deprehendet.

Argumentum in tertiam.

Lenit atq; mitigat Proculus Iulius plebi Romanæ deſiderium Romuli, qui quum ad exercitum recenſendum concionem in campo ad Capreæ paludem haberet, ſubito coörta tempeſtate cum magno fragore, tonitribusq;, denſo item nymbo, ita cœlo ſublatus eſt, ut in terris poſtea nunquam uiſus ſit.

Verba Proculi Iulij ad Populum Rom. conſolationis plena. Concio III.

ROmulus, Quirites, parens urbis huius, prima hodierna luce cœlo repente delapſus, ſe mihi obuium dedit. Quum perfuſus horrore, uenerabundusq; aſtitiſſem, petens precibus, ut contrà ſe intueri fas eſſet abi, nun

cia

cia(inquit) Romanis, cœlestes ita uelle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit. Proinde rem militarẽ colant: sciantq́ʒ, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse.

Romulus, Quirites.) Tota hæc consolatoria est: Quiritium uocabulum populum Romanum significat. Appellati autem Quirites, ut Liuius autor est, à Curibus Sabinorum urbe, seu populo: quemadmodum & Parisiorum appellatio tam urbem denotat, quàm incolas. Populus in partes duas diuisus erat: hi patres, quorum liberi patricij dicti: illi plebeij, siue de plebe homines. Ac illud constat, quòd patricia plebeio nupta transiret ad plebem, quemadmodum & filij eius ex plebe erant: non cõtrà. Quam legem nobiles uiri, nostræ præsertim Galliæ, pertinaciter etiam obseruant. Si quis hanc rem planius intelligere uelit, X. librum tertiæ Decados circa finem legat. *Se mihi obuium dedit.)* Verbum est, quod raro reperias pro occurrere, & obuium fieri. *Cœlestes.)* superos. Sumitur substantiuè, quemadmodum & superi. *Rem militarem.)* Rei appellatio latißime patet. Continet enim quicquid ad artem, disciplinam, ordinem ue refertur, siue sint ea corporalia, siue incorporea. Hinc res militaris dicitur, qua quicquid ad eam discipli-

nam pertinet, continetur. Ita res uestiaria, res calcearia, res publica, priuata. Sed fere in his denotat cōditionem & statum cuius quisq; est. Hinc colere, id est exercere dicimur, & scire facultatē, cui nos dedidimus.

Argumentum in quartam.

Caius Ciuilius Albæ imperabat, Romæ Tullus Hostilius, quum Romani ex agro Albano, Albani ex Romano prædas agerent. Tum uero utrinq; legati ad res repetendas mißi. Contigit forte, ut Romani priores functi legatione, quum non impetrassent quod repoposcerant, bellum, neganti Albano, sicuti mandatum erat, in trigesimum diem indicerent. Quorum factus certior Tullus, repetentibus res suas Albanis iubet, regi suo nuncient, ita se uelle, uter prior populus res repetentes legatos asper natus dimisisset, ut in eum Dij omnes huiusce belli clades expetant. His nunciatis, bellum utrinq; summa ui & ope parabatur. Ac Albani priores ingenti exercitu in agrum Romanum incursiones faciunt: castra non amplius quinq; milia passuum ab urbe locant: in quibus Ciuilius moritur. Albani cōperta morte, ad Metium Suffectium imperij summā deferunt: qui acciri ad colloquium Tullum iubet. Prior Metius in hanc sententiam de totius rei summa locutus est.

Concio

Concio Metij Suffectij ad Tullum Hostilium regem Ro. de pace componenda inter Romanos & Albanos. IIII.

INiurias,& non redditas res ex fœdere, quæ repetitæ sint, & ego regem nostrum Ciuiliũ causam huiusce esse belli audisse uideor:nec te dubito, Tulle, eadem præ te ferre. Sed si uera potius, quàm dictu speciosa dicenda sunt:cupido imperij duos cognatos uicinosq́ populos ad arma stimulat. Neq, recte, an perperam, interpretor:fuerit ista eius deliberatio, qui bellũ suscepit:me Albani gerendo bello ducem creauere. Illud te, Tulle, monitum uelim: Ethrusca res quanta circa nos, teq́ maxime fit, quò propior Volscis, hoc magis scis. Multum illi terra, plurimum mari pollent. Memor esto iam quũ signum pugnæ dabis, has duas acies spectaculo fore, ut fessos, confectosq́ simul uictorem uictumq́ aggrediãtur. Itaq si nos Dij amant, qui non contenti libertate certa, in dubiam imperij seruitijq́ aleam imus:ineamus aliquam uiam, qua, utri utris imperent, sine magna clade, sine multo sanguine utriusq populi decerni possit.

Iniurias, & non redditas.) Ratio est *faciendi pacem, & in gratiam redeundi. Vulgare est, ut in reconciliatione primò causæ inimicitiarum exponan-*

tur, deinde iure an iniuria uterq; alterum odio habuerit: nisi magis causæ obstet, quàm prosit. Tum rei indignitatem, ut inter cognatos, affines, sodales. Postremò adiecto periculo, ad pacem exhortari oportebit. Omnium horum Liuius rationem seruat.

Præ te ferre.) hoc est, non dubito quin idem dicere & significare uelis. Præ me fero, præ te fers, præ se fert tristitiam, grauitatem, seueritatem, est, uultus meus, tuus, eius, ostendit, innuit, & significat.

Duos cognatos.) Nam Romulus ex Rhea Syluia prodijt, Rhea ex Amulio Albanorum rege, Albani ex Troianis. Neq;, recte.) id est, non dico utrum bene, an male, iure, an iniuria stimuletur. Fuerit ista.) id est, deliberet de hac re, id est, iure, an iniuria stimulentur, qui primus inijt rationem belli. Qui bellum suscepit.) Suscipere uerbū multum adfert gratiæ ac iucunditatis orationi, si uerbis laborem conatumq; significantibus iungatur: ueluti suscepi negotium, prouinciam, onus. quod gallice dicitur: Iay entreprins ou prins laffaire, ou la charge. Nam longe refert, suscipere te dicas bellum, an gerere. Quum signum pugnæ.) Memini legisse in Liuio, dare signum, pro eo quod uulgo dicimus facere signum, & dare insignia. Quæ significatio non est ab hac aliena, in quam eodem uerbo hic utitur Liuius. Nam prius quàm tibicines ad

prælium præcinant, dux signum aliquod dare solet. Ineamus aliquam.) Inire uiam est, consilio ac ratione inuestigare quid ad rem quamlibet pertineat. Vulgo dicimus, inuenire medium ad aliquam rem. Hoc dicitur & rationem inire. Nã ratio, siue uia dicitur, quæ ad rem propositam perficiendam excogitata est: ueluti pacis faciendæ, obsidum traditio ratio esse potest. Longe plura de uocabuli rationis significationibus uarijs infrà dicemus.

Argumentum in quintam.

Horatius, is qui solus ex Tergeminis fratribus superfuit, quum tergemina spolia uictor gerens, obuiam sororem, cognita forte ueste Curiatij sponsi, paßis crinibus flebiliter sponsum nomine appellare uideret, motus comploratione intempestiua, eam ferro transfigit. Hoc nomine in ius ad regem Tullum quum raptus eßet, à Tullo Duumuiri capitales, sicuti lex iubebat, fiunt; qui Horatio perduellionem iudicarent. Iam Duumuir ei perduellionem iudicarat, iam lictor iussus laqueum inijciebat, quum autore Tullo, Prouoco, inquit. Ita de prouocatione ad populum certatum est: quo iudicio absolutus est, magis admiratione uirtutis, quàm iure causæ. Ac in eo quidem iudicio maxime pater homines mouit, qui præter alia, hac oratione usus est.

Concio

Concio P. Horatij ad populum pro filio perduellionis reo. Concio V.

HVnccine, quem modo decoratum, ouantemq; uictoria incedentem uidistis, Quirites, eum sub furca uinctum, inter uerbera & cruciatus uidere potestis? quod uix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I, lictor colliga manus, quæ paulo antè armatæ imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris huius urbis: arbori infelici suspende: uerbera uel intra pomœrium, modò inter pila et spolia hostium: uel extra pomœrium, modò intra sepulchra Curiatiorum. Quò enim ducere hunc iuuenē potestis, ubi non sua decora eum à tanta fœditate supplicij uindicent?

Hunccine.) *Hæc partim lamentatoria, partim exprobratoria.* Ferre possent.) *pati, tolerare.* I, lictor.) *Lictoris uocabulum nunc eum significat, quem* Tortorem *hodie appellamus, ut hoc loco: nunc eum, quem barbari* Seruientem, *siue* Clientem *uocant, ut satis constat ex tertio ab* Vrbe *cōdita, quo loco de assertione* Virginiæ *in seruitutem ex libertate, agitur. nunc eum quem* Bidellum *hodie appellamus: quanquam fortassè apud* Romanos *hæc indistincta erant.* Vel intra pomœriū.) *Pomœrium, auctore* Liuio, *locus est circa murum,* quem

quem in condendis urbibus quondã Ethrusci, quà murum ducturi erant, certis circà terminis inaugu ratò consecrabant. Spacium illud neq; habitari fas erat, neq; arari: dictum non tam quod post murum, quàm quòd mœnia post ipsum. Pomœrium Lutetiæ uidemus relictum magis ad subitos hostium casus: ad portam Victorinam cum mœnibus interio ri parte ædium continuatum modico spacio pomœ rium ipsum uidemus, quod Romæ nefas erat. Per duellionem iudicarent.) Hæc ex argumento. Iudi care hoc loco sumitur, pro diem dicere. Iudicare igitur perduellionem alicui, est diem dicere hostilita tis: quod alio loco in genitiuo dicit, perduellionis iudicare.

Argumentum in sextam.

Metius Suffectius dux Albanorum, in fide Romanorum per speciem simulationis manens, Fidenates concitabat ad bellum gerendum aduersus Romanos. Ii assumptis socijs consilij Veientibus iam disponebant acies, quum aduersus Veientes Tullus suos dirigit, Albanos duce Metio contra Fidenates collocat. Albanus eo bello, sicuti hostibus receperat, clam, non ausus aperte, ac sensim subijt ad montes. Ita nihilominus dimicatum est, ut fusi hostes, fugatiq;, uictores Romani fuerint. Postero die uocat ad concionẽ Romanos Albanosq; Tullus. Ibi proditionem

ditionem Suffectij aperit.

Concio Tulli Ro. regis de proditione Metij Suffectij Albanorū ducis, ad milites. VI.

Romani, si unquam antè aliàs ullo in bello fuit, quod Dijs immortalibus gratias ageretis, deinde uestræ ipsorum uirtuti: hesternum id prælium fuit. Dimicatū est enim non magis cum hostibus, quàm (quæ dimicatio maior ac periculosior est) cum proditione ac perfidia sociorum. Nam, ne uos falsa opinio teneat, iniussu meo Albani subiere ad montes: nec imperium illud meum, sed consilium, & imperij simulatio fuit, ut nec uobis ignorantibus deseri uos, auerteretur à certamine animus, & hostibus circūueniri se ab tergo ratis terror & fuga inijceretur. Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum est: ducem secuti sunt: ut & uos, si quò inde agmen declinare uoluissem, fecissetis. Metius ille est ductor itineris huius: Metius idem huius machinator belli: Metius fœderis Romani Albaniq; ruptor. Audeat deinde talia alius, nisi hunc insigne iam documentum mortalibus dedero. (Cēturiones armati Metium circunsistunt: rex cætera, ut orsus erat, peragit) Quod bonum, faustum, felixq; sit populo Romano, ac mihi, uobisq;, Albani, populum omnem Albanum Romam traducere in animo est: ciuitatem dare

plebi

plebi: primores in patres legere: unam urbem, unam remp. facere: ut ex uno quondam in duos populos diuisa Albana res est, sic nunc in unum redeat. (Ad hæc Albana pubes inermis ab armatis septa, in uarijs uoluntatibus, communi tamen metu cogente, silentium tenet.) Tum Tullus, Meti Suffecti, inquit, si ipse discere posses fidem ac fœdera seruare, uiuo tibi ea disciplina à me adhibita esset. Nunc, quoniam tuum insanabile ingenium est, tu tuo supplicio doce humanum genus ea sancta credere, quæ à te uiolata sunt. Vt igitur paulo antè animum inter Fidenatem remq; Romanam ancipitem gessisti, ita iam corpus passim distrahendum dabis.

Romani, *si unquam.*) *Expositio est periculi, in quod adducti erant Romani perfidia sociorum.*

Ne *uos falsa.*) *id est, ne falso credatis. Sed consilium.*) *quod scilicet Metius cum hostibus inierat. Auerteretur.*) *retraheretur, abduceretur.*

Centuriones armati.) *Centurio dicitur, qui centum militibus præest: quemadmodum decurio, qui decem, sed equitibus. Inde centuria, numero centum continens multitudo: decuria, decem. Centuriatus autem, officium centurionis dicitur: decuriatus, decurionis. Qui maiori*

militum

militum numero præficiebantur, tribuni militum erant, à tribubus appellati, quod principio in tribus diuisus populus Romanus fuerit. Cæterum tribuni militum consulari potestate apud Romanos creati sunt. Tribunos commode appellabimus, quos capitaneos hodie uocamus. Primores in patres.) Primores sunt, quos uulgò principales ciuitatis appellamus. Patres, senatores erant, sic à Romulo ab honore uocati. Centum primò Romulus legit, deinde ducenti à Bruto primo consule adiecti: qui ob idipsum Conscripti appellati sunt. Autor Liuius XI. ab Vrbe condita. Pòst omnes citra discrimen Conscripti uocati. Fidem ac fœdera.) Fides autore Cicerone, est dictorum, conuentorumq; constantia & ueritas. Qui hanc uiolant, perfidi uocantur. Tuum ingenium.) natura.

Argumentum in VII.

Anci Martij filij duo erant, qui quũ pro indignissimo haberent se per Tarquinium regni possessione pulsos, multo tamen indignius illud ferentes, quod ad Seruium Tullium serua natum imperium casurum uidebatur, regem per duos pastores, quos ad facinus delegerant, interficiunt. Tanaquil regina de uiri salute prorsus desperans, propere accitum Seruium, ad imperium his uerbis hortatur.

Ver-

Verba, seu exhortatio Tanaquil ad Seruium generum de regno. VII.

TVum est, Serui, si uir es, regnum: non eorum, qui alienis manibus pessimum facinus fecere. Erige te: deosq; duces sequere, qui clarum hoc fore caput, diuino quodam circumfuso igni portenderunt. Nunc te illa cœlestis excitet flamma: nunc expergiscere uere: & nos peregrini regnabimus. Qui sis, non unde natus sis, reputa. Si tua, re subita, consilia torpent: at tu mea consilia sequere.

Tuum est.) Exhortatio est, siue suasio. Suadet modò à prodigio, & conditione. Qui alienis.) aliorum. Diuino quodam.) Nam dormienti Seruio ardere caput uisum fuerat: quod Tanaquil pro augurio accipiens, de illo multa iam inde sibi pollicebatur.

Argumentum in VIII.

Seruius Tullius rex ueritus ne à liberis duobus Prisci Tarquinij sibi pararentur insidiæ, quemadmodum ipsi Prisco à filijs Anci nexæ fuerant: ijs filias suas collocauerat: ita tamen, ut cum essent dispares moribus, ferox mitis ingenij filiò daretur, mitis feroci uiro. Minor ægre passa cum impari se coniungi, sic rem cum L. Tarquinio sororis marito transigit, ut interempto utroq;, iungi matrimonio placeret. Ea haud ita multo pòst, maritum ip-

ſum ad regni affectationem ſolicitat.

Exhortatio Tulliæ ad L. Tarquinium maritum ſuum, de regni affectatione.

Concio VIII.

SI tu is es, cui nuptam me eſſe arbitror, & uirum & regem appello. Sin minus, eo nunc peius mutata eſt res, quod iſtic cum ignauia eſt ſcelus. Quin accingeris? Non tibi à Corintho, nec à Tarquiniis, ut patri tuo, peregrina regna moliri neceſſe eſt. Dii te Penates, patrii'que, & patris imago, & domus regia, & in domo regale ſolium, & nomen Tarquinii, creat uocat'que regem. Aut ſi ad hæc parum eſt animi, quid fruſtraris ciuitatem? quid te ut regium iuuenem conſpici ſinis? Faceſſe hinc Tarquinios, aut Corinthum deuoluere retro ad ſtirpem, fratri ſimilior quàm patri.

Argumentum in IX.

Inciderat fortè de uxorum forma mentio cœnantibus Tarquinij Superbi liberis apud Sextum Tarquinium fratrem, cum Collatino Tarquinio. Quum nemo non ſuam laudaret, illud ipſum experiri placuit. Penes Lucretiam Collatini Tarquinij uxorem, eius certaminis laudem ac uictoriam omnes fatentur. Inde Sextus Tarquinius fœda libidine Lucretiæ per uim ſtuprandæ captus, paucis interiectis diebus Collatiam uenit: acceptus benigne domum,

domum, ubi tempus adesse uidet, stricto gladio ad eam dormientem accedit. Ibi cum mortua se iugulatum seruum positurum ad postremùm dicens, obstinatam pudicitiam uincit. Postero die mœsta patrem, maritum, singulosq; amicos celeriter uenirẽt monet: rem enim atrocem incidiße. Rẽ ipsam præsentibus, sicuti habebat, exponit.

Lucretiæ querelæ ac lamentatio ad uirum, patrem, & amicos, de uiolatione. IX.

Quærenti uiro, satin' saluè? Minime, inquit. Quid enim salui est mulieri, amissa pudicitia? Vestigia uiri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo. Cæterum corpus tantũ est uiolatum, animus insons: mors testis erit. Sed date dextras, fidemq́;, haud impune adultero fore. Sextus est Tarquinius, qui hostis pro hospite, priore nocte ui armatus, mihi, sibiq́;, si uos uiri estis, pestiferum hinc abstulit gaudiũ. (Dant ordine omnes fidẽ, consolantur ægrã ânimi, auertendo noxam à coacta in authorem delicti: mentem peccare, non corpus: & unde consilium abfuerit, culpam abesse.) Vos, inquit, uideritis, quid illi debeatur: Ego me etsi peccato absoluo, supplicio non libero: nec ulla deinde impudica Lucretiæ exemplo uiuet.

Satin' salue.) Intelligendum est uerbum Est, aut Agis: ut sit intellectus, An satis prosperè tibi est, aut

agis? Nam particula salue, aduerbij uim obtinet. Salua (inquit Terentius) res est. hoc est, bene habet. Sed date.) Sensus est: sancte mihi promittite, non futurum, ut hoc inultum ferat adulter. Recte hæc ipsa duo coniunxit. Nam quoties aliquid sanctiore iureiurando spondere uolumus, ferè dextras coniungimus. Dare fidem, est promittere. Accipere fidem is dicitur, cui fit promißio. Præstat is, qui quod promiserat, exoluit & efficit. Violat contrà, qui cōtrà aut secus quàm promiserat, facit. Habet, siue adhibet fidē, qui dicēti credit. Quid sit fides, suprà exposui: cuius rationē nisi cognitā perspectāq; habueris, nunquam superiora planè intelliges.
Et unde consilium.) Nam nemo delinquit, nisi consilio, consensu, ac deliberatione: uel, ut Theologi loquuntur, formali, uel uirtuali facinus ipsum appetat. Augustinus, atq; eum secuti Theologi, Lucretiam adulterio quidem absoluunt: cæterum hoc ipso peccasse fatentur, quod conscientia pudoris amißi, si uiueret, sua culpa, se ipsa interfecerit, quū nemini suo se iure interimere liceat. Diui Augustini uerba ex XIX. de ciuitate Dei, quæ ad hanc rem pertinent, subieci. Quod ergo se ipsa (inquit) non adultera occidit: non pudicitiæ caritas, sed potius infirmitas fuit. Puduit enim eam turpitudinis alienæ in se commissæ, etiamsi non secum: & Ro-
mana

mana mulier laudis auida nimium uerita est, ne putaretur, quod uiolenter est passa quum uiueret, libenter passa si uiueret. Hæc Augustinus.

EX LIB. II. AB VRBE condita.

Argumentum in X.

Mortuo Bruto, *regnum affectare* P. *Valerium* Bruti *collegam fama tenebat, quod collegam in demortui locum non substitueret, in summaq́; Velia ædificaret.* Is *ea re cognita, submißis primum populo fascibus, in concionem ascendit.* Ibi *habita primò funebri oratione de* Bruti *laudibus, suspicionem in hanc sententiam sustulit.*

Concio P. Valerij Publicolæ *ad populum de crimine obiecto.* Concio X.

NVnquamne ergo ulla adeò uobis spectata uirtus erit, ut suspicione uiolari nequeat? Ego me illum acerrimum regũ hostem, ipsum cupiditatis regni crimen subiturum timerem? Ego si in ipsa arce, Capitolióq; habitarem, metui me credere possem à ciuibus meis? Tam leui momento mea apud uos fama pendet? Adeò'ne est fundata leuiter fides, ut ubi sim, quàm qui sim, magis referat? Non obstabunt P. Valerij ædes libertati uestræ, Quirites: tuta erit uobis Velia: deferam non in planũ

modo ædes, sed colli etiam subijciam, ut uos supra suspectum me ciuem habitetis. In Velia ædificent, quibus melius quàm P. Valerio creditur libertas.

Nusquámne.) *Purgatio est exprobrationi admixta.* Spectata uirtus.) *perspecta, cognita.* Ego me.) *Noua prorsus loquendi ratio: timeo me subiturum crimen. Ita hic locus explicabitur. Ego in animum inducere possem, mihi timendum esse ne accusarer regni affectatione, qui regum fui acerrimus hostis? Nam subire crimen, nihil aliud est quàm accusari, aut certe reum constitui.* Tam leui momento.) *Momentum quiddam minimum est in re qualibet. Inde momentum in statera dicitur: momentum temporis. Hic uidetur sumpta metaphora à trutina, in qua quæ eleuantur, statim adiectoq; pondere deprimi solent, aut detracto ex altera parte: quod posterius magis ad rem facit. Nam suspicio ea in quam de Valerio uenerat populus, detraxit fidem.* Tuta erit.) *id est, non erit uobis periculum à Velia.*

Argumentum in XI.

Mutius Scæuola indignum ratus ab Ethruscis obsideri populum Romanum liberum, qui seruus sub regibus à nullis hostibus obsessus fuisset, impetrata uenia à Senatu, in hostium castra consilio regis

gis Porsenæ interficiendi penetrat. Ibi ad regium tribunal consistens, quum inter duos, uter Porsena esset, distinguere non posset: scribam regis pro Porsena obtruncat. Comprehensus per satellites, regi consilium uoluntatemq́; suam exponit.

Mutij Scæuolæ ad Porsenam Clusinum regem uerba fiduciæ plena. XI.

ROmanus sum ciuis: C. Mutiũ. uocãt. hostis hostem occidere uolui. Nec ad mortẽ minus animi est, quàm ad cædem fuit. Et facere, & pati fortia, Romanum est. Nec unus ego in te hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde in hoc discrimen, si iuuat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo: ferrum, hostemq́; in uestibulo habeas regiæ: hoc tibi iuuẽtus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum prælium timueris: uni tibi, & cum singulis res erit.

Minus animi.) Animus uis quædam est, in membra ad ulciscendum, à portione ea animæ qua irascimur, impulsa, atq; missa. Ea uerò uis alteram, sed extrà efficit, quam impetum appellamus. Hinc sustinere hostium impetus dicimus. Alias significationes alibi docebimus. Longus post me ordo.) *Ordo eleganter sumitur pro rebus se uicißim sequentibus, beneq́; digestis. Hinc domorum ordinem dici-*

mus. Plura alio loco. In uestibulo.) Vestibulū, si Gellio credimus, pars non est eius rei, ad quam refertur: sed locus ante ianuam uacuus relictus, qua ad ædes uia patet. Vestibula hodie appellaueri mus & tecta ea, quæ templorum foribus uidemus continuari. Atrium pars est prima ea domus, quæ fert in singula cubicula. Regiæ.) Regia, diuerso rium, seu domiciliū regum erat. T. Liuius et Q. Curtius hoc uocabulo id semper significant, quod nos hodie hospitio regis circumloquimur. Vni ti bi.) soli. Sensus est: Tibi soli dimicandum erit uicis sim cum unoquoq;. Res erit.) negotium: quod uulgò dicitur, tu habebis ad faciendum.

Argumentum in XII.

Successione plebis in Sacrum montem, factum erat, ut incultis agris, magna eo anno annonæ cari tate laboraretur. Id quod patrum animos, copiaq́; frumenti recens aduecti, aduersus plebem, præter-quàm quod iam ei infesta esset magistratuum nomi ne, qui Patricijs non patebant, etiam maxime con citauit, ut iam multis uenisse tempus uideretur re cuperādi iura secessione ac ui patribus extorta. In ijs Cn. Martius Coriolanus, quum in senatu delibe-raretur, quantum plebi frumenti daretur, his uer-bis sententiam peregit.

Concio

Concio Martij Coriolani ad patres, contra plebem, & tribunos. Concio XII.

SI annonam ueterem uolunt, ius pristinũ reddant patribus. Cur ego plebeios magistratus, cur Sicinium pollentem uideo sub iugum missus, tanquam à latronibus redemptus? Egone has indignitates diutius patiar, quàm necesse est? Tarquinium regem qui nõ tulerim, Sicinium feram? Secedat nunc, auocet plebem: patet uia in Sacrum montem, aliosq́ colles: rapiant frumenta ex agris nostris, quemadmodum tertio anno rapuere; utantur annona, quã furore suo fecere. Audeo dicere, hoc malo domitos ipsos potius cultores agrorum fore, quàm ut armati coli prohibeant.

Si annonam.) Annonæ appellatione continentur tam quæ ad potum, quàm quæ ad cibum referũtur: quanquam hoc loco ad cibum tantũ pertinet. Quæ in uictum anni, præsertim unius comparata sunt, annonæ uocabulo significantur. Hodie *prouisionem uictualium appellamus. Inde fit, ut annonæ caritate* Parisijs *atq; alibi laborari dicamus, quum quæ ad uictum pertinent, solito carius ueneunt. Ius pristinum.) Intelligit tribunatum plebis, & prouocationem. Sub iugum.) Auxesis est. Iure plebi à patribus concesso fieri putabat, ut non secus serui essent patres, quàm si sub iugum missi fuissent.*

sent. Iugum fiebat, autore Liuio, tribus hastis: in terram defixis duabus, tertia transuersa, ut speciē gereret patibuli, quod tribus colūnis, ut uocamus, extruitur, duabus itidem in terram defixis, tertia item transuersa. Sub id mittebantur hostes bello uicti, quemadmodum à Samnitibus consules duo Romani, etiam seminudi ad Cannas missi à Liuio referuntur. Hoc malo domitos.) id est negata ipsis annona. Intellectus orationis eius hic est: Si negetur ijs annona, futurum est, ut eo malo docti potius agros colant, quàm coli prohibeant. Nam priore secessione impedimēto fuerant, quo minus colerētur.

Argumentum in XIII.

Martius Coriolanus damnatus absens uelut indicta causa, in Volscos exultatum abierat. Ibi Actij Tullij Volscorum longe principis utebatur hospitio. Iam consuetudo ipsa socios eos, amicosq; fecerat, quum de bello Romano conferunt. consilia, resq; iam tum eò deducta erat, ut Actius occasionē modò suos aduersus Romanos concitandi quæreret. Tum fortè ludi magni Romæ instaurabantur, ad quos Actius Volsciq; conueniunt. Is Actius antè nactus opportunitatē, quàm ludi committerētur, consules remotis arbitris, de suorum ingenio & natura alloquitur in hanc sententiam. Quæ omnia ad bellum iam animo conceptum pertinent.

Actij

Actij Tullij Volscorum principis ad consules uerba, ut ludis nõ adessent Volsci. XIII.

INuitus, quos sequi iussi, de meis ciuibus loquor non tamen admissum quicquam ab ijs criminatum uenio, sed cautum ne admittant. Nimio plus, quàm uelim, nostrorum ingenia sunt mobilia: multis id cladibus sensimus. quippe qui non nostro merito, sed uestra patientia incolumes sumus. Magna hic Volscorum multitudo est: ludi sunt: spectaculo intenta ciuitas erit. Memini quid per eandẽ occasionem ab Sabinorum iuuentute in hac urbe commissum sit. Horret animus, ne quid inconsultò, ac temerè fiat. Hæc nostra, uestraq́ue causa primum dicenda uobis consulibus ratus sum. Quod ad me attinet, extemplò hinc domum abire in animo est, ne cuius facti, dictiq́ue contagione præsens uioler.

Argumentum in XIIII.

Coniunctum est insequentis, cum superioris argumento. Consules, quæ sine arbitris ab Actio acceperant, quum detulissent: senatusconsulto facto, Volsci omnes ante noctem ex urbe per præconem excedere iubentur. Quum aliquantum itineris extra urbem progreßi essent, Actius indignitate rei per se satis concitatos, hac quoque concione inflammauit.

Actij

Actij Tullij ad ſuos concio, qua eos in Ro*manos concitat.* XIIII.

VEteres populi Romani iniurias, cladesq́ gentis Volſcorum, ut omnia obliuiſcamini alia, hodiernam hanc quo tãdem animo fertis, qua per noſtram ignominiam ludos commiſere? An non ſenſiſtis, triumphatum hodie de uobis eſſe? Vos omnibus ciuibus, peregrinis, tot finitimis populis ſpectaculo abeuntes fuiſſe? Veſtras coniuges, ueſtros liberos traductos per ora hominum? Quid eos qui audiuere uocem præconis? quid, qui uos uidere abeuntes? quid eos qui huic ignominioſo agmini fuere obuij, exiſtimaſſe putatis? niſi aliquod profectò nefas eſſe? Quòd ſi interſimus ſpectaculo, uiolaturi ſimus ludos, piaculumq́ merituri: ideo nos ab ſede piorum, cœtu, concilioq́ abigi? Quid deinde? illud non ſuccurrit, uiuere nos, qui maturauimus proficiſci? ſi hæc profectio, & non fuga eſt. & hanc urbẽ uos non hoſtium ducitis: ubi ſi unum diem morati eſſetis, moriendum omnibus fuit? Et bellum uobis indictum eſt, magno illorum malo qui indixere, ſi uiri eſtis.

Veteres iniurias.) Exhortatio eſt ad bellum, iniuriarum maxime, ac cladium commemoratione. Iniuria eſt, ut ex primo Rhetoricorum *Ariſtotelis colligitur, quicquid ſponte præter leges alicui infertur.*

fertur. Vocem præconis.) Præco hic eum signi ficat, qui dimissus à magistratu, publicis uijs urbis mandatum exponit. Hunc hodie præcinere tuba ui demus, antequam pronunciet. Sunt qui funera in dicunt: funebres, seu ferales dicuntur. Sunt qui uini precia, locáq; ubi sit uenale, indicant: Bacchici, seu uinales appellari poßunt. Præco & eum significat, qui in senatu, siue in foro nomina eórum citat, qui lite contendunt. Ostiarium uulgò nulla ratione appellamus, nisi quòd nomen Gallicum ei sit proxi mum: quum si diligenter inspiciamus rationem uocabuli Gallici, magis ad latinum prius accedere uideatur. Quod si intersimus.) Difficilis est hic locus. Planus erit, si, dicentes, seu iactantes intelligendo, ordinem ab Ideo particula incipias. Non succurrit.) non uenit in mentem. Indictum est.) denunciatum, significatum.

Argumentum in XV.

Huius quoq; cum prioris argumento coniunctum est. Ita inflammati & stimulati Volsci, communi consensu ac uoluntate imperium ad Coriolanum atq; Actium deferunt. Ii cum copijs Romam contendunt, toto itinere oppida in deditionem & potestatem accipientes. Romani posteaquam id nũciatum fuit, de pace oratores mittunt: qui quum re infecta redirent, iamq; prope eßet, ut agris uastatis

Ro-

Romã obsiderẽt: matronæ seu priuato, seu publico consilio peruincunt, ut Veturia mater Coriolani, Volumniaq́; uxor, cum duobus paruis liberis in castra hostium irent. Quod ubi Coriolano fuit nunciatum, principiò negligebat: properè deinde ut amens quum matri complexum ferret, Veturia his uerbis eius animos fregit:

Oratio Veturiæ ad Coriolanum filium Romanis bellum inferentem. X V.

SIne prius, quàm complexum accipio, sciã, ad hostem, an ad filium uenerim: captiua mater ne in castris tuis sim. In hec me longa uita, infelix senecta traxit, ut exulẽ te, deinde hostẽ uiderẽ? Potuisti populari hanc terrã, quæ te genuit & aluit? Non tibi, quãuis infesto animo & minaci perueneras, ingredienti fines ira cecidit? Non quũ in cõspectu Roma fuit, succurrit: Intra mœnia illa domus ac penates mei sunt? mater, cõiunx, liberi? Ergo, ego nisi peperissem, Roma nõ oppugnaretur? nisi filiũ haberem, libera in libera patria mortua essem? Sed ego nihil iam pati, nec tibi turpius, quàm mihi miserius, possum: nec, ut sim miserrima, diu futura sum. De his uideris: quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa seruitus manet.

Sine prius quàm.) Hic exprobratiò cum lamentatione coniuncta, mirè potens est ad permouendos ani-

animos. Senecta traxit.) prouexit. In conspectu.) ante oculos. De his uideris.) uxore scilicet & liberis. Si pergis.) Pergere uerbum uenustum est, pro eo quod est in proposito & instituto perseuerare: cuius contrarium est, desistere cœptis. Nam pergo pro ambulo, apud probatum autorem legisse me non memini, nisi apud hunc eundem Liuium certe plus decem locis. Aut longa.) Manere cum accusatiuo iunctum, pro eo quod est futurum esse, sumitur.

EX LIBRO TERTIO.

Argumentum in XVI.

C. Terentillus Arsa *tribunus plebis, absentibus cõsulibus longa oratione plebi* Consulare *imperium inuidiosum adeò effecerat, ut ipsi legem se promulgaturum profitenti, qua crearentur* Quinqueuiri *legibus de imperio consulari scribendis, uehementer assentiretur. Senatus inde à præfecto urbis* Q. Fabio *uocatus, ubi atrociter in rogationem, latoremq́; inuectus primùm, deinde his uerbis cæteros tribunos de re ipsa conuenit.*

Q. *Fabij concio ad tribunos plebis alios omnes, quàm* Terentillum. XVI.

VOs, cæteri tribuni, oramus, ut primùm omnium cogitetis, potestatem istam ad singulorum auxilium, non ad pernici-

em uniuersorum comparatam esse: tribunos plebis uos creatos, non hostes patribus. Nobis miserum, inuidiosum uobis est, desertam Rempub. inuadi. Non ius uestrum, sed inuidiã minueritis. Agite cum collega, ut rẽ integrã in aduentũ consulũ differat. Ne Equi quidẽ, ac Volsci, morbo absumptis priore anno consulibus, superbo crudeliq́ nobis bello institere.

Potestatem istam.) Tribunatum plebis. *Comparatam esse.)* Comparo uerbum iunctũ accusatiuis duobus, sed posteriori præpositione ad adiecta, ut latentem significationem habet, ita quæ orationem illustrat. Sed ferè in uoce paßiua usurpatur, significatq; idem quod facio, inuenio, compono, quæro. Comparata est in animali respiratio ad duos usus: id est quæsita, factaq;. *Agite cum collega.)* C. L. Terentillo. Agere cum aliquo, nunc absolute alloqui significat: nunc eum aut conditionibus aut precibus, aut quo alio pacto in sententiã in quã uelis, perducere: quod uulgò dicimus tractare, siue facere cum aliquo. Agere cum populo, autore Gellio, est populum rogare, id est interrogare, quid suffragio suo uel iubeat, uel uetet. Agere uerò cũ patribus, ad senatum referre, id est in senatu rem aliquam agitandam, decernendamq; proponere. Collega dicitur, qui eundem gerit magistratũ, quem

is cuius

is cuius collega dicitur. nam intelligi non potest, ni si ad aliud, ut correlatiuum, relatum. Ita quum quinque tũ tribuni plebis essent: & quatuor quinti, & quintus quatuor collega erat. Eorum uero qui eundem magistratum gerebant, ordo, siue conditio, collegium appellabatur. Hinc tribunorum, pontificum, augurum collegiũ legimus. Rem integrã.) non agitatam, indeliberatam. Priore anno.) Liuius hac dictione Prior uti solet, pro eo quod ultimum, siue præteritum uulgò dicimus. Priore annô, id est proximo, superiore, siue quod dicimus anno præterito. Idem de priore nocte, æstate, hyeme, alijsq; generis eiusdem tibi persuade. Nec dicendum priore die, sed pridie.

Argumentum in XVII.

Legem tulerat Terentillus Trib. pleb. ut quod populus in se ius dedisset, eo consul uteretur: quam patres impediebant. Quæ causa fuit, ut tribuni delectum ad bellum haberi prohiberent. Coorta demum seditio est, ac rixa: quumq; alia à patribus, alia à tribunis ad eam rẽ pertinentia iactata forent, Cæso iuuenis ferox in medio patrum agmine tribunitios unus furores sustinebat. Aulus Virginius tribunusplebis, iuuenis insolentia permotus, ei legi obstanti capitis die dicta, hac sententia superbiam plebi reddebat inuidiosam.

Auli Virginij trib.ple.ad plebem de Cæsonis arrogantia,uerba. Concio XVII.

ECquid sentitis uos,Quirites, Cæsonem simul ciuem,& legem,quam cupitis, habere non posse? quanquam quid ego legem loquor? Libertati obstat.omnes Tarquinios superbia exuperat.Expectate, dum consul, aut dictator fiat,quem priuatum uiribus & audacia regnantem uidetis.

Argumentum in XVIII.

Exules,seruiq́; arcem Romanam nocte ad magnum numerum duce Ap. Herdonio occupauerãt. Quod ubi compertum fuit,reliquum noctis in armis Romani egerunt, ignari qui homines, quantusq́; numerus hostium eßet. Postero die quum Herdonius consilium,uoluntatemq́; suam declarasset, tum quoq; tribuni pleb. non bellum illud,sed imaginem modò,contendebant ad auertendos à legis cura plebis animos. Populum itaq; ab armis discedere iubent. Quod quum patribus nunciatum esset, P. Valerius ex curia in templum ad tribunos ueniens,de periculo cum ijs primum, deinde cum plebe sic egisse fertur.

Concio P. *Valerij Publicolæ consulis ad tribunos,omnemq́; plebem.* XVIII.

Quid

QVid hoc rei eſt, Tribuni? Appij Herdonij ductu & auſpicio Remp. euerſuri eſtis? Tam felix uobis corrūpendis fuit, qui ſeruitia non commouit autor? Quum hoſtes ſupra caput ſint: diſcedi ab armis, legesq́ꝫ corrumpi placet? (Inde ad multitudinem oratione conuerſa) Si uos urbis, Quirites, ſi ueſtri nulla cura tāgitat uos ueremini Deos ueſtros ab hoſtibus captos. Iupiter optimus maximus, Iuno regina, & Minerua, alij Dij, Deæq́ꝫ obſidentur: caſtra ſeruorum, publicos noſtros penates tenent. Hæc uobis forma ſanæ ciuitatis uidetur? Tantum hoſtium non ſolum intra muros, ſed in arce, ſupra forum, curiamq́ꝫ: comitia interim in foro ſunt, ſenatus in curia eſt, uelut cum otium ſuperat: ſenator ſententiam dicit, alij Quirites ſuffragium ineunt. Nō quicquid patrum, plebisq́ꝫ eſt, conſules, tribunos, deos, hominesq́ꝫ omnes armatos opē ferre, in Capitolium currere, liberare ac pacare auguſtiſſimam illam domum Iouis optimi maximi decuit? Romule pater, tu mentem tuam, qua quondam arcem ab his iiſdem Sabinis auro captam recepiſti, da ſtirpi tuæ. iube hanc ingredi uiā, quam tu dux, quam tuus ingreſſus exercitus eſt. Primus en ego conſul, quantum mortalis deū poſſum, te, ac tua ueſtigia ſequar.

Quid hoc rei?) Exhortatio eſt ad bellum in cō

muni periculo: aut potius criminatio. Ab impio maxime, atq; iniquo ſuadet. Euerſuri eſtis.) deleturi, extincturi. Diſcedi ab armis.) uultis relinqui, & exui arma. At uos.) ſaltem. Forma ſanæ.) ſpecies, ratio, conditio, ſtatus ſiue modus. Supra forum, curiamq;.) Forum locus erat Romæ, in quo iudicia exercebantur: Curia, in quo ſenatus dabatur, resq; in deliberationem cadentes, rogatis patrum ſeu ſenatorum ſententijs definiebantur. Forum hodie appellemus licebit eum locum Lutetiæ, in quo criminales cauſæ modo dijudicantur. uulgò Caſtellum, ſiue Caſtelletum appellatur. Hoc tantum intereſt, quod Romæ in curia cauſæ criminales nunquam iudicabantur: quæ in Senatu Pariſienſi interim, ut Budæus etiam teſtatur, agitari ſolent. Comitia interim.) Comitia dicta ſunt à coëundo, quod ad ſuffragia ferenda coiretur. Congregationes hodie in Academijs, electionesq; appellantur. Atq; ut alia Romanis conſularia, alia prætoria, itaq; de cæteris magiſtratibus: ita nobis quædam Archiſcholaſtica, quædam procuratoria. Indico, ſeu edico, propria ſunt uerba comitiorum. Veluti lictor, quem Bidellum uocamus, biduo ante comitia in ſtatum diem indicere ſolet, edicere magiſtratus. Haberi autem dicuntur, quum de re conſultatur: quod Liuius hoc loco per uerbum Sum exprimit.

Otium

Otium superat.) suppetit, abundat. Hic *neutrũ uerbum est.*

Argumentum in XIX.

Cæso, cui dictus capitis dies fuerat, in Tuscos exulatum, nequicquam amicis intercedentibus, abierat. Eius pater L. Quintius Cincinatus insequenti anno consul creatus, non immemor, filium Auli Virginij maxime inuidia in exilium relegatum esse, Quiritib. eũ hac concione inuidiosum faciebat.

Concio L. Quintij Cincinati ad populum aduersus A. Virginium. XIX.

AVlus ille Virginius, quia in Capitolio non fuit, minus supplicij, quàm Ap. Herdonius meruit? Plus hercule aliquanto, qui uerè rem æstimare uelit. Herdonius, si nihil aliud, hostem se fatendo, propè denunciauit, ut arma caperetis: hic negando bella esse, arma uobis ademit, nudosq; seruis & exulibus obiecit: & uos (cum C. Claudij pace, et P. Valerij loquar) prius in cliuũ Capitolinum signa intulistis, quàm hos hostes de foro tolleretis. Pudet deorum hominumq;, quum hostes in arce, in Capitolio essent, exulum & seruorũ dux profanatis omnibus, in cella Iouis optimi maximi habitaret. Tusculi ante, quàm Romæ sumpta sunt arma: indubium fuit, utrum L. Manilius Tusculanus dux, an P. Valerius et C.

Claudius consules Romanam arcem liberarent: & qui antè, Latinos ne pro se quidem ipsis, quum in finibus bellum haberent, attingere arma passi sumus, Latini nunc nisi sua sponte arma sumpsissent, capti & deleti eramus. Hoc est, Tribuni, auxilium plebi ferre? inermẽ eam hosti trucidandam obijcere? Scilicet si quis uobis humillimus homo de uestra plebe, quã partem ueluti abruptam à cætero populo uestram patriam peculiaremq́ꝫ remp. fecistis: siquis ex his domum suam obsessam à familia armata nunciaret, ferendum auxilium putaretis. Iupiter optimus maximus exulum atqꝫ seruorum septus armis, nulla humana ope dignus erat: & hi postulant, ut sacrosancti habeantur, quibus ipsi dij neqꝫ sacri, neqꝫ sancti sunt? Etenim diuinis humanisq́ꝫ obruti sceleribus, legem uos hoc anno perlaturos dictitatis. Tũ hercule illo die, quo ego consul sum creatus, male gesta Resp. est: peius multo, quàm quum P. Valerius consul perijt, si tuleritis. Iam primum omnium, Quirites, in Volscos & Equos mihi atqꝫ collegę legiones ducere in animo est. Nescio quo fato magis bellantes, quàm pacati, propitios habemus deos. Quantum periculum ab illis fuerit, si Capitolium ab exulibus obsessum scissent: suspicari, quàm re ipsa experiri, est melius.

Aulus

Aulus ille.) Accusatio est, seu criminatio, in id comparata, ut A. Virginius, cæteriq; trib. pleb. grauiter peccasse credantur, quòd plebem ab armis discedere iussissent in re trepida. Rem æstimare.) perpendere, inspicere, considerare. Existimare ab eo longe differt. Nam re qualibet proposita, uim eius rationemq; ponderamus, ac examinamus: quòd est rem æstimare. Ea ratione uelut expuncta, tum demum intellectu, quod ponderatum sit, qua parte sequi placeat, iudicamus: hoc est existimare.

Herdonius.) Amplificatio est per contrapositum, & comparationem. In cella Iouis.) Cellã, opinor, hic uocat, quod hodie sacellũ appellamus. Liuius alio loco nefas fuisse tradit, cellã unam dijs duob. attribuere. Scilicet si quis.) A minori. Humillimus.) abiectißimus, & conditionis, ut uulgò loquimur, uilißimæ. De uestra.) Homo plebeius, ex plebe, & de plebe, à Liuio pro eodem usurpantur. Ex hoc loco, ut interim moneam, facile apparet, quod suprà docui, plebem populi quandam partem esse. Vt sacrosancti.) Demonstrabo infrà suo loco, quid ita trib. pleb. sacrosancti sint appellati: simul quid sacrum & sanctum sit.

Argumentum in XX.

Contentiones inter patres ac populum ortæ erant de magistratibus, an exacto tempore ijs desti-

nato continuari, an comitia iisdem creandis haberi deberent. Ac quum tribuni de lege Terentilla ante referre uellent, conabantur impedire quo minus comitia haberentur à consulibus. Senatus ea de re in Capitolio habitus: quò tribuni cum plebe perterrita conueniunt. De plebis & tribunorum postulatis relatione consulum Senatusconsulta facta, ut eo anno tribuni legem non ferrent, consules ab urbe copias non educerent. Magistratus continuari, & tribunos refici, iudicant contra remp. esse. Contra sententiam eam senatus, tribuni primum refecti: deinde patres, ne plebi cedere uiderentur, L. Q. Cincinatum consulem reficiebant, quum in patres hac oratione inuectus est.

Oratio L. Q. Cincinati eiusdem aduersus patrum licentiam. XX.

Mirer, si uana uestra, P. C. ad plebem autoritas est? Vos eleuatis eam: quippe quia plebs senatusconsultum in continuandis magistratibus soluit, ipsi quoque solutum uultis, ne temeritati multitudinis cedatis: tanquam id sit plus posse in ciuitate, plus leuitatis ac licentiæ habere. Leuius enim, uaniusque est profectò, sua decreta et consulta tollere, quàm aliorum. Imitamini P. C. turbam inconsultam: & qui alijs exemplo esse debetis, aliorum exemplo peccatis potius, quàm alij uestro rectè faciant:

ciant: dii ego, ne imiter Tribunos, nec me contra senatusconsultum consulem renunciari patiar. Te uerò, C. Claudi, adhortor, ut ipse populum Ro. hac licentia arceas: & de me hoc tibi persuadeas, me ita accepturum, ut non honorẽ meum à te impeditum, sed gloriam spreti honoris auctam, inuidiamq́, quæ ex continuato eo impenderet, leuatam putem.

Mirer, si uana.) *Criminatio est, seu actio uehemens.* Exordium *abruptum quidem est, sed è re ipsa natum.* Vani, *autore* Gellio, *dicuntur mendaces, & infidi, quiq; leuia inaniaq; pro grauibus & ueris astutißime componunt.* Ita *uana autoritas erit, quæ non uero nititur, sed ueri tantum specie.* *Vos eleuatis eam.*) *Eleuare, autore* Budæo, *est leuem, uilemq; uerbis demonstrare.* Metaphora *sumpta à trutina, in qua quæ sursum attolluntur, minoris sunt precij.* Ita *oratio hæc superioris ratio uidebitur.* Nam *qui alterum contemnit, ab eo uicißim contemnatur neceße est.* Ita *fit, ut etiam si plurimum eius autoritas ualeat, apud hunc tamen omnino uilis & leuis habeatur, & maneat.* Cæterum *eleuo et hic aliter sumi potest, pro eo quod dicimus dare umbram, seu materiam aut male uiuendi & agendi, aut dicendi. quod ad sequentia magis pertinet.* *Senatusconsultum.*) *est quod senatus, seu*

curia decreuit. Ne temeritati.) Temerarius is dicitur, qui non consilio, nec ratione, sed leui quadam opinione ad iudicandum agendumq́; ducitur. Temeritas uerò ea est affectio cōparata, qua ita inconsulto & inconsiderate iudicamus, gerimusúe aliquid. Nam qui sic leuiter iudicant & agunt, repetitis actionibus contrahunt quiddam, quod ad eadem eosdem pronos reddit. Plus leuitatis.) id est inconstantiæ, ac mutabilitatis. Ita superiori magis cohærebit: Ipsi quoq; solutum uultis. Hinc enim mobilitas ingeniorum patrum intelligi potest. Leuitas Gellio magis uidetur lenitas quædā, et ut ita dicā, ineptitudo atq; inertia, quæ hominē reddit uilē, omniq́; honore indignū. Ac licentiæ.) Licētia ferè in malam partē accipitur, idq́; pro suaui quadā quidlibet audendi, et faciendi etiā impunè, permißione. Leuius enim.) maioris leuitatis & mutabilitatis signū, seu documentū. Consulem renunciari.) refici, iterū creari. Ita accepturū.) interpretaturū. Leuatam putem.) imminutam.

Argumentum in XXI.

Virginius exempli recti uir, in Algido uitam ducens, Icilio cuidam filiam insigni forma desponderat. Eius stuprandæ libidine captus Appius Claudius Decemuir, ubi nec precibus, nec muneribus pudorem uirginis uinci posse intellexit, M. Claudio cli

enti

enti dat negotium, ut Virginiam in seruitutem asse reret, nec cederet secundum libertatem uindicias dari postulantibus. serua enim sua eam natam diceret. Comprehensa ea quum tandem ad tribunal Appij adducta, in patris aduentum (nam ab urbe aberat) extra patris domum abduci iuberetur: fortè Icilius sponsus interueniens, decreto Appij in hanc sententiam resistebat.

Verba Icilij aduersus Appij decretum, ut sponsa extra domũ paternam maneret. XXI.

FErro hinc tibi submouendus sum, Appi, ut tacitum feras, quod celari uis. Virginẽ ego hanc sum ducturus, nuptam pudicã habiturus. Proinde omnes collegarum quoq; lictores conuoca: expediri uirgas & secures iube: nõ manebit extra domũ patris sponsa Icilij. Nõ, si tribunitiũ auxiliũ, et prouocationẽ plebi Romanę, duas arces tuẽdę libertatis ademistis, ideo in liberos quoq; nostros, cõiugesq; regnũ uestræ libidini datum est. Sæuite in tergũ, & in ceruices nostras: pudicitia saltem in tuto sit. Huic si uis afferetur: ego præsentium Quiritiũ pro sponsa, Virginius militum pro unica filia, omnes Deûm hominumq; implorabimus fidem: neq; tu istud unquam decretum sine cæde nostra referes. Postulo, Appi, etiam atq; etiam consideres, quò progrediare. Virginius uiderit de

filia, ubi uen erit, quid agat. Hoc tantum sciat, si ipse huius uindicijs cesserit, conditionem filiæ quærendam esse. Me uindicantem sponsam in libertatem, uita citius deseret, quàm fides.

Vt tacitum feras.) accipias, consequare sine impedimento, ut loquimur. Omnes collegarum.) Collegæ nouem erant Appij, quorum singulis lictores aderant duodeni, Appio ipsi totidem. Non si tribunit.) Quum Decemuiri consulari potestate creati sunt, cautum fuerat, consentiente etiã plebe, quanquam non sponte, ne quis alius magistratus eßet. Ita simul tribunitia potestas, & prouocatio sublata. Prouocatione fiebat, ut ex plebe homines, si cui dies dicta male succederet, appellarent tribunos. Expediri uirgas.) expromi, proferri, afferri. In tuto sit.) quod dicimus, in securitate.

Implorabimus fidem.) efflagitabimus opem & auxilium. Huius uindicijs.) C. Claudij clientis ipsius Appij. Gulielmus Budæus enarrans locos aliquot tertij huius, Vindicijs secundum libertatem à Liuio intelligi docet, poßeßionem libertatis. Virginiæ, dũ pater accersitur, de conditioneq́; serua, an libera esset, exercetur quæstio. Ita dare uindicias secundum libertatem, decernere est, ut maneat in libertate: quemadmodum postulare uindicias secundum libertatem, postulare ut eo tempore in liberta

te

te esse sinatur. Cedere autem uindicijs secundũ seruitutem, est non impedire quo minus serua fiat, seu quod dicimus, non procedere ut perpetuò maneat in libertate, contra aduersarium. Rationibus *contrarijs contraria definies.* Conditionem.) *id est, seruáne an libera sit.*

Argumentum in XXII.

Huius principium ad finem superioris pertinet. Vindicatio Virginiæ in posterum diem dilata. Virginium patrem interim parentes propere acciri iubent ex castris: qui cum decretis uindicijs secundum seruitutem, ab assertore M. Claudio filiam comprehendi uideret, ira concitatus, manus in Appium intentans, his uerbis eum incessit:

Verba Virginij patris aduersus Appium XXII.

ICilio Appi, non tibi, filiam despondi: & ad nuptias, non ad stuprum educaui. Placet pecudum ferarumq; ritu promiscuè in concubitus ruere? Passurine hoc isti sint, nescio: non spero esse passuros illos, qui arma habent.

Argumentum in XXIII.

Quum Romæ libidinis Appij fœdo exitu omnia perturbata essent, Virginius in castra, quæ tũ in monte Vercillo erant, rerum euentu permotus uenit. Ibi militibus ordine, ut quicq; gestum erat,

re

re exposita, ostentans ferrum quo Virginiam filiã transfixißet, omnia motu compleuit. Rei atrocitate milites commoti, in Auentinum proficiscuntur: ubi Virginius quum decem creari debere censeret, qui summæ rerum præeßent: consilio, sententiaq́; approbata, omnes ad eum primum potestatem deferebant: quam ita recusasse fertur:

Verba Virginij ad milites, quibus honorem sibi delatum recusauit. XXIII.

MElioribus meis, uestrisq́; rebus reseruate ista de me iudicia. Nec mihi filia in uita honorem ullum iucundum esse patitur: nec in perturbata re eos utile est præesse nobis, qui proximi inuidiæ sint. Si quis usus mei est, nihilo minor ex priuato capietur.

Melioribus meis.) Ratio est ut breuis, ita artificiosa, recusandi honoris in rebus afflictis. Nec mihi filia.) Virginiam intellige, cuius pectus transfixerat, quum in libertatem uindicari posse non uideretur. Nec in perturbata.) afflicto & calamitoso statu. Si quis usus.) utilitas, fructus. quod uulgò dicimus, si quid possim seruire. Ex priuato.) Priuatus est, qui non gerit magistratum, modo consequi poßit. Capere cum ex præpositione, hic sumitur pro eo quod uulgò dicimus recipere, seu ualere. Ex prædio mille scutatos nummos quotannis

tannis capio: id est, tanti mihi ualet.

Argumentum in XXIIII.

Hoc *ad finem prioris pertinet.* Ex *Auentino in Sacrum montem non ita multo pòst transijt plebs tota, autore* M. Duillio, *qui trib. pleb. fuerat: ob idq́; maxime, quod diutius passuri non essent tribunatum abrogatum.* Quod *ubi* Romam *nunciatum fuit, extemplò in senatum patres conueniunt, ubi de re ipsa consultarent.* Eorum *multi, in quibus* Horatius *&* Valerius, *in hunc modū uociferabantur.*

Verba *seniorum patrum ad* Patres *&* Decemuiros, *de* Decemuiratus *abdicatione, &* Tribunatus *ple. instauratione.* XXIIII.

QVid expectabitis? P. C. Si Decemuiri finem pertinaciæ non faciunt, ruere, et deflagrare omnia passuri estis? Quod autē istud imperiū est, Decemuiri, quod amplexi tenetis? Tectis ac parietib. iura dicturi estis? Nō pudet, lictorum uestrorū maiorē propè numerū in foro conspici, quàm togatorū, aliorumq́ue? Quid si hostes ad urbē ueniant, facturi estis? Quid si plebs mox ubi parum secessione moueamur, armata ueniat? Occasu ne urbis uultis finire imperiū? Atqui aut plebs nō est habenda, aut habēdi sunt trib. pl. Nos citius caruerimus patricijs magistratib. quàm illi plebeijs. Nouā inexpertam

inexpertam eam eripuere patribus nostris: ne nunc dulcedine semel capti ferant desiderium, quum præsertim nec nos temperemus imperijs, quo minus illi auxilij egeant.

Quid expectab.) Deliberatio est, *admixta inuectiuæ.* *Finem pertinaciæ.*) *id est, si nunquam abire magistratu uoluerint.* Decemuiri, *quum anno finiretur imperium, iam tertio anno magistratū continuabant, seq́; ipsi principio anni suo iure reficiebant.* *Iura dicturi.*) Ius dicere, *est ferre sententiam etiam in inuitū, quæ sequenda proponatur, constituta in eū pœna qui neglexerit, aut cōtrà quàm ferat fecerit.* Ita *solis iudicibus ius dicere licet.* Inde *iurisdictio, pro potestate dicendi ius.* *Non pudet.*) *Singulis enim* Decemuiris *duodeni lictores fasces præferebant.* Atqui *ex ductu decem in duodecim, centumuiginti conficiuntur: qui numerus in tāta solitudine maximus uideri poterat.* *Quàm togatorum.*) *Togatorum nomine proprie* Romani *intelliguntur, quod togis ferè uterentur, posita prætexta.* Togam *non fuisse omnium* Romanorum, *ex hoc loco facile apparet: quod & Lazarus Bayfius in re* Vestiaria *tradit: quem, si plura de toga requiras, uide: quanquam & nos infrà de generibus togarum plura trademus.* *Patricijs magist.*) Patricij *magistratus sunt, qui ijs modo qui à patribus genus*

tius duxißent, patebat: qualis tum erat consulatus, decemuiratus: postea prætura. Plebeij autem erant, qui ex plebe solum hominibus itidem patebant: cuiusmodi erat tribunatus plebis.

Argumentum in XXV.

Decemuirorum maxime culpa plebs in Auentinum primùm, deinde in Sacrum montem secesserat, quod finito imperij tempore abire magistratu nollent. Ii seditionibus tumultibusq; coacti, quum se in patrum potestate futuros prædicarent, mißi Horatius & Valerius in Sacrum montem ad plebem conditionibus quibus uideretur reuocandam. Multitudo ipsa quum tribunitiam potestatem, & prouocationem se repetere uelle dicerent, tum demum in hanc sententiam de postulatis legati locuti sunt.

Verba legatorum Valerij & Horatij ad postulata plebis in Sacro monte. XXV.

ADeò æqua postulastis, ut ultro deferenda fuerint. Libertati enim ea præsidia petitis, non licentiæ ad impugnandum alios. Iræ ueſtræ magis ignoſcendum, quàm indulgendum eſt: quippe qui crudelitatis odio in crudelitatem ruitis: & prius penè, quàm liberi ſitis, dominari iam in aduerſarios uultis. Nũquã ne quieſcet ciuitas noſtra à ſupplicijs, aut

patrum in plebem Romanam, aut plebis in patres? Scuto magis uobis, quàm gladio opus est. Satis superq; humilis est, qui iure æquo in ciuitate uiuit, nec inferendo iniuriam, nec patiendo etiam. Siquando metuendos uos præbituri estis, quum recuperatis magistratibus, legibusq; uestris, iudicia penes uos erunt: de capite nostro, fortunisq; tunc, ut quæq; causa erit statuetis. Nunc libertatem repeti satis est.

Adeò æqua.) Responsio ad postulata, cum tacita criminatione. Vt ultro deferrē.) Defero *præter notam significationem, quiddam latens & non cuilibet expositum significat.* Idem *Liuius 3.* eodem *ab Vrbe: Quum ad eum (inquit) primum is honos deferretur.* Et *primo: Ad unum omnes* Numæ Pō*pilio regnum deferendum decernunt.* Ita *nunc accusandi casum cum datiuo, nunc cū accusatiuo altero cui* Ad *præpositio adiecta sit, exigit, pro eo quod dicimus eligo, tribuo, siue offero, & trado.* Condi*tiones lætæ* Budæo *deferuntur. quod dicas, bonæ partes offeruntur.* De *capite.) Statuere de aliquo id est, quod sententiam ferre, & deliberare: quod uulgò dicimus facere de casu alicuius, siue ordinare. Quid de* Ioanne *in Senatu statutum? quod uulgò dicitur, quid factum fuit de* Ioanne, *siue ordinatum?* Ordinatum *est, ut occideretur. statutū de*

ipso

ipſo eſt capitis ſupplicium, ſiue pœna. Scio, diutius immoror in ijs: cæterum ſanari barbaries aliter nō poteſt. Ita ſtatuere de capite, eſt de uita ſententiam ferre: Nā caput ferè pro uita ſumitur, quòd per ipſum uita petatur, & auferatur. Hinc capitis pœna, qua uita tollitur.

Argumentum in XXVI.

Legati mandata plebis quum patribus expoſuiſſent, decemuiri omnes præter Appium non abnuebant quin magiſtratum deponerent. Vnus itaq; Appius perſtabat: qui tandem pudore coactus, in hæc uerba ſe uelle abire decemuiratu profeſſus eſt.

Appij uerba dum magiſtratu ſe abdicare uellet. XXVI.

HAud ignaro imminet fortuna. Video donec arma aduerſarijs tradantur, differri aduerſus nos certamen. Dandus eſt inuidiæ ſanguis. Nihil ego quidem moror, quo minus decemuiratu abeam.

Nihil ego quidem moror.) non impedio. Decemuiratu.) Abire magiſtratu, abdicare ſe magiſtratu, peculiaria ſunt T. Liuio, pro eo quod dicitur etiam latine, deponere officium & magiſtratū. Cras Rector deponetur, Cras Archiſcholaſticus abibit magiſtratu.

Argumentum in XXVII.

Qu um ingenti omnium lætitia magiſtratu ab-ijſſent Decemuiri, mißi ſunt legati, qui plebi omnia quæ geſta erant exponerent, interq; alia monerent, ut ad patriam redirent. Ii ad hanc ſententiam egerunt.

Oratio legatorum ad plebem, ut in urbem rediret. XXVII.

QVod bonum, felix, fauſtumq́ſ ſit uobis, reiq́ſ publicæ: redite in patriam ad penates, coniuges, liberosq́ſ ueſtros. Sed qua hic modeſtia fuiſtis, ubi nullus ager in tot uſu rerum neceſſario tantæ multitudini eſt uiolatus, eam modeſtiam ferte in urbem. In Auentinum ite, unde profecti eſtis. Ibi felici loco, ubi prima initia inchoaſtis libertatis ueſtræ, tribunos plebis creabitis. Præſtò erit pontifex maximus, qui comitia habeat.

Argumentum in XXVIII.

Creati tribuni pleb. confirmata lege de prouocatione, ſingulos aggrediuntur, qui facinus aliquod adhuc impune auſi fuerant. Deligunt primum A. Virginiũ tribunum pl. accuſatorem: Appiũ, qui decemuir fuerat, reũ. Accuſator ſic aduerſus reũ egit.

Actio A. Virginij aduerſus Appium reum.

ORatio rebus dubijs inuenta eſt. Itaq; ne que ego accuſando apud uos eum, tempus terram, à cuius crudelitate uoſmet

ipſi

ipsi armis uindicastis: nec istum ad cætera scelera, impudentiam in defendendo se adijcere patiar. Omnium igitur tibi, Appi Claudi, quæ impie, nefarieq; per biennium alia super alia es ausus, gratiam facio. Vnius tantum criminis nisi te uindices, ab libertate in seruitutem contra leges uindicias non dedisse: in uincula te duci iubeo.

Oratio rebus.) *Damnationis magis speciem, quàm simplicis accusationis habet. Ab aduersarij persona exorditur.* Accusando.) *Accusandi uerbo, eiusdemq; generis cæteris, uulgò addi solet datiuus eius, ad quem defertur crimen: quum accusandi casum cum apud præpositione, si autores probatos audiamus, exigant. ueluti, accusabo te præceptori, dicimus, pro quo apud præceptorem dicendum est.*

Gratiam faciam.) *Gratiam facere, uerbum est Gallico uocabulo proximum, pro eo quod dicimus parco, ignosco, do ueniam: sed addi debet genitiuus criminis.* Vnius tantum criminis.) *Aut Græcos imitatus, uerbo Vindices genitiuum iunxit, ut coniunctæ hæ sint partes, Vnius criminis nisi te uindices: aut in his genitiuis ablatiuus intelligi debet, uel nomine, uel causa.* Ab libertate in seruitutem.) *Hoc pertinet ad factum Appij, qui postulantibus amicis uindicias dari secundum libertatem, pernegauerat se decreturum. Ita hoc ipso nomine, quod*

non dedisset, actionem in eum intendit. Hic *locus ita explicabitur: in uincula te duci iubeo, te non dedisse, quod non dederis, uindicias ab libertate in seruitutem, id est quod in libertatis præsido filiam esse non permisisti, dum accerserer.*

Argumentum in XXIX.

Ingenti iam metu patres perculsi erant, quod tribuni pleb. in iudicijs, quibus iam Ap. *Claudium &* Sp. *Oppium in uincula coniecerant,* C. *Claudium in exilium miserant: longe seueriores, quàm* Decē*uiri uiderentur.* M. D*uillius tribunus ple. quum id comperisset, patres in hanc sententiam ad spem libertatis reuocare conabatur.*

Pronunciatio M. D*uillij tribunipl. quum potestati tribunitiæ modum fecißet.*

ET libertatis nostræ, et pœnarum ex inimicis, satis est. Itaq; hoc anno nec diem dici cuiquã, nec in uincula duci quẽquã sum passurus. Nã neq; uetera peccata repeti iã obliterata placet, quũ etiã noua expiata sint Decẽuirorum supplicijs: et nihil admissum iri, quod uim tribunitiam desideret, spondet perpetua consulũ amborũ in libertate uestra tuẽda, cura.

Diem dici.) *Diem dicere, est uadimonio, id est sponsione sistendi in iudicio, sed ferè capitali obstringere.* Obliterata.) *aut deleta, aut altius repetita,*

petita, quàm pro memoria hominum. Expiata.) *purgata.*

Argumentum in XXX.

Valerius consul aduersus coniunctos iam in Algido exercitus Equorum & Volscorum bellum sustinebat. Castris iam tantisper copias continuerat, dum pars hostium in Hernicos, pars in Latinos iā propè de uictoria certi, ad prædam agendam contendissent: quum signa inferri iubet. Quo bello pedites multo sermone adhortatus ad egregie pugnandum, equites his uerbis incitauit.

Adhortatio Valerij consulis ad equites, ut fortiter pugnent. XXX.

AGite, iuuenes, præstate uirtute peditem, ut honore atq; ordine præstatis. Primo concursu pedes mouebit hostem, pulsum uos immissis equis exigite campo. Nō sustinebunt impetum: & nunc cunctantur magis, quàm resistunt.

Præstate uirtute.) Præsto tibi uirtute, usitatius quàm præsto te, pro uinco, supero, excello. Atq; *ordine.) Equitū enim ordo in bello longe prior est & dignior peditum ordine. Hoc enim loco sumitur pro eo quod uulgò dicimus statum. Sed refertur ad rem militarem. Nam si ad ciuitatem pertineat, tres tantūm fuisse Romæ ordines, ex senten-*

tia Plinij Budæus noster docet: senatorium, equestrem, & plebeium. Possumus hodie commode appellare ordines in supplicationibus: ueluti ordinē philosophorum, iurisperitorum, medicorum, theologorum: quemadmodum & in ciuitate ordo est senatorius. Exigite.) *fundite, pellite.*

Argumentum in XXXI.

De *uictoria Valerij contra Volscos atq; Equos factus certior Horatius collega Valerij, in hanc sententiam milites ad strenue pugnandum aduersus Sabinos adhortabatur.*

Exhortatio Horatij *consulis ad suos.* XXXI.

QVemadmodum in Algido res gesta sit, arbitror uos, milites, audisse. Qualem liberi populi exercitum decuit esse, talis fuit. Consilio collegæ, uirtute militum uictoria parta est. Quod ad me attinet, id consilij animiq; habiturus sum, quod uos milites mihi effeceritis. Et trahi bellum salubriter, & maturè perfici potest. Si trahendum est: ego, ut in dies spes utriusq; uestra crescat, eadem qua institui disciplina efficiam. Si satis animi est, decerniq; placet, agite dum, clamorem, qualem in acie sublaturi estis, tollite hinc, indicem uoluntatis uirtutisq; uestræ.

Argumentum in XXXII.

Discordijs ciuium, quæ iam non ultra reprimi po-

poterant, fiebat, ut conciones etiam de qualibet re fieri impedirentur. Quod posteaquam Equis Volscisq; compertum fuit, coniunctis exercitibus, primum agros circa omnes uastabant: deinde quũ Romanos id etiam negligere uidißent, ad mœnia Vrbis populabundi accessere. Tum Q. Capitolinus concione populi uocata, hac oratione periculi magnitudinem, reiq; indignitatem exposuit.

Concio T. Q. Capitolini quartùm consulis, ad populum Romanum. XXXII.

Etsi mihi nullius noxæ conscius, Quirites, sum, tamen cum pudore summo in concionem uestram processi, hoc uos scire, hoc posteris memoriæ traditum iri: Equos & Volscos uix Hernicis modo pares, T. Quintio quartùm consule ad mœnia urbis Romæ impune armatos uenisse. Hanc ego ignominiam (quanquam iamdiu ita uiuitur, is status rerum est, ut nihil boni diuinet animus) si huic potissimum imminere anno scissem: uel exilio, uel morte (si alia fuga honoris non esset) uitassem. Ergo si illa arma uiros habuissent, quæ in portis fuere nostris: capi Roma me cõsule potuit? Satis honorum, satis superq; uitæ fuit: mori tertium consulem oportuit. Quem tandem ignauissimi hostium contempsere? nos consules, an uos Quirites? Si culpa in nobis est, auferte

tia Plinij Budæus noster docet: senatorium, equestrem, & plebeium. Possumus *hodie commodè appellare ordines in supplicationibus: ueluti ordinē philosophorum, iurisperitorum, medicorum, theologorum: quemadmodum & in ciuitate ordo est senatorius.* Exigite.) *fundite, pellite.*

Argumentum in XXXI.

De *uictoria* Valerij *contra* Volscos *atq;* Equos *factus certior* Horatius *collega* Valerij, *in hanc sententiam milites ad strenue pugnandum aduersus* Sabinos *adhortabatur.*

Exhortatio Horatij *consulis ad suos.* XXXI.

QVemadmodum in Algido res gesta sit, arbitror uos, milites, audisse. Qualem liberi populi exercitum decuit esse, talis fuit. Consilio collegæ, uirtute militum uictoria parta est. Quod ad me attinet, id consilij animiq; habiturus sum, quod uos milites mihi effeceritis. Et trahi bellum salubriter, & maturè perfici potest. Si trahendum est: ego, ut in dies spes utriusq; uestra crescat, eadem qua institui disciplina efficiam. Si satis animi est, decerniq; placet, agite dum, clamorem, qualem in acie sublaturi estis, tollite hinc, indicem uoluntatis uirtutisq; uestræ.

Argumentum in XXXII.

Discordijs ciuium, quæ iam non ultra reprimi po-

poterant, fiebat, ut conciones etiam de qualibet re fieri impedirentur. Quod posteaquam Equis Volscisq́; compertum fuit, coniunctis exercitibus, primum agros circà omnes uastabant: deinde quũ Romanos id etiam negligere uidißent, ad mœnia Vrbis populabundi accessere. Tum Q. Capitolinus concione populi uocata, hac oratione periculi magnitudinem, reiq́; indignitatem exposuit.

Concio T. Q. Capitolini *quartùm consulis, ad populum* Romanum. XXXII.

Etsi mihi nullius noxæ conscius, Quirites, sum, tamen cum pudore summo in concionem ueſtram processi, hoc uos scire, hoc posteris memoriæ traditum iri: Equos & Volscos uix Hernicis modo pares, T. Quintio quartùm consule ad mœnia urbis Romæ impune armatos uenisse. Hanc ego ignominiam (quanquam iamdiu ita uiuitur, is ſtatus rerum eſt, ut nihil boni diuinet animus) si huic potissimum imminere anno scissem: uel exilio, uel morte (si alia fuga honoris non esset) uitassem. Ergo si illa arma uiros habuissent, quæ in portis fuere noſtris: capi Roma me cõsule potuit? Satis honorum, satis superq́; uitæ fuit: mori tertium consulem oportuit. Quem tandem ignauissimi hoſtium contempsere? nos consules, an uos Quirites? Si culpa in nobis eſt, auferte

imperium indignis: et si parum est, insuper pœnas expetite. Si in uobis: nemo Deorũ, nec hominum sit, qui uestra puniat peccata, Quirites uosmet tantum pœniteat. Non illi uestram ignauiam contempscere, nec suæ uirtuti confisi sunt. Quippe toties fusi, fugatiq́ꝫ, castris exuti, agro mulctati, sub iuga missi, & se & uos nouere. Discordia ordinũ est uenenum urbis huius. Patrum & plebis certamina, dum nec nobis imperij, nec uobis libertatis est modus, dũ tædet uos patriciorum, hos plebeiorum: sustulere animos. Proh Deum fidẽ: quid uobis uultis? Tribunos pl. concupistis: concordiæ causa concessimus. Decemuiros desiderastis: creari passi sumus. Decemuirorũ uos pertæsum est, abiere magistratu. Manente in eosdem priuatos ira uestra, mori, atq; exulare nobilissimos uiros atque honestissimos passi sumus. Tribunos ple. iterum creare uoluistis: creastis. Consules facere uestrarum partium, & si patribus uidebamus iniquum: patricium quoq; magistratum plebi donum fieri, uidimus. Auxilium tribunitium, prouocationem ad populum, scita plebis iniuncta patribus sub titulo æquandarum legum: nostra iura oppressa tulimus, & ferimus. Qui finis erit discordiarum? ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc patriam esse licebit? Victi nos æquiore a-

animo quiescimus, quàm uos uictores. Satisne est, nobis uos metuendos esse? Aduersus nos Auentinum capitur, aduersus nos Sacer occupatur mons. Esquilias quidem ab hoste propè captas: & scandentem in aggerem Volscum hostem nemo submouit: in nos uiri, in nos armati estis. Agitedum, ubi hic curiam circunsederitis, & forum infestum feceritis, & carcerẽ principibus impleueritis: ijsdem istis ferocibus animis egredimini extra portam Esquilinam: aut si ne hoc quidem audetis, ex muris uisite agros uestros ferro igniq; uastatos, prædam abigi, fumare incensa passim tecta. At enim communis res per hæc loco est peiore: ager uritur: urbs obsidetur: belli gloria penes hostes est. Quid tandem priuatæ res uestræ, quo in statu sunt? Iam unicuiq; ex agris sua damna nũciabũtur. Quid est tandem domi, unde ea expleatis? Tribuni amissa reddent, ac restituent? Vocis, uerborumq;, quantum uoletis, ingerent, & criminũ in principes, & legum aliarum super alias & concionum. Sed ex illis concionibus nũquã uestrum quisquam re fortuna domum auctior rediјt. Ecquis retulit aliquid ad coniugem & liberos præter odia, offensiones, simultates publicas, priuatasq;? à quibus semper non uestra uirtute, innocentiaq;, sed auxilio alieno tutati sitis. At Hercules quum stipendia nobis con-

sulibus,

ſulibus,non tribunis ducibus:& in caſtris,non in foro faciebatis:& in acie ueſtrum clamorem hoſtes,non in concione patres Romani horre bant:prꝫda parta agro ex hoſte capto.pleni for tunarum,gloriæq́;,ſimul publicæ,ſimul priua tę,triumphantes domum ad penates redibatis: nunc oneratum ueſtris fortunis hoſtem abire ſinitis. Hærete affixi concionibus, & in foro ui uite:ſequitur uos neceſſitas militandi,quam fu gitis. Graue erat in Equos & Volſcos proficiſ- ci:ante portas eſt bellum. Si inde non pellitur, iam intra mœnia erit, & arcem & capitoliũ ſcã dent,& in domos ueſtras uos perſequentur. Biennio antè ſenatus delectum haberi,& edu- ci exercitum in Algidum iuſſit: ſedemus domi deſides,mulierum ritu altercantes inter nos, prꝫſenti pace læti:nec cernẽtes,ex otio illo bre- ui multiplex bellum rediturum. His ego gratio ra alia dictu ſcio:ſed me uera pro gratis loqui, & ſi meum ingenium non monet,neceſſitas co git. Vellem equidem uobis placere, Quirites: ſed multò malo uos ſaluos eſſe,qualicunq; er- ga me animo futuri eſtis. Natura hoc ita com- paratum eſt,ut qui apud multitudinẽ ſua cau- ſa loquitur,gratior eo ſit,cuius mens nihil præ ter publicum commodum uidet: niſi fortè aſ- ſentatores publicos, plebicolas iſtos, qui uos nec in armis,nec in otio eſſe ſinunt, ueſtra uos

cauſa

causa incitare & stimulare putatis. Concitati, aut honori aut quæstui illis estis: & quia in concordia ordinum nullos se usquam esse uident, malæ rei se, quàm nullius, turbarum ac seditionum duces esse uolunt. Quarum rerum si uos tædium tandem capere potest, & patrum uestrosq; antiquos mores uultis pro his sumere: nulla supplicia recuso, nisi paucis diebus hos populatores agrorum nostrorum fusos, fugatosq; castris, ex muro, & à portis nostris mœnibusq;, ad illorum urbes hunc belli terrorē, quo uos nunc attoniti estis, transtulero.

Et si mihi.) *suasio est belli, in qua exordium à persona eius qui dicit, petitur.* Equos & Volscos.) *Propositio est quædam rei, quæ ceu indigna euenerat, ad quam tota pertinet deliberatio.* Tertiùm consulem.) *Tertiùm hoc loco non est adiectiuum, ut dicatur mori Quintius tertius consul: sed aduerbium.* Longe *refert, tertióne quis consul dicatur, an tertiùm,* Gellio *autore.* Tertiùm, *innuit tempus: ut is tertiùm consul intelligatur, qui bis antè geßerit consulatum.* Tertiò, *ordinem magis significat: isq; tertiò consul appellatur, ante quem duo tātum consules fuerunt. Quod ut distingui possset, accentu graui notaui,* Quintilianum *secutus, qui in uocabulis quoties difficilis est distinctio, nominâne*

an quæ aliæ orationis partes sint, apicibus additis monendos esse lectores tradit. Quem tandem.) Totus hic locus complexione constat, quæ ad mouendos affectus, & refutandum est potentissima.

Pœnas expetite.) *affligite nos pœna, sumite pœnas supplicium de nobis.* Non illi.) Hostes *in contemptum adducit, taciteq́; à facili exhortatur.* Discordia ordinum.) Sententia. Concessimus.) *permisimus, dedimus, & quod uulgò dicimus, tribuimus.* Nam *superuacaneum erat monere, concedo pro do mutuo, barbarum uerbum esse, nisi passim eo uteremur.* In eosdem.) *postquam abiere* Decemuiratu. Mori.) *ut* Appiũ Claudiũ, *qui in carcere prius quàm constituta dies uenißet, sibi mortem consciuit: ut* Oppiũ, *qui in carcere ante iudicij diẽ itidem extinctus est.* Atq; exulare.) *ut cæteros octo, qui collegæ* Appij & Oppij *fuerant.* Creastis.) *reuocata iterum plebe à Sacro monte.* Consules facere uestrarum partium.) *qui uobis fauebant, qui erant uestræ factionis. Ii fuerunt,* L. Valerius, & M. Horatius: *qui ut primum magistratum inierunt, potestatem tribunitiam ad summũ fastigium euexerunt.* Patricium quoq;.) De *duobus, opinor, patricijs consularibus hoc intelligendum est, qui cooptati sunt à* X *tribunis ple. quum antea plebeijs modo tribunatus pateret. Sub titulo*

titulo.) sub specie. Nostra iura oppreßa.) Id contigit, quũ sine autoritate senatus, populi iussu triumpharunt consules supradicti. Antè nemini triumphus decernebatur, nemini triumphare licebat, sine patrum autoritate. At Hercules.) Antitheton, siue contrapositum. Hærete.) A necessario ducitur argumentum. Delectũ haberi.) Deligere, & delectũ habere, seu adhibere, idem efficiunt, scilicet ex pluribus, quæ ad rem propositã perficiẽdã accommodatiora & utiliora sint, ratione ac cõsilio quærere & inuestigare. Hoc tamen interest, quòd deligere unũ etiã possumus, delectũ uerò habere nisi pluriũ, non dicimur. Biennio antè.) Antithetõ rursus in amplificatione. His ego.) Anthypophora est, itẽ proxima. Videtur mitigatio exhortationis. Natura hoc.) Naturæ uocabulo & passim, & quotidie in significationes etiã diuersas utimur: cæterum uix aliud afferre possumus, quàm Gallicum & uulgare uerbum. Quæ fuit causa, ut hac in parte consultò longius immorari placuerit. Naturam Aristoteles 5. Metaphysicorum, quod ad rem præsentem attinet, definit generationẽ omniũ nascentium, & pullulantium: ut manifestè appareat, quum dicimus quippiam nobis à natura insitum esse: à natiuitate nostra, seu generatione, esse intelligen

intelligendum. Quo fit, ut Claudius Galenus naturam uocet contemperamentum, proportionemq́; in animali affectionum quatuor, quas Physici primas uocant, quibusq́; omnia constant, humoris, caloris, frigiditatis, & siccitatis: ex quarum contemperamento uario ac multiplici, alij ad alia sunt aptiores. Ita fit, ut quum Quintilianus docet unumquenq; ducendum esse quò eum sua natura trahat: natura sumenda sit aut pro ipso contemperamēto, aut pro lege quadam, quæ nos uel accommodos, uel incommodos rei cuilibet efficit, inde contracta. Hinc naturæ uocabulo idem Quintilianus modò ingenium intelligit, modò uim & proprietatem ingenij. Nec negauerim, quum aliquid à natura nobis inditum esse dicimus, quin natura sumi poßit pro eo quod Galenus definit. Comparatum est.) acquisitum, contractum, imbutum, inditum, insitum, datum. Nisi forte.) Ironia. Turbarum.) Turba hic non capitur pro multitudine ipsa, sed pro tumultu. Budæus ex sententia Labeonis à Græco τύρβη deducit, quæ uox Græcis idem significat, quod nobis tumultus. Quarum rerum.) Peroratio est. Si uos tædium.) quod uulgò dicimus, si estis fastiditi. Nulla supplicia.) quod barbarè dicas, sum contentus pati omnia tormenta, si non, & cætera.

EX LIBRO QVARTO AB VRBE.

Argumentum in XXXIII.

C. Canuleius Tribunus pleb. cæteriq́; octo, anni principio rogationes promulgauerunt de connubio patrum & plebis, ut alter consulum ex plebe fieret. Ac tantum aberat ut utrumlibet patres approbarent, ut etiam si hoc fieret, transferri à primoribus ad plebem summam imperij: illo contaminari sanguinem suum, confundiq́; iura gentium rerentur. Quum ita sententijs uariaretur, forte Veientes, alijq́; populi arma sumpserant aduersus Romanos: contra quos quum delectum haberi patribus placeret, Canuleius unus aduersus omnes delectum haberi, se nunquam prius passurum pronunciabat, quàm rata confirmataq́; essent, quæ à se, collegisq́; fuissent promulgata. Qua de re consules ad patres in senatu aduersus Tribunos pleb. maxime Canuleium, concionem habuerunt: quo tempore & Canuleius hac cõcione plebẽ aduersus patres concitabat.

Concio C. Canuleij Tribuni pleb. ad plebem pro rogationib. promulgatis. XXXIII.

QVantopere uos, Quirites, contemnerẽt patres, quàm indignos ducerent, qui una secum urbe intra eadem mœnia uiue-

reris: sæpe equidem & ante uideor animaduertisse, nunc tamen maxime, quòd adeò atroces in has rogationes nostras coorti sunt. Quibus quid aliud quàm admonemus ciues, nos eorũ esse? &, si non easdem opes habere, eandem tamen patriam incolere? Altera connubium petimus, quod finitimis, externisq́ dari solet: nos quidem ciuitatem, quæ plus quàm connubiũ est, hostib. etiã uictis dedimus. Altera nihil noui ferimus, sed id quod populi est, repetimus: atq; usurpamus ut quib. uelit, pop. Ro. honores mandet. Quid tandem est, cur cœlum ac terras misceant? cur in me impetus modo penè in senatu sit factus? Negent se manibus temperaturos, uiolaturosq́ denuncient sacrosanctam potestatem, si populo Ro. liberum suffragium datur, ut quibus uelit, consulatum mandet: & nõ præciditur spes plebeio cuiq;, si dignus summo honore erit, adipiscendi summi honoris: stare urbs hæc non poterit: de imperio actum est. Et perinde hoc ualet, plebeius'ne consul fiat, tanquam seruum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat. Ecquid sentitis, in quanto contemptu uiuatis? Lucis huius uobis partem si liceat, adimant: quod spiratis, quod uocem mittitis, quod formam hominum habetis, indignantur. Quinetiam, si Dijs placet, nefas aiũt esse, consulem plebeium fieri. Obsecro uos, si

non

non ad fastos, non ad commentarios Pontificum admittimur: ne ea quidem scimus, quę omnes peregrini etiam sciunt, consules in locum regum successisse, nec aut iuris aut maiestatis quicquam habere, quod non regibus antè fuerit? En unquam creditis fando auditum esse, Numam Pompilium non modo non patriciũ, sed ne ciuem quidem Romanum, ex Sabino agro fuisse accitum populi iussu, patribus autoribus Romæ regnasse? L. deinde Tarquinium non modo non Romanæ, sed ne Italicæ quidẽ gentis, Demarathi Corinthij filium, incolam, à Tarquinijs, uiuis liberis Anci, regem factũ? Seruium Tullium post hunc captiua Corniculana natum, patre nullo, matre serua, ingenio & uirtute regnum tenuisse? Quid enim de T. Tatio Sabino dicam? quem ipse Romulus parens Vrbis in societatem regni accepit? Ergo dum nullum fastiditur genus, in quo eniteret uirtus, creuit imperium Romanum. pœniteat uos nunc plebeij consulis, quum maiores nostri aduenas reges non fastidierint, & ne regibus quidem exactis clausa Vrbs fuerit peregrinæ uirtuti. Claudiam gentẽ, certe post exactos reges, ex Sabinis non in ciuitatem modo accepimus, sed etiam in patriciorum numerum. Ex peregrino patricius, deinde consul fiat: ciuis Romanus si sit ex plebe, præcisa consulatus

 spes

ſpes erit? Vtrum tandem non credimus fieri poſſe, ut uir fortis, ac ſtrenuus, pace belloq́ bonus, ex plebe, Numæ ſit, Lucio, Tarquinio, Seruio, Tullio ſimilis? An ne ſi ſit quidem, ad gubernacula Reipublicæ accedere eum patiemur, potiusq́ decemuiris teterrimis mortaliũ, qui tũ omnes ex patribus erant, quàm optimis regũ nouis hominibus ſimiles conſules ſumus habituri? At enim nemo poſt reges exactos de plebe conſul fuit. Quid poſtea? Nulla'ne res noua inſtitui debet? & quod nondum eſt factũ, (multa enim nondum ſunt facta in nouo populo) ean'e ſi utilia quidem ſint, fieri oportet? Pontifices, augures Romulo regnante nulli erant: ab Numa Pompilio creati ſunt. Cenſus in ciuitate, & deſcriptio centuriarum claſſiumq́ non erat: ab Seruio Tullio eſt facta. Conſules nunquam fuerant: regibus exactis creati ſunt. Dictatoris nec imperiũ, nec nomen fuerat: apud patres eſſe cœpit. Tribuni plebis, ædiles, quæſtores nulli erant: inſtitutum eſt, ut fierent. Decẽuiros legibus ſcribendis intra decem hos annos & creauimus, & è republica ſuſtulimus. Quis enim dubitat quin in æternum urbe condita, & in immenſum creſcente, noua imperia, ſacerdotia, iura gentium hominumq́ inſtituantur? Hoc ipſum, ne connubiũ patrib. cũ plebe eſſet, nõ decẽuiri tulerunt paucis his annis peſſimo

exemplo, cum summa iniuria plebis. An esse ulla maior, aut insignior contumelia potest, quàm partem ciuitatis uelut contaminatam, indignam connubio haberi? Quid est aliud, quàm exilium intra eadem mœnia, quàm relegationem pati? Ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cauetur, ne societur sanguis. Quid? hoc si polluit nobilitatem istam uestram, quam pleriq; ex Albanis oriundi, & Sabinis, non genere, nec sanguine, sed per cooptationem in patres habetis, aut ab regibus lecti, aut post reges exactos iussu populi: sinceram seruare priuatis consilijs non poteratis, nec ducendo ex plebe, neq; uestras filias sororesq́; etiam nubere sinendo è patribus. Nemo plebeius uim patricię uirgini afferret, patriciorum ista libido est. nemo inuitum pactionem nuptialem quenquam facere coëgisset. Verumenimuero lege id prohiberi, & connubium tolli patrum ac plebis, id demum contumeliosum plebi est. Cur enim non confertis, ne sit connubium cũ diuitibus ac pauperibus? Quod priuatorũ consiliorum ubiq; semper fuit, ut in quamcũq; fœmina conuenisset domum, nuberet: ex qua pactus esset uir domo, in matrimonium duceret: id uos sub legis superbissimæ uincula conijcitis, qua dirimatis societatem ciuilem, duasq́; ex una ciuitate faciatis. Cur non sancitis, ne uici-

nus patricio sit plebeius? ne eodem itinere eat? ne idem conuiuium ineat? ne in foro eodem cõsistat? Quid enim in re est aliud, si plebeiam patricius duxerit, si patriciam plebeius? quid iuris tandem mutatur? Nempe patrem sequuntur liberi: nec quod nos ex connubio uestro petamus, quicquam est, præterquam ut hominum, ut ciuium numero simus: nec uos, nisi contumeliam ignominiamq́ue nostram certare iuuat, quod contendatis, quicquam est. Denique utrũ tandem populi Rom. an uestrũ summum imperium est? Regibus exactis, utrum uobis dominatio, an omnibus æqua libertas parta est? Oportet licere populo Rom. si uelit, iubere legem: an, ut quæque rogatio promulgata erit, uos delectum pro pœna decernetis: & simul ego tribunus uocare tribus in suffragium cœpero, tu statim consul sacramento iuniores adiges, & in castra educes, & minaberis militi, minaberis tribuno? Quid si non quantum istæ minæ aduersus plebis consensum ualerent, bis iam experti essetis? Scilicet quia nobis consultũ uolebatis, certamine abstinuistis? an ideo non est dimicatum, quod quæ pars firmior, eadem modestior fuit? Nec nunc erit certamen, Quirites: animos uestros illi tentabunt semper, uires nõ experientur. Itaque ad bella ista, seu uera, seu falsa sunt, consules, parata uobis plebs est, si con-

nubijs

nubijs redditis, unam hanc ciuitatem tandem faciris, si coalescere, si iungi misceriq; uobis priuatis necessitudinibus possunt: si spes, si aditus ad honores uiris strenuis & fortibus datur: si in consortio, si in societate Reip. esse, si quod æquè libertatis est, inuicem annuis magistratib. parere, atq; imperitare licet. Si hæc impediet aliquis, ferte sermonibus & multiplicate fama bella: nemo nomē est daturus, nemo capturus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in republica honor, nec in priuata connubij societas est.

Quantopere uos.) *Deliberatio est, qua rogationes promulgatæ aduersus patres defenduntur. Cōiuncta est causa, in quam plures et diuersi status cadunt: id quod & Quintilianus sæpe fieri posse fatetur. Beneuolentia colligitur ab aduersariorū persona, & re ipsa.* *In has rogationes.*) *Rogatio, ut ex Gellio colligi potest, iussū est populi aut plebis, rogāte magistratu. Rogare autem hic non simpliciter dicitur, sed accusatiuus Sententiam intelligitur. ut rogare, siue interrogare sententiam id sit, quod uulgò dicimus quærere opinionem. In patiēdi quoq; uoce accusatiuus subiungitur: ut sæpe apud Salustium & Liuium legere est, rogatus sententiam. De ordine rogandarum sententiarum uide Gellium.* *Quid aliud, quàm.*) *quod uulgò di-*

citur, quid aliud facimus, nisi eos admonere? Coelum, ac terras.) Prouerbium est, quo rerum ordo peruerti, confundiq; significatur. An unquã.) Exempla sunt à maiori. Ex peregrino.) Instatur acerrime exemplis, si commemorata historia quatenus ad causam pertinet, tandem contraria historiæ atq; causæ tanquam ex aduerso pugnent: ut hoc loco Liuius peregrinum et ciuem ex opposito collocat: ut Cicero quum alias sæpe, tum uel maxime in oratione pro Archia. Pontifices.) Pontifices sacris faciundis præerant: ita, si Varroni credimus, à ponte & faciendo appellati, quod pontem Sublicium reficere solerent. Augures.) Erant, quorum auspicijs res aut gerebantur, aut dimittebantur. Ac Tarquinij regno tantum ijs honoris habitum esse Liuius testatur, ut nihil ex eo tempore nisi auspicatò gereretur. Census in ciuit.) Censere nonnunquam est bona ciuium æstimare. hinc census, æstimatio illa. Apud Romanos nemo belli pacisq; munia obibat, nisi cuius bona certo ære æstimata fuissent. De his uide plura primo ab Vrbe, apud Gellium X. cap. lib. XVI. & Budæum in Annotationibus in Pandect. Nos & alio loco plura de his ipsis infrà præcipiemus. Descriptio cẽturiarum.) Classes quinq; peditum à Seruio Tullio institutas esse, refert Liuius primo ab urbe, quarum una

una quælibet plures centurias continebat: ut prima L X X X. *secunda* XX. *tertia itidem* XX. *totidem quarta, quinta aucta* X X X. *Ita claßis appellatione ordo numerusq; militum uarius ac multiplex significatur: quam hodie bandam armigerorum appellamus.* C*enturia autem quot contineat, satis ex nomine ipso intelligitur.* Aediles.) Erant, *qui ædes sacras & priuatas procurabant, ludos item committendos curabant, annonæ præerant.* In*stituti primùm referuntur, quum è* Sacro *monte plebs est reuocata.* Hic *plebeijs magistratus non patuit, donec consul primus ex plebe factus est. quo tempore patricij duo ædiles creati fuere, qui curules ab sella eburnea dicti sunt.* Autor Liuius VI. *ab* Vrbe *circa finem.* Aediles *hodie commode appellabimus, qui uulgò* Magi*stri fabricæ templorum dicuntur.* Quæstores.) Erant, *qui conquirendis publicis pecunijs siue domi siue foris occupabantur: quos nobis hodie referunt, qui* Recepto res, Generales, Th*esaurarijq; nũcupantur.* De eo *magistratu* Budæus *noster, ut qui alius, diligentißime scripsit, ad formam, rationemq; nostrorum tẽporum omnia exigere conatus.* Sed per cooptationem.) Cooptare, *est parem, aut ferè parem in societatem magistratus aut ordinis aßumere.* Hinc *cooptatio, aßumptio.* Et simul ego.) Liuius par

ticula Simul plerunq; utitur pro simul ac, siue ut primum. Tribus in suffragium.) Tribus, comitijs curiatis, quibus minores magistratus creabantur, in suffragiũ mittebantur: centuriæ autem cẽturiatis, quib. maiores magistratus. Sacramẽto iuniores.) Sacramento adigere est, iurisiurandi uerba ad certã solennemq́; formulã exprimere, qua iuraturo proponãtur. ut Consules Romæ solebãt militib. certa uerba præscribere in quæ iurarẽt, antè quàm in aciẽ educerẽtur: de qua forma infrà suo loco dicturi sumus. Est autem sacramẽtũ, ut Festus docet, quicquid iurisiurandi sacratione interposita geritur. Nobis consultum.) Consulere, prospicere, prouidere. Itaq; ad bella.) Conclusio, qua enumerantur quæ tota oratione confutata sunt. Nemo est nomen.) Dare nomen, est nomen suum inscribendum curare: quod milites habito delectu facere solebant. Dandi casus interim addi solet, dare nomen militiæ: interim accusatiuus, nunc cum Ad, nunc cum In præpositione.

Argumentum in XXXIIII.

In Algidum conuenerant Equi Volsciq́;, ubi partitis copijs, Romanos, si uenirent, obseruabãt. Romani uenientes, hostium exemplo binis castris loca diuersa breui spacio inter se distantia capiunt. Nocte tandem post multa uariaq; leuia certamina, hostes

hostes Romanorũ adoriuntur castra: quibus à Romanis magna celeritate atq; prudentia obstatũ est. Ac quum iam apertè ad Romanos res ipsa inclinare uideretur, tum demum Vectius Meßius rex Volscorum ad suos transit, ad resistendum in hæc uerba adhortaturus.

Adhortatio Vectij Meßij Volscorum regis ad suos. XXXIIII.

HIc præbituri uos telis hostium estis, indefensi, inulti? Quid igitur arma habetis? aut quid ultro bellum intulistis, in otio tumultuosi, in bello segnes? Quid hic stãtibus spei est? An deum aliquem protecturum uos, rapturũq; hinc putatis? Ferro uia facienda est hac, quà me progressum uideritis. Agitè qui uisuri domos, parentes, coniuges, liberos estis: ite mecũ. Non murus, nec uallũ, sed armati armatis obstant. Virtute pares: necessitate, quæ ultimum ac maximum telum est, superiores estis.

Hic præbituri.) Exhortatio ad redintegrandã pugnam. Agitè.) aduerbiũ hortantis. Hortatur à spe. Nec uallũ.) munitio est castrorum palis firmioribus certo spatio inter se distantibus facta. Neceßitate.) Necessitatem uocat Gellius, uim quãdam prementem, et cogentẽ. Quæ finitio ei proxima est, quam Aristoteles 5. Metaphysicorũ tradit.

Appel

ticula Simul plerunq; utitur pro simul ac, siue ut primum. Tribus in suffragium.) Tribus, comitijs curiatis, quibus minores magistratus creabantur, in suffragiū mittebantur: centuriæ autem cētu riatis, quib. maiores magistratus. Sacramēto iuniores.) Sacramento adigere est, iurisiurandi uerba ad certā solennemq; formulā exprimere, quæ iuraturo proponātur. ut Consules Romæ solebāt militib. certa uerba præscribere in quæ iurarēt, antè quàm in aciē educerētur: de qua forma infrà suo loco dicturi sumus. Est autem sacramētū, ut Festus docet, quicquid iurisiurandi sacratione interposita geritur. Nobis consultum.) Consulere, prospicere, prouidere. Itaq; ad bella.) Conclusio, qua enumerantur quæ tota oratione confutata sunt. Nemo est nomen.) Dare nomen, est nomen suum inscribendum curare: quod milites habito delectu facere solebant. Dandi casus interim addi solet, dare nomen militiæ: interim accusatiuus, nunc cum Ad, nunc cum In præpositione.

Argumentum in XXXIIII.

In Algidum conuenerant Equi Volsciq;, ubi partitis copijs, Romanos, si uenirent, obseruabāt. Romani uenientes, hostium exemplo binis castris loca diuersa breui spacio inter se distantia capiunt. Nocte tandem post multa uariaq; leuia certamina, hostes

hostes Romanorũ adoriuntur castra: quibus à Romanis magna celeritate atq; prudentia obstatũ est. Ac quum iam apertè ad Romanos res ipsa inclinare uideretur, tum demum Vectius Meßius rex Volscorum ad suos transit, ad resistendum in hæc uerba adhortaturus.

Adhortatio Vectij Meßij Volscorum regis ad suos. XXXIIII.

HIc præbituri uos telis hostium estis, indefensi, inulti? Quid igitur arma habetis? aut quid ultro bellum intulistis, in otio tumultuosi, in bello segnes? Quid hic stãtibus spei est? An deum aliquem protecturum uos, rapturũq; hinc putatis? Ferro uia facienda est hac, quà me progressum uidentis. Agitè qui uisuri domos, parentes, coniuges, liberos estis: ite mecũ. Non murus, nec uallũ, sed armati armatis obstant. Virtute pares: necessitate, quæ ultimum ac maximum telum est, superiores estis.

Hic præbituri.) Exhortatio ad redintegrandã pugnam. Agitè.) aduerbiũ hortantis. Hortatur *à spe. Nec uallũ.) munitio est castrorum palis firmioribus certo spatio inter se distantibus facta. Neceßitate.) Necessitatem uocat Gellius, uim quãdam prementem, et cogentẽ. Quæ finitio ei proxima est, quam Aristoteles 5. Metaphysicorũ tradit.*

Appel

Appellat necessitatem, uim quandam: uim uerò, quod præter propositum & electionem impedit, atq; prohibet. Quæ ultimum.) Id non una ratione intelligi potest. Necessitas ultimum telum, si referas ad obsessos, dicitur, tanquam ultima defensio, & quod uulgò dicimus, ultimum sit refugium. maximum uerò, quod propter imminens periculũ maiore ui & animo resistere hosti, & impetus sustinere coguntur. Illic enim si quid uirium, explicãdum est. Sin ad eos qui aggrediuntur, referas: eo maximum telum existimatur, quòd ubi hostes præoccupantur, longe facillima omnium uictoria est. Quanquam prior intellectus & uerior apparet, et ad rem præsentem magis pertinet. Superiores.) quòd ab hostibus castris exuti, & inuasi.

Argumentum in XXXV.

Fidenatibus Rom. rebellare, accitis Veientibus belli socijs, placebat. Itaq; Veientes exercitũ suum Fidenas communi consilio belli sedem captas ducunt. Eò contendunt & Romani: qui iam primo statim congressu hostes contuderant, quum repente patefactis Fidenarum portis noua erumpens acies, quæ facibus ardentibus tota collucebat, noua specie ipsis terrorem intulit. Quod Mamercus Aemilius dictator animaduertens, suos his uerbis accendebat ad prælium redintegrandum.

Ex-

Exhortatio Mamerci Aemilij dictatoris ad ſuos inuſitato certamine exterritos. 35.

FVmo'ne uicti, uelut examen apum, hoc loco ueſtro exacti, inermi cedetis hosti? non ferro extinguitis ignes? non faces has ipſas pro ſe quiſq;, ſi igni, non telis pugnandum eſt, ereptas ultro inferetis? Agitè nominis Romani et uirtutis patrum ueſtræq; memores, uertite incendium hoc in hoſtium urbem, & ſuis flammis delete Fidenas, quas ueſtris beneficijs placare non potuiſtis. Legatorum hoc uos ueſtrorum, colonorumq; ſanguis, uaſtatiq; fines monent.

Ereptas.) *extortas, ui ademptas.* Et *ſuis flāmis.) Prouerbij uicem uidetur obtinere, quod circumfertur,* Tuo *te gladio iugulo.* In *eos torquebitur, qui ea ipſa re quam ad malū aliorum compararāt, ab aduerſarijs uincūtur.* Legatorū *hoc uos.)* Hortatur *ab æquo. Legati dicuntur, qui è rep. in exteras regiones mitti ſolent, expoſitum conſilium atq; uoluntatem ſenatus, de qualibet re ſit quæſtio, antequam legitimum prælium ineatur.* Inde *legatio, pro munere ipſo iniuncto.* Hodie *uulgò ambaſſada legatio dicitur, & legati ambaßiatores, qui et oratores à* Vergilio *&* Liuio *dicuntur.* Colo*norumq;.)* Coloni *ciues ſunt, qui ad incolendam urbem bello captam mittuntur.* Inde *colonia pro*

eius

eius generis urbe sumitur.

Argumentum in XXXVI.

Sextus Tempanius Decurio erat militum. Is quum res Romana bello Volscorum temeritate Sẽpronij consulis eò recidißet, ut iam cæsis magna ex parte militib. qui supererant, iam pararent sese fugæ mandare, uoce magna exclamans ut equites ex equis desilirent, qui saluam rempu. uellent: omniũ turmarum equites non secus quasi consul edixisset, motos hac uoce monebat.

Adhortatio Sexti Tempanij Decurionis, ad milites, in re complorata. XXXVI.

NIsi hæc armata cohors sistat impetum hostium, actum de imperio est. Sequemini pro uexillo cuspidẽ meã. Ostẽdite Rom. Volscisq́ꝫ, neqꝫ equitibus uobis ullos equites, neqꝫ peditibus esse pedites pares.

Nisi hæc cohors.) Cohors milites continet mille ducentos quinquaginta. Sistat impetum.) cohibeat & reprimat uim. Actum de imperio.) iam perijt, nullum est.

Argumentum in XXXVII.

Hoc ad proximum pertinet. Bellum illud, quod aduersus Volscos Sexti Tempanij adhortatione instauratum fuit, adeò pertinax mansit, ut pugnantes nox sola incertos dirimeret. Is Sex. Tempanius quũ

poster

postero die ab saucijs hostibus didicisset, castra Volscorum deserta esse, lætus cum suis ad castra Romana penetrat. Ea quoq; cum deserta inuenisset, ignarus quò Sempronius consul cum reliquo exercitu se recepißet, rectà Romam proximis itineribus cõtendit. Bellũ illud male ac infeliciter Romanis cessisse, iam tum fama Romam perlata, odium Sempronij consulis omnibus ingenerarat. Itaq; C. Iunius tribunus ple. hoc ipsum consuli non impunè ferendum ratus, his interrogationibus ex Tempanio rem cognoscere tentabat.

C. Iunij tribunipl. interrogationes, de Sempronio consule cũ Tempanio tractatæ. 36.

SExte Tempani, quæro de te, arbitreris'ne A. Sempronium consulem aut in tempore pugnam inijsse, aut firmasse subsidijs aciem? aut ullo boni consulis functum officio? Et quũ ipse uictis legionibus Romanis, tuo cõsilio equitem ad pedites deduxeris, restituerisq; pugnã: excluso deinde ab acie nostra tibi, atq; equitibus, nũ aut consul ipse subuenerit, aut miserit præsidiũ? Postero deniq; die ecquid præsidij usquam habueris? an tu, cohorsq; in castra uestra uirtute proruperitis? Ecquem in castra consulem, ecquem exercitũ inueneritis? an deserta castra, relictos saucios milites? Hęc pro uir

tute

tute tua, fideq́ᵹ, qua una hoc bello Resp. stetit, dicenda tibi sunt hodie. Deniqᵹ ubi A. Sempronius, ubi legiones nostræ sint: desertus sis, an deserueris consulem, exercitumq́ᵹ: uicti deniqᵹ simus, an uicimus.

In tempore.) *quum eßet opus, opportune, arrepta occasione.* Pugnam inijße.) *occœpisse pugnare.* Victis legionibus.) *Legio certo numero militum apud Romanos non describebatur. Hoc constat, nunquam pauciores legione contentos esse, quàm tria milia, quem numerum Varro ei aßignat: nisi quadrata esset, cui quatuor milia tribuit. Maximus numerus duodena milia & quingentos nunquam excessit. À legendo, seu deligendo, legio appellata.*

Argumentum in XXXVII.

M. Posthumio Regillensi tribuno militum bellum aduersus Equos permissum erat. Is fractis hostium animis, quum in hostium oppidum irrupisset, bellum in ciues conuertens, prædam militis fore edicit. Capto oppido, fidem mutat. Postea in urbem à collegis accersitus, quũ M. Festius tribunus ple. laturum se legem diceret, ut Volas coloni mitterentur, Malum militibus meis (inquit) nisi quieuerint. Qua uoce quum populum, patresq́; offendisset, L. Decius tribunus ple. in maius eum odium

&

& inuidiam populi, arrepta occasione ex uôce illa, uocat.

Verba L. *Decij tribunipl. ad populum aduersus* M. *Posthumium tribunũ militũ.* 37.

AVditis, Quirites, sicut seruis malum minantem militibus: tamen hæc bellua dignior uobis tanto honore uidebitur, quàm qui uos urbe agrisq; donatos in colonias mittunt: qui sedem senectuti uestræ prospiciunt: qui pro uestris commodis aduersus tã crudeles superbosq; aduersarios depugnant. Incipite deinde mirari, cur pauci iam uestram suscipiebant causam. Quid à uobis sperent? An honores? quos aduersarijs uestris potius, quàm propugnatoribus datis? Ingemuistis modò uòce huius audita. Quid id refert? Iam suffragiũ detur: hunc qui malum uobis minatur, ijs qui agros sedesq; ac fortunas stabilire uolunt, præferetis.

EX LIBRO QVINTO AB VRBE SVM ptæ sequentes.

Argumentum in XXXVIII.

Hybernacula militibus tum primo ad continuandum etiam hyeme bellum fieri cœpta erant, quũ imperatores Romani *se obsidendo, quàm oppugnan-*

gnando sperarent Reip. melius consulturos. Perlata ea res Romam, tribunos pl. permouerat, qui primo quoq; tempore plebi quid ea re efficeretur exponũt: ita plebis libertatem uendi iactando, illudq́; eò institutum, ut quum ij in quibus uires omnes plebis erãt, abfuissent, agi de commodis ipsius non posset. His, alijsq́; iam plebis animos tribuni sollicitarant, quum Appius Claudius tribunus militum plebe cõuocata pro bello continuando, cõtinuandisq́; militibus in hybernaculis, contra tribunos pl. hanc concionem habuit.

Concio Appij Claudij tribuni militum ad populum, contra tribunos plebis pro bello continuando. XXXVIII.

SI unquam dubitatum est, Quirites, utrũ, tribuni pleb. uestra, an sua causa, seditionum semper autores fuerint: id hoc anno desijsse dubitari certum habeo. Et quum lætor tandem longi erroris uobis finem factũ esse, tum quòd sequundis potissimũ uestris rebus hic error est sublatus: & uobis, & propter uos Reip. gratulor. An est quisquam, qui dubitet nullis iniurijs uestris, si quæ fortè aliquando fuerunt, unquam æquè, quàm munere patrũ in plebem quum æra militibus constituta sunt tribu. ple. offensos et cõcitatos esse? Quid illos aliud tum timuisse creditis, aut hodie turbare

uelle,

uelle, niſi concordiam ordinum, quam diſſoluendæ maxime tribunitiæ poteſtatis rentur eſſe? Sic hercule tanquam artifices improbi opus quærũt, qui & ſemper ægri aliquid eſſe in rep. uolunt, ut ſit ad cuius curationem à uobis adhibeantur. Vtrum enim defenditis, an impugnatis plebem? Vtrum militantium aduerſarij eſtis, an cauſã agitis? niſi forte hoc dicitis, quicquid patres faciunt, diſplicet: ſiue illud pro plebe, ſeu contra plebem eſt. Et quemadmodum quum ſuis uetant domini quicquam rei cum alienis hominib. eſſe, paritérq; in ijs beneficio ac maleficio abſtineri æquum cenſent: ſic uos interceditis patribus commercio plebis, ne nos comitate ac magnificentia noſtra prouocemus plebem, nec nobis plebs dicto audiens atq; obediens ſit. Quanto tandem, ſi quicquam in uobis, non dicimus ciuilis, ſed humani eſſet, fauere uos magis, &, quantum in uobis eſſet, indulgere potius comitati patrum, atq; obſequio plebis oportuit? Quod ſi perpetua concordia ſit, quis non ſpondere auſit maximum hoc imperium inter finitimos breui futurum? Atqui ego quantum hoc conſilium collegarum meorum, quo abducere infecta re à Veijs exercitũ noluerunt, non utile ſolum, ſed etiam neceſſarium fuerit, poſtea ediſſeram. Nunc de ipſa cõditione dicere militantium libet. Quam oratio

nem non apud uos ſolum, ſed etiam in caſtris ſi habeatur ipſo exercitu diſceptante, æquam arbitror uideri poſſe: in qua ſi mihi ipſi nihil quod dicerem, in mentem uenire poſſet, aduerſariorum certe orationibus contentus eſſem. Negabant nuper æra danda militibus, quia nũquam data eſſent. quonam modo igitur indignari poſſunt, quibus aliquid noui adiectũ cõmodi ſit, eis laboris etiam nouum proportione iniungi? Nuſquam nec opera ſine emolumento, nec emolumẽtũ fermè ſine impẽſa opera eſt. Labor, uoluptasq́; diſſimilima natura, ſocietate quadam inter ſe naturali ſunt innexa. Moleſte antè ferebat miles, ſe ſuo ſumptu operam reip. præbere: gaudebat idem, partem anni ſe agrum ſuum colere, quærereq́; unde domi militiæq́; ſe ac ſuos tueri poſſet: Gaudet nunc fructui ſibi remp. eſſe, et lætus ſtipendium accipit. Aequo igitur animo patiatur ſe ab domo, ab re familiari, cui grauis impenſa nõ eſt, paulo diutius abeſſe. An ſi ad calculos eum Reſp. uocet, non meritò dicat: annua æra habes, annuam operam ede? An tu æquum cenſes, militia ſemeſtri ſolidumte ſtipendium annuũ accipere? Inuitus in hac parte orationis, Quirites, moror. Sic enim agere debent qui mercenario milite utuntur: Nos tanquam cum ciuibus agere uolumus: agiq́; tanquam cum patriã nobiſcum, æ-

quum

quum censemus. Aut non suscipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate populi Romani: & perfici quamprimum oportet. Perficietur autem, si urgemus obsessos: si non antè abscedimus, quàm spei nostræ finem, captis Veijs, imposuerimus. Si hercule nulla alia causa, ipsa indignitas perseuerantiam imponere debuit. Decem quondam annos urbs oppugnata est ob unam mulierem ab uniuersa Græcia: quam procul ab domo? quot terras, quot maria distans? Nos intra uigesimum lapidem in conspectu propè urbis nostrę oppugnationem annuam perferre piget: scilicet quia leuis belli causa est, nec satis quicquam iusti doloris est, quod nos ad perseuerandum stimulet. Septies rebellarunt, & in pace nunquàm fidi fuerunt: agros nostros millies depopulati sunt: Fidenates à nobis deficere coegerunt: colonos nostros ibi interfecerunt: autores fuerunt contra ius cædis impiæ legatorum nostrorũ: ac Ethruriam omnem aduersus nos concitare uoluerũt, hodieq; id moliuntur: res repetentes legatos nostros haud procul abfuit quin uiolarent. Cum his molliter & per dilationes bellum geri oportet? Si uos tam iustum odium nihil mouet, ne illa quidem, oro, uos mouent? Operibus ingentibus septa urbs est, quibus intra muros coercetur hostis: agrum non coluit, & culta euastata

ſunt bello. Si reducimus exercitum, quis eſt qui dubitet illos non cupiditate ſolum ulciſcendi, ſed etiam neceſſitate impoſita ex alieno prædã di, cum ſua amiſerint, agrum noſtrum inuaſuros? Non differimus igitur bellum iſto conſilio, ſed intra fines noſtros accipimus. Quid? illud quod proprie ad milites pertinet, quibus boni trib. pl. cum ſtipendiũ extorquere uoluerint, nunc conſultum repente uolũt, quale eſt? Vallum foſſamq́; ingentis utranq; rem operis, per tantum ſpacium duxerunt: caſtella primò pauca, poſtea exercitu aucto creberrima fecerunt: munitiones non in urbem modo, ſed in Ethruriam etiã, ſpectantes ſi qua inde auxilia ueniant, oppoſuere. Quid turres? quid uineas, teſtudinesq́;, & talium oppugnandarum urbium apparatum loquar? cum tantũ laboris exhauſtum ſit, & ad finem iam operis tandẽ peruentum: reliquenda'ne hæc cenſetis, ut ad æſtatem rurſus nouus de integro his inſtituẽdis exudetur labor? quanto eſt minus, opera tueri facta, & inſtare atq; perſeuerare, defungiq́; curæ? Breuis enim profectò res eſt, ſi uno tenore peragitur: nec ipſi per intermiſſiones has interuallaq́; lentiorem ſpem noſtram facimus. Loquor de opere, & temporis iactura. Quid? periculi quod differendo bello adimus, num obliuiſci nos hæc tam crebra Ethruriæ conſilia de

mittendis

mittēdis Veios auxilijs patiūtur? Vt nūc res habēt, irati sunt, oderūt, negant missuros. quantū in illis est, capere Veios licet. Quis est qui spondeat eundē, si differatur bellū, animū postea forte? cū si laxamentū dederis, maior frequētiorq́ꝫ legatio itura sit: quū id quod nūc offēdit Ethruscos, rex creatus Veijs, spacio mutari interposito possit, uel cōsensu ciuitatis, ut eo recōcilient Ethruriæ animos: uel ipsius uolūtate regis, qui obstare regnum suum saluti ciuiū nolit. Videte quot res q̃ inutiles sequātur illā uiā consilij. Iactura operū tanto labore factorū, uastatio imminens finiū nostrorū, Ethruscū bellū pro Veiente concitatū. Hæc sunt, tribuni, cōsilia uestra non hercule dissimilia, ac si quis ægro qui curari se fortiter passus, extēplò conualescere possit, cibi gratia præsentis aut potionis lōginquū forsitā & insanabilē morbū efficiat. Si mediusfidius ad hoc bellū nihil pertineret, ad disciplinam certe militiæ plurimū intererat, insuescere militem nostrū nō solū parta uictoria frui, sed si res etiā lentior sit, pati tædiū, & quāuis seræ spei exitū expectare: & si nō sit æstate perfectū bellū, hyemē operiri: nec, sicut æstiuæ aues, statim autūno tecta ac recessum circunspicere. Obsecro uos, uenandi studium ac uoluptas homines per niues ac pruinas in montes syluasq́ꝫ rapit: belli necessitatibus eā patientiā non adhibebimus, quā uel lusus ac uoluptas elicere solet?

Adeo'ne effœminata corpora militum nostrorum esse putamus, adeò molles animos, ut hyemem unam durare in castris, abesse ab domo non possint? Vt tanquam nauale bellum, tempestatibus captandis, & obseruando tempore anni gerant: nõ æstus, non frigora pati possint? Erubescant profectò, si quis eis hoc obijciat: contendantq; & animis & corporibus suis uirilem patientiam inesse, & se iuxtà hyeme atque æstate bella gerere posse: nec se patrociniũ mollitiæ inertiæq; mandasse tribunis: & meminisse hanc ipsam potestatem non in umbra, nec in tectis maiores suos creasse. Hæc uirtute militũ uestrorum, hæc Romano nomine sunt digna, non Veios tantũ, nec hoc bellum intueri quod instat, sed famam & ad alia bella, & ad cæteros populos in posterũ, quærere. An mediocre discrimen opinionis secuturam ex hac re putatis, utrum talem tandem finitimi populum Rom. esse putent, cuius si qua urbs primum illũ breuissimi temporis sustinuerit impetum, nihil deinde timeat: an hic sit terror nominis nostri, ut exercitum non tædium longinquæ oppugnationis, non uis hyemis ab urbe circunsessa semel amouere possit: nec finem ullum aliũ belli, quàm uictoriam nouerit: nec impetu potius bella quàm perseuerantia gerat? quæ in omni quidem genere militiæ, maxime tamen in obsi

dendis

dendis urbibus necessaria est: quarũ plerasq; munitionibus ac naturali sicut inexpugnabiles fame sitiq́; tempus ipsum uincit atq; expugnat, sicut Veios expugnabit, nisi auxilio hostib. tribunipl. fuerint, & Romæ inuenerint præsidia Veientes, quæ nequicquam in Ethruria quærunt. An est quicquam, quod Veientibus optatum æquè contingere possit, quàm ut seditionibus primùm urbs Romana, deinde uelut ex contagione, castra impleãtur? At hercule apud hostes tanta modestia est, ut non obsidionis tædio, non deniq; regni, quicquam apud eos nouatum sit, non negata auxilia ab Ethruscis irritauerint animos. Morietur enim extemplò, qui cunq; erit seditionis autor: nec cuiquam dicere ea licebit, quæ apud uos impune dicuntur. Fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut præsidio decedit. autores signa relinquendi, & deserendi castra, non uni aut alteri militi, sed uniuersis exercitibus, palàm in concione audiuntur. adeò quicquid tribunuspl. loquitur, & si prodendę patriæ, dissoluendæq́; Reip. est, assuescitis audire: & dulcedine potestatis eius capti, quęlibet sub ea scelera latere sinitis. Reliquum est, ut quæ hic uociferantur, eadem in castris & apud milites agant, & exercitus corrumpant, ducibusq́; parere non patiantur: quoniã ea demum Romæ libertas est, non senatum, non magistratus, non leges, non mores maio

rum, non instituta patrum, non disciplinam uereri militiæ.

Si unquam.) Deliberatio *est in id adhibita, ut contra sententiam tribunorum pl. hyeme in* Veio*rum obsidione milites ad hybernacula perseuerarent. A' persona aduersariorum, auditorum, & eius qui dicit, beneuolentia comparatur. Aequè quàm.*) Nouate semel ac iterum *in hac concione dixit, pro æquè ac. Quum æra.*) Triennio *antè id fuit: ante quod tēpus milites semper de suo quisq; belli munia fecerant.* Tum *primo stipendijs ex publico acceptis militarunt.* Ita *sensus eruetur: Quũ æra militantibus constituta sunt, quum ex* publico *aßignata sunt stipendia. Qui & semper ægri.*) Metaphora *est, ab animato ad animatum. Et quẽ admodum.) Similitudo, quæ uim obtinet argumenti. Sic uos interceditis.) uetatis, prohibetis, ne plebs uersetur cum patribus. Atqui ego.*) Diuisio *est.* A' Veijs.)*Proprio nomini urbis addit præ positionem. Quã orationem.*) *Confirmationis principium. Aduersariorum orationibus.) id est, mihi orationes tribunorum pl. sufficerent, & satisfacerent. Eis laboris.*) Hic *deprauata uidetur lectio.* Ego *libentius legero, noui, quàm nouum, ut repetatur particula aliquid. aut laborem nouum, in accusandi casu.* Non *uideo enim, quónam pacto stare*

re possit salua latinitate sensus, si legatur laboris nouum. Proportione.) Vnica uox est. Est autẽ proportio, certa quædam rerum comparatarum habitudo, & modus, aut quia æquantur, aut quia una uincit alteram, aut quia uincitur: ut hoc loco labor & commodum fieri potest ut æquentur, tantusq; sit labor quãtus fructus: plus sit laboris quàm commodi, plus contrà commodi quàm laboris. À Boëthio, Iordano, alijsq; Arithmeticis prima dicitur proportio æqualitatis, quod res duæ æquales comparentur: secunda, maioris inæqualitatis, ut labor referatur, quod res maior cum minore conferatur: tertia, minoris inæqualitatis, ut labor itidẽ ad commodum referatur, quod res minor cum maiore conferatur. Intellectus hic erit, eis laboris etiam noui, aliquid supple, proportione iniungi: si adiungatur ipsis labor, ut dicunt, proportionaliter ad commodum. Moleste ante.) Antitheton. Aequo igitur.) À simili. An si ad calculos.) Ad calculos uocare, est rerum quarumlibet rationem, dispensationemue uelut ad calculos exigere. nam calculus Budæo pro consultatione, siue consilio ponitur. Ita siquando ratione cuiusuis rei modum formamq; inuestigamus, aut per nos, aut cum alijs, eam rem uelut calculorum ratione examinare dicimur.

Militia semestri.) sex mensium. Solidum.)

Quic-

quicquid integrum est, eiq́; nihil deest ad perfectionem & integritatem, solidum dicitur. Qui mercenario.) *Mercenarius miles dicitur, qui quum exterus sit, mercede conductus militat: quales nobis sunt hodie Heluetij.* Intra uigesimum lapidem.) *T. Liuius uel paßibus uel lapidibus locorum spacia & distantiam designare solet. Primo lapide, secundo, tertio, & ita de similibus, significant primo, secundo & tertio milliaribus.* Septies rebel.) *A iusto, & æquo.* Sed in Ethruriam etiam spectantes.) *pertinentes, uergentes, & quod dicimus, tendentes. Gallia in occidentē spectat: pertinet ad Septentrionem Germania: pro eo quod dicas, est uersus, seu tendit & declinat ad Septentrionem.* Instare.) *urgere, premere.* Defungiq́; cura.) *Defungi uerbum cum ablatiuo iunctum, est liberari, explicariq́; difficultate rei, fine ipsi imposito: Defungi cura, liberari, & explicari solicitudine. Ita defunctus periculis, qui omnia pericula euasit, ab ijsq́; liberatus est.* Videte quot res.) *Collectio est quædam, & conclusio incommodorum quæ ex consilio tribunorum pl. secutura erāt. Nā ad hunc locum usq;, Operibus ingentibus, ab incommodis dissuasit.* Aestiuas aues.) *Aestiuæ aues sunt, quæ æstate modò uidentur, hyeme autem uel se occultant, uel in longinquis regionibus uiuunt, cuiusmo-*

di ſunt hirundines, & grues. Hyemales contraria ratione intelliguntur. Obſecro uos.) Amplificatio per comparationem. Et ſe iuxtà.) pariter, æquè. Naturali ſitu.) puta ſi ædificata ſit urbs ad radices montium ex aduerſo conſiſtentium, quã flumen alluat altiſsimi latiſsimiq; aluei. Fuſtuarium.) Fuſte aut uite fuſtuarium fiebat, quo eius generis homines percutiebantur. Autores ſigna.) Tribuno ſpl. hac amplificatione graui ſupplicio dignos eſſe oſtendit. Reliquum eſt.) Peroratio, qua ſuprà refutata enumerantur uel per ironiam, uel ira quadam, & indignatione. certe uim magnã habet. Ea demum.) ſolum, tantum.

Argumentum in XXXIX.

Tribunos militum conſulari poteſtate, in quibus P. Licinius Caluus erat primus ex plebe, uitio creatos, oraculo Delphico conſtabat. Itaq; omnes ſe magiſtratu abdicant, re ad interregnũ, ſicuti reſponſum erat, redacta. Creatur omnium centuriarum conſenſu ac uoluntate iterum idem P. Licinius. Is quum iam exactæ ætatis tribunitiæ poteſtati ſe imparem uideret, ita Quirites rogabat, ut honorem ſibi delatum filio mandarent.

Oratio P. Licinij Calui ad populum, ut filio, ſibi delatum honorem, mandaret. 39.

ster Faliscorum pueros lusus exercendiq́; causa ini genij ante urbem producens, longius forte uariatis sermonibus progreßus, in prætorium ad Camillũ perduxit. Ibi quum Faliscos diceret à se iam in manus Romanorum traditos, quod pueros eos dedꝭret, quorum parentes primores essent Faliscorum: in hanc sententiam respondit Camillus.

Verba Camilli ad pædagogum Faliscorum in castris deprehensum cum pueris. XLI.

NOn ad similem tui nec populũ nec imperatorem, scelestus ipse cũ scelesto munere uenisti. Nobis cum Faliscis quę pacto fit humano societas non est: quam ingenerauit natura, utrisq; est, eritq́;. Sunt & belli, sicut pacis, iura: iusteq́; ea non minus quàm fortiter didicimus gerere. Arma habemus, non aduersus eam ætatem cui etiam captis urbibus parcitur: sed aduersus armatos, & ipsos qui nec læsi, nec lacessiti à nobis, castra Romana ad Veios oppugnauerũt. Eos tu, quantum in te fuit, nõ uo scelere uicisti. Ego Romanis artibus, uirtute, opere, armis, sicut Veios, uincam.

Nec *læsi.) offensi.* Q*uantum in te fuit.*) Or*nata est locutio, pro eo quod dicas, tu fecisti quod potuisti, ut uinceres.* Q*ui alteri insidias parat, strictoq́; gladio, nisi obstarent amici, eum occisurus, is quantum in ipso fuit, interfecit. quod dici solet, fe-*

cit

tit quod in se erat, ad hoc ut occideret. Scelere uicisti.) id est, proditione tua fecisti ut uicti sint. Hic enim sensus magis placet, quàm si exponatur de excessu peccati: & ad sequentem orationem magis pertinet.

Argumentum in XLII.

Huius principium coniunctum est cum fine superioris. Ludimagister à Camillo proditionis crimine uehementer accusatus, iussus nudato corpore à pueris uirgis cædentibus in oppidum reduci, omnium in se oculos tanquam ad nouum spectaculum conuerterat. Ea re diligenter à senatu Faliscorum perpensa, mutatis animis & consilijs, legati ad Camillum primum, deinde Romam missi, qui Faliscos hac oratione dederent.

Oratio legatorum Faliscos Romanis dedentium in senatu. XLII.

PAtres Conscripti: uictoria, cui nec Deus, nec homo quisquam inuideat: uicti à uobis, & imperatore uestro, dedimus nos uobis, rati (quo nihil uictori pulchrius est) melius nos sub imperio uestro, quàm legibus nostris uicturos. Euentu huius belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt. Vos fidem in bello, quàm præsentem uictoriam, maluistis: nos fide prouocati, uictoriam ultro detulimus: sub ditione uestra sumus. Mittite, qui ar

nem non apud uos ſolum, ſed etiam in caſtris ſi habeatur ipſo exercitu diſceptante, æquam arbitror uideri poſſe: in qua ſi mihi ipſi nihil quod dicerem, in mentem uenire poſſet, aduerſariorum certe orationibus contentus eſſem. Negabant nuper æra danda militibus, quia nũquam data eſſent. quónam modo igitur indignari poſſunt, quibus aliquid noui adiectũ cõmodi ſit, eis laboris etiam nouum proportione iniungi? Nuſquam nec opera ſine emolumento, nec emolumẽtũ fermè ſine impẽſa opera eſt. Labor, uoluptasq́, diſſimilima natura, ſocietate quadam inter ſe naturali ſunt innexa. Moleſte antè ferebat miles, ſe ſuo ſumptu operam reip. præbere: gaudebat idem, partem anni ſe agrum ſuum colere, quærereq́ unde domi militiæq́ ſe ac ſuos tueri poſſet: Gaudet nunc fructui ſibi remp. eſſe, et lætus ſtipendium accipit. Aequo igitur animo patiatur ſe ab domo, ab re familiari, cui grauis impenſa nõ eſt, paulo diutius abeſſe. An ſi ad calculos eum Reſp. uocet, non meritò dicat: annua æra habes, annuam operam ede? An tu æquum cenſes, militia ſemeſtri ſolidum te ſtipendium annuũ accipere? Inuitus in hac parte orationis, Quirites, moror. Sic enim agere debent qui mercenario milite utuntur: Nos tanquam cum ciuibus agere uolumus: agiq́ tanquam cum patriã nobiſcum, æ-

quum

quum censemus. Aut non suscipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate populi Romani: & perfici quamprimum oportet. Perficietur autem, si urgemus obsessos: si non antè abscedimus, quàm spei nostræ finem, captis Veijs, imposuerimus. Si hercule nulla alia causa, ipsa indignitas perseuerantiam imponere debuit. Decem quondam annos urbs oppugnata est ob unam mulierem ab uniuersa Græcia: quam procul ab domo? quot terras, quot maria distans? Nos intra uigesimum lapidem in conspectu propè urbis nostrę oppugnationem annuam perferre piget: scilicet quia leuis belli causa est, nec satis quicquam iusti doloris est, quod nos ad perseuerandum stimulet. Septies rebellarunt, & in pace nunquàm fidi fuerunt: agros nostros millies depopulati sunt: Fidenates à nobis deficere coegerunt: colonos nostros ibi interfecerunt: autores fuerunt contra ius cædis impiæ legatorum nostrorũ: ac Ethruriam omnem aduersus nos concitare uoluerũt, hodieq; id moliuntur: res repetentes legatos nostros haud procul abfuit quin uiolarent. Cum his molliter & per dilationes bellum geri oportet? Si uos tam iustum odium nihil mouet, ne illa quidem, oro, uos mouent? Operibus ingentibus septa urbs est, quibus intra muros coercetur hostis: agrum non coluit, & culta euastata

sunt bello. Si reducimus exercitum, quis est qui dubitet illos non cupiditate solum ulciscendi, sed etiam necessitate imposita ex alieno prædandi, cum sua amiserint, agrum nostrum inuasuros? Non differimus igitur bellum isto consilio, sed intra fines nostros accipimus. Quid? illud quod proprie ad milites pertinet, quibus boni trib. pl. cum stipendiũ extorquere uoluerint, nunc consultum repente uolũt, quale est? Vallum fossamq́ue, ingentis utranque rem operis, per tantum spacium duxerunt: castella primò pauca, postea exercitu aucto creberrima fecerunt: munitiones non in urbem modo, sed in Ethruriam etiã, spectantes si qua inde auxilia ueniant, opposuere. Quid turres? quid uineas, testudinesq́ue, & talium oppugnandarum urbium apparatum loquar? cum tantũ laboris exhaustum sit, & ad finem iam operis tandẽ peruentum: reliquenda'ne hæc censetis, ut ad æstatem rursus nouus de integro his instituẽdis exudetur labor? quanto est minus, opera tueri facta, & instare atque perseuerare, defungiq́ue cura? Breuis enim profectò res est, si uno tenore peragitur: nec ipsi per intermissiones has interuallaq́ue lentiorem spem nostram facimus. Loquor de opere, & temporis iactura. Quid? periculi quod differendo bello adimus, num obliuisci nos hæc tam crebra Ethruriæ consilia de

mittẽdis Veios auxilijs patiũtur? Vt nũc res habẽt,irati sunt,oderũt,negant missuros. quantũ in illis est,capere Veios licet. Quis est qui spondeat eundẽ,si differatur bellũ,animũ postea fore? cũ si laxamentũ dederis,maior frequẽtiórq; legatio itura sit:quũ id quod nũc offẽdit Ethruscos, rex creatus Veijs,spacio mutari interposito possit,uel cõsensu ciuitatis, ut eo recõcilient Ethrurię animos:uel ipsius uolũtate regis,qui obstare regnum suum saluti ciuiũ nolit. Videte quot res q̃ inutiles sequãtur illã uiã consilij. Iactura operũ tanto labore factorũ,uastatio imminens finiũ nostrorũ,Ethruscũ bellũ pro Veiente concitatũ. Hęc sunt,tribuni, cõsilia uestra non hercule dissimilia, ac si quis ęgro qui curari se fortiter passus,extẽplò conualescere possit, cibi gratia pręsentis aut potionis lõginquũ forsitã & insanabilẽ morbũ efficiat. Si mediusfidius ad hoc bellũ nihil pertineret,ad disciplinam certe militiæ plurimũ intererat, insuescere militem nostrũ nõ solũ parta uictoria frui,sed si res etiã lentior sit,pati tædiũ,& quãuis seræ spei exitũ expectare: & si nõ sit æstate perfectũ bellũ,hyemẽ operiri:nec,sicut æstiuæ aues, statim autũno tecta ac recessum circunspicere. Obsecro uos, uenandi studium ac uoluptas homines per niues ac pruinas in montes syluasq; rapit:belli necessitatibus eã patientiã non adhibebimus, quã uel lusus ac uoluptas elicere solet?

Adeóne effœminata corpora militum nostrorum esse putamus, adeò molles animos, ut hyemem unam durare in castris, abesse ab domo non possint? Vt tanquam nauale bellum, tempestatibus captandis, & obseruando tempore anni gerant: nõ æstus, non frigora pati possint? Erubescant profectò, si quis eis hoc obijciat: contendantq́ꝫ & animis & corporibus suis uirilem patientiam inesse, & se iuxtà hyeme atque æstate bella gerere posse: nec se patrociniũ mollitiæ inertiæq́ꝫ mandasse tribunis: & meminisse hanc ipsam potestatem non in umbra, nec in tectis maiores suos creasse. Hæc uirtute militũ uestrorum, hæc Romano nomine sunt digna, non Veios tantũ, nec hoc bellum intueri quod instat, sed famam & ad alia bella, & ad cæteros populos in posterũ, quærere. An mediocre discrimen opinionis secuturam ex hac re putatis, utrum talem tandem finitimi populum Rom. esse putent, cuius si qua urbs primum illũ breuissimi temporis sustinuerit impetum, nihil deinde timeat: an hic sit terror nominis nostri, ut exercitum non tædium longinquæ oppugnationis, non uis hyemis ab urbe circunsessa semel amouere possit: nec finem ullum aliũ belli, quàm uictoriam nouerit: nec impetu potius bella quàm perseuerantia gerat? quæ in omni quidem genere militiæ, maxime tamen in obsi-

dendis

dendis urbibus necessaria est: quarũ plerasq; munitionibus ac naturali sicut inexpugnabiles fame sitiq; tempus ipsum uincit atq; expugnat, sicut Veios expugnabit, nisi auxilio hostib. tribunipl. fuerint, & Romæ inuenerint præsidia Veientes, quæ nequicquam in Ethruria quærunt. An est quicquam, quod Veientibus optatum æquè contingere possit, quàm ut seditionibus primùm urbs Romana, deinde uelut ex contagione, castra impleãtur? At hercule apud hostes tanta modestia est, ut non obsidionis tædio, non deniq; regni, quicquam apud eos nouarum sit, non negata auxilia ab Ethruscis iritauerint animos. Morietur enim extemplò, qui cunq; erit seditionis autor: nec cuiquam dicere ea licebit, quæ apud uos impune dicuntur. Fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut præsidio decedit. autores signa relinquendi, & deserendi castra, non uni aut alteri militi, sed uniuersis exercitibus, palàm in concione audiuntur. adeò quicquid tribunuspl. loquitur, & si prodendę patriæ, dissoluendæq; Reip. est, assuescitis audire: & dulcedine potestatis eius capti, quęlibet sub ea scelera latêre sinitis. Reliquum est, ut quæ hic uociferantur, eadem in castris & apud milites agant, & exercitus corrumpant, ducibusq; parere non patiantur: quoniã ea demum Romæ libertas est, non senatum, non magistratus, non leges, non mores maio

f 5 rũ

rum, non instituta patrum, non disciplinam uereri militiæ.

Si unquam.) Deliberatio *est in id adhibita, ut contra sententiam tribunorumpl. hyeme in Veiorum obsidione milites ad hybernacula perseuerarent. A' persona aduersariorum, auditorum, & eius qui dicit, beneuolentia comparatur.* Aequè quàm.) Nouate *semel ac iterum in hac concione dixit, pro æquè ac.* Quum æra.) Triennio *antè id fuit: ante quod tẽpus milites semper de suo quisq; belli munia fecerant.* Tum *primo stipendijs ex publico acceptis militarunt.* Ita *sensus eruetur:* Quũ *æra militantibus constituta sunt, quum ex publico aßignata sunt stipendia.* Qui *& semper ægri.*) Metaphora *est, ab animato ad animatum.* Et quẽ *admodum.*) *Similitudo, quæ uim obtinet argumenti.* Sic *uos interceditis.*) *uetatis, prohibetis, ne plebs uersetur cum patribus.* Atqui *ego.*) Diuisio *est.* A' Veijs.) Proprio *nomini urbis addit præpositionem.* Quã *orationem.*) Confirmationis *principium.* Aduersariorum *orationibus.*) *id est, mihi orationes tribunorumpl. sufficerent, & satisfacerent.* Eis *laboris.*) Hic *deprauata uidetur lectio.* Ego *libentius legero, noui, quàm nouum, ut repetatur particula aliquid. aut laborem nouum, in accusandi casu.* Non *uideo enim, quónam pacto stare*

re possit salua latinitate sensus, si legatur laboris nouum. Proportione.) Vnica uox est. Est autē proportio, certa quædam rerum comparatarum habitudo, & modus, aut quia æquantur, aut quia una uincit alteram, aut quia uincitur: ut hoc loco labor & commodum fieri potest ut æquentur, tantusq; sit labor quātus fructus: plus sit laboris quàm commodi, plus contrà commodi quàm laboris. A Boëthio, Iordano, alijsq; Arithmeticis prima dicitur proportio æqualitatis, quod res duæ æquales comparentur: secunda, maioris inæqualitatis, ut labor referatur, quod res maior cum minore conferatur: tertia, minoris inæqualitatis, ut labor itidē ad commodum referatur, quod res minor cum maiore conferatur. Intellectus hic erit, eis laboris etiam noui, aliquid supple, proportione iniungi: si adiungatur ipsis labor, ut dicunt, proportionaliter ad commodum. Moleste antè.) Antitheton. Aequo igitur.) A simili. An si ad calculos.) Ad calculos uocare, est rerum quarumlibet rationem, dispensationem'ue uelut ad calculos exigere. nam calculus Budæo pro consultatione, siue consilio ponitur. Ita siquando ratione cuiusuis rei modum formamq; inuestigamus, aut per nos, aut cum alijs, eam rem uelut calculorum ratione examinare dicimur.

Militia semestri.) sex mensium. Solidum.)

Quic-

quicquid integrum est, eiq; nihil deest ad perfectionem & integritatem, solidum dicitur. Qui mercenario.) Mercenarius miles dicitur, qui quum exterus sit, mercede conductus militat: quales nobis sunt hodie Heluetij. Intra uigesimum lapidem.) T. Liuius uel paßibus uel lapidibus locorum spacia & distantiam designare solet. Primo lapide, secundo, tertio, & ita de similibus, significant primo, secundo & tertio milliaribus. Septies rebel.) A iusto, & æquo. Sed in Ethruriam etiam spectantes.) pertinentes, uergentes, & quod dicimus, tendentes. Gallia in occidentē spectat: pertinet ad Septentrionem Germania: pro eo quod dicas, est uersus, seu tendit & declinat ad Septentrionem. Instare.) urgere, premere. Defungiq; cura.) Defungi uerbum cum ablatiuo iunctum, est liberari, explicariq; difficultate rei, fine ipsi imposito: Defungi cura, liberari, & explicari solicitudine. Ita defunctus periculis, qui omnia pericula euasit, ab ijsq; liberatus est. Videte quot res.) Collectio est quædam, & conclusio incommodorum quæ ex consilio tribunorum pl. secutura erāt. Nā ad hunc locum usq;, Operibus ingentibus, ab incommodis dissuasit. Aestiuas aues.) Aestiuæ aues sunt, quæ æstate modò uidentur, hyeme autem uel se occultant, uel in longinquis regionibus uiuant, cuiusmo-

di

di ſunt hirundines, & grues. Hyemales contraria ratione intelliguntur. Obſecro uos.) Amplificatio per comparationem. Et ſe iuxtà.) pariter, æquè. Naturali ſitu.) puta ſi ædificata ſit urbs ad radices montium ex aduerſo conſiſtentium, quã flumen alluat altißimi latißimiq; aluei. Fuſtuarium.) Fuſte aut uite fuſtuarium fiebat, quo eius generis homines percutiebantur. Autores ſigna.) Tribunos pl. hac amplificatione graui ſupplicio dignos eſſe oſtendit. Reliquum eſt.) Peroratio, qua ſuprà refutata enumerantur uel per ironiam, uel ira quadam, & indignatione. certe uim magnã habet. Ea demum.) ſolum, tantum.

Argumentum in XXXIX.

Tribunos militum conſulari poteſtate, in quibus P. Licinius Caluus erat primus ex plebe, uitio creatos, oraculo Delphico conſtabat. Itaq; omnes ſe magiſtratu abdicant, re ad interregnũ, ſicuti reſponſum erat, redacta. Creatur omnium centuriarum conſenſu ac uoluntate iterum idem P. Licinius. Is quum iam exactæ ætatis tribunitiæ poteſtati ſe imparem uideret, ita Quirites rogabat, ut honorem ſibi delatum filio mandarent.

Oratio P. Licinij Calui ad populum, ut filio, ſibi delatum honorem, mandaret. 39.

Omen

OMen concordiæ, Quirites, rei maximè in hoc tẽpus utilis memoria nostri magistratus, uos his comitijs petere in insequentem annum uideo, si & collegas eosdem reficitis, etiam usu meliores factos. Me iam nõ eundem, sed umbram nomenq́ue P. Licinij relictum uidetis: uires corporis effœtæ, sensus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, uigor animi obtusus. En uobis (inquit, iuuenem filium tenens) effigiem, atque imaginem eius, quem uos antea tribunum militum ex plebe fecistis. Hunc ego institutum disciplina mea, uicarium pro me reip. do, dicoq́ue: uosq́ue quæso, Quirites, delatum mihi ultro honorem, huic petẽti, meisq́ue pro eo adiectis precib. mandetis.

Omen concordiæ.) *Ratio est transferendi honoris, delati à se in alium. Omen dicitur, autore Nonio Marcello, uotum mentis, & uocis. Antiqui enim ex sermone tanquam certa quædam indicia sumere solebant, per quæ aut fœdum seu sinistrũ, aut bonum rei exitum deprehenderent. Hinc ominari & bene & male.* *Corporis effœtæ.*) *Alia exemplaria habent, affectæ uires: quæ uox rei accommodata est. Nam affecta ea, Gellio autore, dicuntur, quæ nondum ad finem quidem, sed iam proxime finem educta sunt. Ita uires affectæ dicerentur, quæ*

nondum planè atque omnino defecerunt, sed proximum est ut deficiant. Effœtæ autem dicuntur, quæ propè consumptæ exhaustæq; sunt. Institutum.) formatum, instructum. Mandetis.) committatis, iniungatis, imponatis, tradatis.

Argumentum in XL.

M. Furius Camillus dictator dictus, quum Faliscos Capenatesq; hostes non prælio solum fudisset, sed castris quoq; exuisset, exercitum ad urbem Veios delendam duxit. Ibi quum iam haud procul ab esset quin urbs ipsa caperetur, militibus arma capere iußis, Deos ita alloquebatur.

Verba Camilli dictatoris ad Apollinem & Iunonem, in oppugnatione Veiorum. XL.

TVo ductu, Pythice Apollo, tuoq́ numine instructus, pergo ad delendam urbẽ Veios: tibiq́ hinc decimam partem prędæ uoueo. Te simul, Iuno regina, quæ Veios colis, precor, ut nos uictores in nostrã tuamq́ mox futuram urbem sequare, ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat.

Argumentum in XLI.

M. F. Camillo mandatũ erat bellũ cõtra Faliscos: quo bello fusi fugatiq; Falisci, amißis castris, in oppidũ se receperãt. In obsidione oppidi ludimagi

ster

ster Faliscorum pueros lusus exercendiq; causa in genij ante urbem producens, longius forte uariatis sermonibus progreßus, in prætorium ad Camillũ perduxit. Ibi quum Faliscos diceret à se iam in manus Romanorum traditos, quod pueros eos dederet, quorum parentes primores essent Faliscorum: in hanc sententiam respondit Camillus.

Verba Camilli ad pædagogum Faliscorum in castris deprehensum cum pueris. XLI.

NOn ad similem tui nec populũ nec imperatorem, scelestus ipse cũ scelesto munere uenisti. Nobis cum Faliscis quę pacto fit humano societas non est: quam ingenerauit natura, utrisq; est, eritq;. Sunt & belli, sicut pacis, iura: iusteq; ea non minus quàm fortiter didicimus gerere. Arma habemus, non aduersus eam ætatem cui etiam captis urbibus parcitur: sed aduersus armatos, & ipsos qui nec læsi, nec lacessiti à nobis, castra Romana ad Veios oppugnauerũt. Eos tu, quantum in te fuit, nouo scelere uicisti. Ego Romanis artibus, uirtute, opere, armis, sicut Veios, uincam.

Nec læsi.) offensi. *Quantum in te fuit.) Ornata est locutio, pro eo quod dicas, tu fecisti quod potuisti, ut uinceres. Qui alteri insidias parat, strictoq; gladio, nisi obstarent amici, eum occisurus, is quantum in ipso fuit, interfecit. quod dici solet, fecit*

tit quod in se erat, ad hoc ut occideret. Scelere uicisti.) id est, proditione tua fecisti ut uicti sint. Hic enim sensus magis placet, quàm si exponatur de excessu peccati: & ad sequentem orationem magis pertinet.

Argumentum in XLII.

Huius principium coniunctum est cum fine superioris. Ludimagister à Camillo proditionis crimine uehementer accusatus, iußus nudato corpore à pueris uirgis cædentibus in oppidum reduci, omnium in se oculos tanquam ad nouum spectaculum conuerterat. Ea re diligenter à senatu Faliscorum perpensa, mutatis animis & consilijs, legati ad Camillum primum, deinde Romam mißi, qui Faliscos hac oratione dederent.

Oratio legatorum Faliscos Romanis dedentium in senatu. XLII.

PAtres Conscripti: uictoria, cui nec Deus, nec homo quisquam inuideat: uicti à uobis, & imperatore uestro, dedimus nos uobis, rati (quo nihil uictori pulchrius est) melius nos sub imperio uestro, quàm legibus nostris uicturos. Euentu huius belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt. Vos fidem in bello, quàm præsentem uictoriam, maluistis: nos fide prouocati, uictoriam ultro detulimus: sub ditione uestra sumus. Mittite, qui ar

ma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant: nec uos fidei nostræ, nec nos imperij uestri pœnitebit.

Patres conscripti.) *Ratio et forma se permittendi in alicuius potestatem.* Dedimus nos.) *tradimus nos in uestrā potestatem: quod uulgò dicimus, reddimus nos.* Vos *fidem.) quum ludimagister prodere nos uoluit.* *Sub ditione.)quod dicitur, in subiectione uestra. Obsides sunt, qui à uictorib. uictis imperantur, siue dari iubentur, ne statim deficiant, aut negent quod spoponderint: & ferè ex primoribus.*

Argumentum in XLIII.

Camillus Ardeam forte exulatum abierat, quū Galli urbem Romam præter Capitolium ceperūt. Is quum Galli Ardeam frumentādi gratia uagarentur, publica fortuna quàm sua mœstior, in concionem procedens, hac oratione Ardeates ad sumenda arma aduersus Gallos adhortabatur.

Exhortatio Camilli exulis ad Ardeates, ut arma caperent aduersus Gallos. XLIII.

ARdeates, ueteres amici, noui etiam ciues mei, quando & uestrum beneficiū ita tulit, & fortuna hoc egit mea: nemo uestrûm conditionis meæ oblitum me huc processisse putet: sed res, ac periculum cōmune cogit,

git,quod quisq; possit in re trepida præsidij in medium conferre. Et quando ego uobis pro tantis uestris in me meritis gratiam referam, si nunc cessauero? aut ubi usus erit mei uobis, si in bello nõ fuerit? Hac arte in patria steti: & inuictus bello, in pace ab ingratis ciuibus pulsus sum. Vobis autẽ, Ardeates, fortuna oblata est, & pro tantis pristinis populi Romani beneficijs, quanta ipsi meministis (nec enim exprobranda apud memores sunt) gratię referendę, & huic urbi decus ingens belli ex hoste cõmuni pariendi. Quæ effuso agmine aduentat gẽs, est cui natura corpora animosq; magna magis quàm firma dederit: eò in certamẽ omne plus terroris quàm uirium ferunt. Argumento sit clades Romana. patentem cepere urbem: ex arce, Capitolioq;, quod ijs exigua resistitur manu, iam obsidionis tædio uicti abscedunt, uagiq; per agros palãtur, cibo uinoq; raptim hausto repleti. ubi nox appetit, prope riuos aquarũ sine munimento, sine custodijs passim ferarũ ritu sternuntur: nunc ab secundis rebus magis etiam solito incauti. Si uobis in animo est tueri mœnia uestra, nec pati hæc omnia Galliã fieri: prima uigilia capite arma, frequentes me sequimini ad cædem, non ad pugnam. Nisi uictos somno uelut pecudes trucidandos tradidero, non recuso eundem Ardeæ rerum mearum exitum, quem Romæ habui.

ma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant: nec uos fidei nostræ, nec nos imperij uestri pœnitebit.

Patres conscripti.) Ratio et forma se permittendi in alicuius potestatem. Dedimus nos.) *tradimus nos in uestrã potestatem: quod uulgò dicimus, reddimus nos.* Vos fidem.) *quum ludimagister prodere nos uoluit.* Sub ditione.) *quod dicitur, in subiectione uestra. Obsides sunt, qui à uictorib. uictis imperantur, siue dari iubentur, ne statim deficiant, aut negent quod spoponderint: & ferè ex primoribus.*

Argumentum in XLIII.

Camillus Ardeam fortè exulatum abierat, quũ Galli urbem Romam præter Capitolium ceperũt. Is quum Galli Ardeam frumentãdi gratia uagarentur, publica fortuna quàm sua mœstior, in concionem procedens, hac oratione Ardeates ad sumenda arma aduersus Gallos adhortabatur.

Exhortatio Camilli exulis ad Ardeates, ut arma caperent aduersus Gallos. XLIII.

ARdeates, ueteres amici, noui etiam ciues mei, quando & uestrum beneficiũ ita tulit, & fortuna hoc egit mea: nemo uestrûm conditionis meæ oblitum me huc processisse putet: sed res, ac periculum cõmune cogit,

git,quod quisq; possit in re trepida præsidij in medium conferre. Et quando ego uobis pro tantis uestris in me meritis gratiam referam, si nunc cessauero? aut ubi usus erit mei uobis, si in bello nõ fuerit? Hac arte in patria steti: & inuictus bello, in pace ab ingratis ciuibus pulsus sum. Vobis autẽ, Ardeates, fortuna oblata est, & pro tantis pristinis populi Romani beneficijs, quanta ipsi meministis (nec enim exprobranda apud memores sunt) gratię referendę, & huic urbi decus ingens belli ex hoste cõmuni pariendi. Quæ effuso agmine aduentat gẽs, est cui natura corpora animosq; magna magis quàm firma dederit: eò in certamẽ omne plus terroris quàm uirium ferunt. Argumento sit clades Romana. patentem cepere urbem: ex arce, Capitolioq;, quod ijs exigua resistitur manu, iam obsidionis tædio uicti abscedunt, uagiq; per agros palãtur, cibo uinoq; raptim hausto repleti. ubi nox appetit, prope riuos aquarũ sine munimento, sine custodijs passim ferarũ ritu sternuntur: nunc ab sequundis rebus magis etiam solito incauti. Si uobis in animo est tueri mœnia uestra, nec pati hæc omnia Galliã fieri: prima uigilia capite arma, frequentes me sequimini ad cædem, non ad pugnam. Nisi uictos somno uelut pecudes trucidandos tradidero, non recuso eundem Ardeæ rerum mearum exitum, quem Romæ habui.

Ardeates.) Suasio est belli artificiosa in re peri culo proxima. A' persona eius qui dicit, & à re ipsa, seu periculo exorditur. Quando et uestrũ.) quando, quandoquidem, posteaquam, siue quoniã.

Ita tulit.) passum est, permisit, seu dedit, & oblatum est. In re trepida.) Peculiaris est Liuio, pro eo quod dicas in re uacillãte, & statu periculo proximo. Aut ubi usus.) ubi mea opera utemini, siue quod dici solet, in qua re uobis seruiam? Vobis autem.) Ab occasione & opportuno hortatur.

Gratiæ referendæ.) Genitiui sunt cum gerũdio pariendi, ad substantiuũ fortuna referendi. Quæ eff.) A' poßibili & facili. Cui natura.) generatio. Quàm firma.) fortia, & robusta. Argumẽto sit) hoc probet, ac doceat, siue docere potest.

Ferarum ritu.) more brutorum prosternuntur, ac iacent. Ab sequundis rebus.) propter uictoriam, & res prosperas. Si uobis in animo.) si uultis et cupitis. Conclusio. Prima uigilia.) prima parte noctis, qua homines solent somno opprimi.

Argumentum in XLIIII.

Galli capta Roma, domos omnes, templaq; Deorum, præter pauca, & Capitolium, diruerant, soloq; æquauerant. Quæ fuit causa, ut tribuni pleb. fugatis cæsisq; Gallis, Camillo duce, quum Romã patres plebsq; rediissent, ad plebem de transmigratione

tione Veios referrent. Quod ubi Camillus intellexit, conuocato populo, hac concione non esse trāsmigrandum Veios suadebat.

M. Furij Camilli ad pop. Ro. concio, de non transmigrando Veios. XLIIII.

ADeò mihi acerbę sunt, Quirites, contentiones cum tribunis pl. ut nec tristissimi exilij solatiū aliud habuerim quod Ardeæ uixi, quàm quòd procul ab his certaminibus eram: & ob eadem hæc, non si me senatusconsulto plebisq́ue iussu reuocaretis, rediturus unquam fuerim: nec nunc me, ut redirem, mea uoluntas mutata, sed uestra fortuna perpulit. quippe ut in sua sede maneret patria, id agebatur, non ut ego utiq́ue in patria essem. Et nunc tacerem & quiescerē libenter, nisi hæc quoq́ue pro patria dimicatio esset: cui deesse, quoad uita suppetat, alijs turpe, Camillo etiā nefas est. Quid enim repetimus, quid obsessam ex hostium manibus eripimus, si recuperatam ipsi deserimus? Et quū uictoribus Gallis, capta tota urbe, Capitolium tamen atq́ue arcem Dijq́ue & homines Romani tenuerint, habitauerint: uictoribus Romanis, recuperata urbe, arx quoq́ue & Capitolium deseretur? & plus uastitatis huic urbi sequunda nostra fortuna faciet, quàm aduersa fecerit? Equidem si nobis cum urbe simul positæ, traditæq́ue per manus religiones nullæ es-

sent: tamen tam euidens numen hac tempestate rebus affuit Romanis, ut omnem negligentiam diuini cultus exemptam hominibus putem. Intuemini enim horum deinceps annorũ uel sequundas res, uel aduersas: inuenietis omnia prospere euenisse sequentibus Deos, aduersa spernentibus. Iam omnium primum Veiẽs bellum per quot annos, quãto labore gestum? non ante cepit finem, quàm monitu Deorum aqua ex lacu Albano emissa est. Quid hæc tandem urbis nostræ clades noua? non antè exorta est, quàm spreta uox emissa de aduentu Gallorum: quàm gentium ius à legatis nostris uiolatum: quàm à nobis, cum uindicari deberet eadem negligentia Deorum, prætermissum. Igitur uicti, captiq́ue, ac redempti, tantum pœnarũ Dijs hominibusq́ue dedimus, ut terrarum orbi documento essemus. Aduersæ deinde res admonuerunt religionum: confugimus in Capitolium, ad sedem Iouis optimi maximi: sacra in ruina rerum nostrarum alia terræ celauimus, alia auecta in finitimas urbes amouimus ab hostium oculis: Deorum cultũ, deserti ab Dijs hominibusq́ue, tamen non intermisimus. Reddidere igitur patriam & uictoriam, & antiquum belli decus amissum: & in hostes, qui cæci auaritia in pondere auri fœdus ac fidem fefellerũt, uerterunt terrorem, fugamq́ue, & cædem. Hæc culti, neglectiq́ue numinis tanta monumenta in

rebus humanis cernentes, ecquid ſentitis, Quirites, quantum iuxdum ex naufragijs prioris culpæ cladisq́ emergentes, paremus nefas? Vrbem auſpicatò, inauguratoq́ habemus conditam: nullus locus in ea non religionum, Deorumq́ eſt plenus: ſacrificijs ſolennibus non dies magis ſtati, quàm loca ſunt, in quibus fiant. Hos omnes deos publicos, priuatosq́, Quirites, deſerturi eſtis? Quàm par ueſtrum factum eſt, quod in obſidione nuper in egregio adoleſcente Fabio non minore hoſtium admiratione, quàm ueſtra conſpectum eſt, quum inter Gallica tela digreſſus ex arce, ſolenne Fabiæ gẽtis in colle Quirinali obijt? An gentilitia ſacra ne in bello quidem intermitti, publica ſacra & Romanos deos etiam in pace deſeri placet? & Pontifices, Flaminesq́ negligentiores publicarum religionum eſſe, quàm priuatus in ſolenni gentis fuerit? Forſitan aliquis dicat, aut ea nos Veijs facturos, aut huc inde miſſuros ſacerdotes noſtros, qui faciant: quorum neutrum fieri ſaluis ceremonijs poteſt. Et ne omnia generatim ſacra, omnesq́ percenſeam Deos: in Iouis epulo non alibi quàm in Capitolio, puluinar ſuſcipi poteſt? Quid de æternis Veſtæ ignibus, ſignoq́ quod imperij pignus cuſtodia eius templi tenetur, loquar? quid de Ancylibus ueſtris? Mars Gradiue, tuq́ Quirine pater, hæc omnia in profano deſeri placet ſacra æquã

lia urbi, quædam uetustiora origine urbis? Et uidete quid inter nos & maiores intersit. Illi sacra quædam in mõte Albano, Lanuuinoq́ nobis facienda tradiderunt. An ex hostium urbibus Romam ad nos transferri sacra, religiosũ fuit: hinc sine piaculo in hostium urbem Veios transferemus? Recordamini agitedũ, quoties sacra instaurentur, quia aliquid ex patrio ritu negligẽtia casu'ue prętermissum est. Modo quę res post prodigium Albani lacus, nisi instauratio sacrorum, auspiciorumq́ renouatio, affectę Veienti bello Reip. remedio fuit? At etiam tanquam ueterum religionum memores, & peregrinos Deos transtulimus Romam, & instituimus nouos. Iuno regina transuecta à Veijs, nuper in Auentino quàm insigni ob excellẽs matronarum studiũ, celebriq́ dedicata est die? Allocutio templum propter cœlestem uocem exauditam in noua uia iussimus fieri: Capitolinos ludos solennibus alijs addidimus, collegiumq́ ad id nouum authore senatu cõdidimus. Quid horum opus fuit suscipi, si unà cum Gallis urbem Romanam relicturi fuimus? si non uoluntate mansimus in Capitolio per tot mẽses obsidionis? si ab hostibus metu retenti sumus? De sacris loquimur, & de templis: quid tã dem de sacerdotibus? Nonne in mentem uenit, quanta piacula committãtur? Vestalibus nempe una illa sedes est, ex qua eas nihil unquam,

præterquàm urbs capta, mouit. Flamini Diali noctem unam manere extra urbem nefas est. hos Veientes pro Romanis facturi estis sacerdotes? & Vestales tuæ te deserent Vesta? & flamen peregre habitãdo, in singulas noctes quã tũ sibi reiq; publicæ piaculi contrahet? Quid alia, quę auspicatò agimus omnia ferè intra pomœrium, cui obliuioni, aut cui negligentiæ damus? Comitia Curiata, quæ rem militarem cõtinent: comitia Centuriata, quibus consules, tribunos'q; militares creatis: ubi auspicatò, nisi ubi assolent, fieri possunt? Veios'ne hæc transferemus? an comitiorum causa populus tanto incommodo in desertam hanc ab Dijs hominibus'q; urbem conueniet? Sed res ipsa cogit uastatam incendijs ruinis'q; relinquere urbem, & ad integra omnia Veios migrare, nec hic ædificando inopem plebem uexare. Hanc autem iactari magis causam, quàm ueram esse, ut ego non dicam, apparere uobis Quirites puto: qui meministis, ante Gallorũ aduentum saluis tectis publicis priuatis'q;, stante incolumi urbe, hanc tandem rem actam esse, ut Veios transmigraremus. Et uidete quantum inter meam sententiã uestram'q; intersit, Tribuni. Vos etiam si tunc faciendum non fuerit, nunc faciendum putatis: ego cõtrà, (nec id mirati sitis, prius quàm quale sit audieritis) etiam si tũc migrandum fuisset incolumi tota urbe, nunc has ruinas relin-

quendas non censerem. Quippe tum causa nobis in urbem captam migrandi uictoria esset, gloriosa nobis, ac posteris nostris: nunc hæc migratio nobis misera ac turpis, Gallis gloriosa est. non enim reliquisse uictores, sed amisisse uicti patriam uidebimini. Hoc ad Alliã fuga, hoc capta urbs, hoc circunsessum Capitoliũ necessitatis imposuisse, ut desereremus penates nostros, exiliumq́; ac fugam nobis ex eo loco consciisceremus, quem tueri non possemus? & Galli euertere potuerunt Romam, quam Romani restituere non uidebuntur potuisse? Quid restat, nisi ut si iam nouis copiis ueniant (constat enim uix credibilem multitudinem esse) & habitare in capta ab se, deserta à nobis hac urbe uelint, sinatis? Quid si non Galli hoc, sed ueteres hostes nostri, Equi Volsciq́; faciant, ut commigrent Romam? Velitis'ne illos Romanos, uos Veiẽtes esse? Non malitis hanc solitudinem uestram, quàm urbẽ hostium esse? Non equidem uideo quid magis nefas sit. Hęc scelera, quia piget ædificare, hæc dedecora pati parati estis? Si tota urbe nullum melius amplius'ue tectum fieri possit, quàm casa illa conditoris est nostri: non in casis ritu pastorum agrestiumq́; habitare est satius inter sacra penatesq́; nostros, quàm exũlatum publicè ire? Maiores nostri conuenæ pastoresq́;, quum in his locis nihil præter syluas paludesq́; esset, nouam ur-

bem

bem tam breui ædificauerunt: nos Capitolio, arce incolumi, stantibus templis Deorum, ædificare incensam piget? & quod singuli facturi fuimus si ædes nostræ deflagrassent, hoc in publico incẽdio uniuersi recusamus facere? Quid tandem, si fraude, si casu Veijs incendiũ ortum sit, uentoq́; ut fieri potest, diffusa flamma magnã partem urbis absumat? Fidenas inde, aut Gabios, aliam'ue quam urbem quæsituri sum⁹ quò transmigremus? Adeò nihil tenet solum patriæ, nec hæc terra, quam matrem appellamus: sed in superficie, tignisq́; charitas nobis patriæ pendet? Et quidem fatebor uobis, (etsi minus iniuriæ uestræ, quàm meæ calamitatis meminisse iuuat) quum abessem, quotiescunque patria in mentem ueniret, hæc omnia occurrebant: colles, campiq́; & Tyberis, & assueta oculis regio, & hoc cœlum, sub quo natus, educatusq́; essem. Quæ uos, Quirites, nũc moueant potius charitate sua, ut maneatis in sede uestra, quàm postea, quũ reliqueritis ea, macerent desiderio. Non sine causa Dij hominesq́; hunc urbi condendæ locũ elegerũt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges deuehantur, quo maritimi cõmeatus accipiãtur: mare uicinũ ad cõmoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarũ regionum, Italiæ

medium.

medium. Ad incrementum urbis natum unice locum, argumento est ipsa magnitudo tam nouæ urbis. Trecentesimus sexagesimusquintus annus urbis, Quirites, agitur. Inter tot ueterrimos populos tandiu bella geritis, quum interea (ne singulas loquar urbes) non coniuncti cum Equis Volsci, tot, tam ualida oppida, non uniuersa Ethruria tantum terra mariq; pollēs, atq; inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello uobis est par. Quod quum ita sit, quę (malùm) ratio est, expertis alia experiri? quum iam ut uirtus uestra transire aliò possit, fortuna certe loci huius transferri non possit? Hic Capitolium est, ubi quondam capite humano inuento, responsum est, eo loco caput rerum, summamq; imperij fore. hic quum augurató liberaretur Capitolium, Iuuētas, Terminusq; maximo gaudio patrum nostrorum moueri se non passi: hic Vestæ ignes: hic Ancylia cœlo demissa: hic omnes propitij manētib. uobis Dij.

Adeò mihi.) *Dissuasio, ne Veios transmigrent Romani. Beneuolentia captatur à persona aduersariorum, eiusq; qui dicit, & à re ipsa. Si me Senatusconsulto.)* *Nam quum nunciatum esset Romæ, ingentem stragem Gallorum ad Ardeam duce Camillo factam esse, senatusconsulto reuocatus est, & comitijs dictator creatus. Et nunc quiescerem.)*

ſcerem.) Ab officio ſuo beneuolentiam conciliat.

Cui deeſſe.) patriæ ſcilicet, non dimicationi. Deeſſe, & adeſſe, contrariæ ſunt ſignificationis. Deeſſe alicui eſt, eum tum non adiuuare, quum & ipſi neceſſarium eſt, & quis poſsit ſubuenire: quod uulgò dicimus deficere alicui, & eum relinquere in ſua neceſsitate. Hypotheſis uidetur. Et quum uictoribus.) Amplificatio eſt, per comparationem. Quam ſpreta uox.) Vox ea exaudita fuit à M. Ceditio homine plebeio, qua iubebatur dici magiſtratibus, Gallos aduentare. Ea propter autoris humilitatem ſpreta eſt. Quàm gentium ius.) Quum miſsi ad Gallos, ſumpſerunt arma, pugnaruntq́;.

Vrbem auſpicatò.) à Romulo ſcilicet, cui capienti Palatinum templum ad inaugurandum, duodecim aues apparuerant. Hæ uoces duæ ſunt aduerbia. Nonius Marcellus augurium & auſpiciũ non ſeparat, niſi quod augurium latius funditur & patet, ut rerum omnium, quolibet fiat modo, coniecturas prudenter atq; diligenter amplectatur: auſpicium uero contractius ſe habet, refertur q́; tantum ad coniecturas, quæ ex uolatu auium oreq́; deprehenduntur. Hinc auſpicatò fieri aliquid dicitur, quod fit per auſpicia. Et quia quæ per auſpicia gerebantur, ferè proſpere ac feliciter eueniebant, fit ut nunc ea auſpicatò geri dicantur, quæ feliciter cadunt.

cadunt. Quàm par ueſtrum.) Exemplum à minori. Solenne Fabiæ.) Solenne dicitur, quod fieri certis temporibus & ceremonijs ſolet. Debet ſcribi duplici n. Hinc ſolenniter, quod dicitur ſecũdum conſuetudinem, & rite. T. idem Liuius V. ab Vrbe: Ibiq; omnibus ſolenniter peractis. id eſt, debitè & ritè. Flaminesq;.) Sacerdotes erant, qui nomen ſuum ab eo Deo ſumebant, cui attribuebantur: ut Dialis flamen, Iouis: Quirinalis, Quirini, id eſt Romuli. Dicti autem uniuerſi flamines, Varrone, autore, quod in Latio capite uelato erant ſemper, ac caput habebant cinctum filo. Publicarum religionum.) Religio hic ſumitur pro cultu Deo debito. Religio quædam publica eſt, quæ ab omnibus, ſiue ſint obſtricti, ſiue ſponte faciant, Deo exhibetur. Alia priuata, quam gens aut familia aliqua, ſiue aliqui peculiariter ſibi induerunt: cuiuſmodi erat ſacrum illud ſolenne Fabiæ gentis, cuiuſmodi ſunt ſacra illa quæ hodie ſtatis diebus ab opificibus alijsq; ſuis diuis fiunt. Hinc religioſi dicuntur, quos hodie uulgò deuotos appellamus. Forſitan aliquis.) Præſumptio. Saluis ceremonijs.) manentibus, ſtantibus. Aeternis Veſtæ.) Veſta uirgo fuit perpetua uirginitate nobilis, cui Numa uirgines legit, quæ Veſtales appellatæ ſunt. Ignis perpetuò durãs

earum

earum indicabat uirginitatem. Multa de Vestalibus Gellius primo libro præcipit. Quid de Ancylibus.) Ancylia pictura quadam in æreo tegumine continebantur: arma cœlestia appellata, quod cœlo demissa credebantur. Scuti speciem habebant. Ea ut sacerdotes Martij super tunicam pictam ante pectus ferrent, Numa instituit. Mars Gradiue.) Gradiuus Mars, autore Festo, appellatus est, uel à gradiendo in bello ultro citroq;, siue à uibratione hastæ: uel à gramine, quod graminea in bello corona maximæ est honorationis. Tuq; Quirine.) Romulus à Quiritibus, autore Varrone, dictus est Quirinus. Aequalia urbi.) quæ simul instituta sunt quum urbs Roma conderetur, ut sunt sacra à Numa instituta. Quædam uetustiora.) ut sacra Herculis, quæ Potitijs & Pinarijs Euandri consilio à Romulo facienda tradita sunt. Religiosum fuit.) nefas, illicitum, metuendum. Religio enim nonnunquam sumitur pro metu quodam, ac solicitudine, quæ ad id ualet, atq; concipitur, ne diuorum uioletur cultus & religio. Inde religiosi dies, qui & nefasti à Varrone dicuntur, in quibus aliquid auspicari propter ominis diritatē nefas erat. Ii dies religiosi uocari possunt, quos atros uulgò appellamus. De his plura Gellius. Illi sacra.) Exemplum à minore. Dissuadet ferè to

ta

ta oratione ab incommodis quæ secutura erant. Flamini Diali.) A Dio, ut sentit Festus, Dialis Flamen dictus est, à quo uita dari hominibus putabatur. certe Ioui cum Numa aßignauit aßiduũ sacerdotem, cui ex eo quod aßiduus lectus erat, puto, extra urbem noctem unam manere non licebat. Comitia curiata.) quæ indicebantur curiatim, id est per tribus. Centuriata.) quæ centuriatim fiebant. Illa per lictorem conuocabantur, hæc per cornicinem. De his uide plura apud Gellium lib. XV. Sed res ipsa.) Præsumptio. Maiores nostri.) Ad hanc orationem ab incommodis consecuturis dissuasit. Amplificatio est per comparationem. Non sine causa.) A loci natura. Quod quum ita sit.) Conclusio. Quæ, malùm.) Malùm hoc loco uel est aduerbium, uel interiectio indignantis. Cicero secundo de Officijs libro similem omnino habet locutionem. Ego apice grauis accentus notaui. Vt uirtus.) quamuis. Vbi quondam.) Imperio scilicet Tarquinij Superbi. Inuentum fuit in fundamentis eius templi, quod Ioui idẽ Tarquinius in monte Tarpeio condidit. Hic quum auguratò.) Quum idem Tarquinius omnia fana sacellaq; templi eius quod in Capitolio Ioui consecrauit, exaugurari iuberet, in eisq; omnibus aues exaugurationes admitterent, præterquàm in

sano

fano Termini: inde omen acceperunt, non motam Termini sedem esse, solumq; eum Deorum non euocatum, ibi firma omnia & stabilia portendere.

EX LIBRO SEXTO AB VRBE CONDITA Sumptæ.

Argumentum in XLV.

Ad Satricum Antiates cum Volscorum, Latinorum, Hernicorumq; ingenti multitudine sumpserant arma contra Romanos. Quod bellum Camillo dictatori mandatum fuit. Ibi quum uiso inspectoq; hostiũ ingenti numero, milites commoti, perturbatiq;, singulis cum centenis congrediendum esse conclamarent: Camillus in equo inter aciem obequitans, eos ad strenuè atq; fortiter pugnandum ita adhortabatur.

M. Furij Camilli dictatoris ad suos perturbatos hostium numero, adhortatio. 45.

QVæ tristitia, milites, hæc? quæ insolita cunctatio est? Hostem, an me, an uos ignoratis? Hostis quid aliud est, quàm perpetua materia uirtutis gloriæq; uestræ? Vos contrà, me duce (ut Faliscos, Veiosq; captos, & in capta patria Gallorum legiones cæsas taceam) modo tergeminæ uictoriæ triplicem triumphum de his ipsis Volscis & Equis, & ex E-

thruria egistis. An me, quod non dictator uobis, sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? Neque ego maxima imperia in uos desidero, & uos in me nihil præter me ipsum intueri decet. Neque enim dicta ura mihi unquam animos fecit, ut ne exilium quidem ademit. Iidē igitur omnes sumus: & quum eadem omnia in hoc bellū adferamus, quæ in priora attulimus, euentum eundem belli expectemus. Simul cōcurreritis, quod quisque didicit ac consueuit, faciet: uos uincetis, illi fugient.

Quæ tristitia.) In hac maxime à rebus præclare gestis, & à facili & poßibili adhortatur. Insolita cunctatio.) dubitatio. Tergeminæ uictoriæ.) Tergemina uictoria eadem ratione dicitur, qua tergemini fratres. Itaq; ut tergemini fratres dicuntur tres qui uno partu editi sunt: ita tergemina uictoria erit, quæ uno tempore tribus locis parta est. Simul concurreritis.) Peculiarem iam suprà Liuio admonui eam particulam esse, pro simul ac, siue ut primum.

Argumentum in XLVI.

A. Cornelius Coßus dictator T. Quintium Capitolinum magistrum equitum dixerat. Ii aduersus Volscorum ingentem multitudinem, etiamsi bella intestina remorari poterant, delectu habito in agrū Promptinum milites ducunt. Ibi quum postridie

quàm

quàm uenissent, cæsa hostia pacem à Dijs petijsset dictator, lætus tanquã à Dijs auditus esset, in hæc uerba milites adhortabatur.

Adhortatio A. Cornelij Cosi dictatoris ad suos. XLVI.

NOstra uictoria est, milites, si quid Dij, uatesq; eorum in futurum uident. Itaque ut decet certæ spei plenos, & cum imparibus manus conserturos, pilis ante pedes positis, gladijs tantum dextras armemus. Nec procurri quidem ab acie uelim, sed obnoxios uos stabili gradu impetum hostium excipere. Vbi illi uana iniecerint missilia, & effusi stantibus uobis se intulerint: tum micent gladij, & ueniat in mentem unicuiq;, Deos esse qui Romanum adiuuent: Deos, qui sequundis auibus in prælium miserint. Tu, Quinti, equitem intentum ad primum initium moti certaminis teneas: ubi hærere iam aciem collato pede uideris, tum terrorem equestrem occupatis alio pauore infer: inuectus ordines pugnantium dissipa.

Argumentum in XLVII.

M. Manlius Capitolinus erat, qui Capitolium ab Gallis clangore anserũ excitus seruarat. Is largitionibus populari aura captata, populum domũ

thruria egistis. An me, quod non dictator uobis, sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? Neque ego maxima imperia in uos desi dero, & uos in me nihil præter me ipsum intueri decet. Neque enim dicta ura mihi unquam animos fecit, ut ne exilium quidem ademit. Iidẽ igitur omnes sumus: & quum eadem omnia in hoc bellũ adferamus, quæ in priora attulimus, euentum eundem belli expectemus. Simul cõcurreritis, quod quisque didicit ac consueuit, faciet: uos uincetis, illi fugient,

Quæ tristitia.) In hac maxime à rebus præclare gestis, & à facili & poßibili adhortatur. Insolita cunctatio.) dubitatio. Tergeminæ uictoriæ.) Tergemina uictoria eadem ratione dicitur, qua tergemini fratres. Itaq; ut tergemini fratres dicuntur tres qui uno partu editi sunt: ita tergemina uictoria erit, quæ uno tempore tribus locis parta est. Simul concurreritis.) Peculiarem iam suprà Liuio admonui eam particulam esse, pro simul ac, siue ut primum.

Argumentum in X L V I.

A. Cornelius Coßus dictator T. Quintium Capitolinum magistrum equitum dixerat. Ii aduersus Volscorum ingentem multitudinem, etiamsi bella intestina remorari poterant, delectu habito in agrũ Promptinum milites ducunt. Ibi quum postridie

quàm

quàm uenissent, cæsa hostia pacem à Dijs petijsset dictator, lætus tanquã à Dijs auditus esset, in hæc uerba milites adhortabatur.

Adhortatio A. Cornelij Cosi dictatoris ad suos. XLVI.

NOstra uictoria est, milites, si quid Dij, uatesq; eorum in futurum uident. Itaque ut decet certæ spei plenos, & cum imparibus manus conserturos, pilis ante pedes positis, gladijs tantum dextras armemus. Nec procurri quidem ab acie uelim, sed obnoxios uos stabili gradu impetum hostium excipere. Vbi illi uana iniecerint missilia, & effusi stantibus uobis se intulerint: tum micent gladij, & ueniat in mentem unicuiq;, Deos esse qui Romanum adiuuent: Deos, qui secundis auibus in prælium miserint. Tu, Quinti, equitem intentum ad primum initium moti certaminis teneas: ubi hærere iam aciem collato pede uideris, tum terrorem equestrem occupatis alio pauore infer: inuectus ordines pugnantium dissipa.

Argumentum in XLVII.

M. Manlius Capitolinus erat, qui Capitolium ab Gallis clangore anserũ excitus seruarat. Is largitionibus populari aura captata, populum domũ

ſuam uocat, ubi in patres inuectus, inter alia, ab ijs theſauros eos qui ad redimendam à Gallis urbẽ ex ærario exprompti, ſiue à matronis collati fuerant, occultatos iactabat. Rogatus ubi'nam tantæ rei fur tum occultaretur, tempore ipſo ſe indicaturũ reſpondit. Dictator Coſſus ob eam rem ab exercitu et caſtris in urbem accitus, poſtero die ſenatu habito quum uoluntates hominum ſatis exploraſſet, retinet ſenatum, Manliumq́; per præconem uocari iubet. Manlius multitudine plebis ſtipatus, in ſenatũ uenit: in quem dictator hæc uerba coniecit.

Verba Cornelij Coßi dictatoris in M. Manlium. XLVII.

VTinam mihi, patribusq́ Romanis ita de cæteris rebus cum plebe conueniat, quẽ admodum, quod ad te attinet, eamq́ rẽ quam de te ſum quæſiturus, conuenturum ſatis confido. Spem factam à te ciuitati uideo, fide incolumi ex Gallicis theſauris, quos primores patrum occultent, creditum ſolui poſſe: cui ego rei tantum abeſt ut impedimento ſim, ut contrà, te M. Manli, adhorter, liberes fœnore plebem Romanam, & iſtos incubantes theſauris publicis ex prȩda clãdeſtina euoluas. Quod niſi facis, ſiue ut & ipſe in parte prædæ ſis, ſiue quia uanum indicium eſt: in uincula te duci iubebo,

bebo, nec diutius patiar à te multitudinem fallaci ſpe concitari.

Argumentum in XLVIII.

Coniunctum eſt hoc cum ſuperiore. Cum plebe, quam donis largitionibusq́; pellexerat, in ſenatum Manlius uenerat. Ibi dictatori concionato, in hanc ſententiam reſpondit.

Reſponſio M. Manlij Capitolini ad dictatorem, & patres. XLVIII.

OFfendit te, A. Corneli, uosq́ P. C. circunfuſa turba lateri meo. Quin eam deducitis à me ſinguli ueſtris beneficijs? intercedendo, eximendo de neruo ciues ueſtros: prohibendo iudicatos, addictosq́ duci: ex eo quod affluit opibus ueſtris, ſuſtinendo neceſſitates aliorum? Sed quid ego uos, de ueſtro impendatis hortor? Sortem aliquam ferte: de capite deducite quod uſuris pernumeratum eſt: iam nihilo mea turba, quàm ullius, conſpectior erit. At enim quid ita ſolus ego ciuium curã ago? Nihilo magis, quod reſpondeam, habeo, quàm ſi quæras, quid ita ſolus Capitolium arcemq́ ſeruauerim: & tum uniuerſis quàm potui opem tuli, & nunc ſingulis feram. Nã quod ad theſauros Gallicos attinet, rem ſuapte natura facilem, difficilem interrogatio facit. Cur enim quæritis quod ſcitis? cur quod in ſinu ueſtro eſt, excuti iubetis potius, quàm ponatis? Ni

ſi aliqua fraus ſubeſt, quo magis argui præſti-gias iuberis ueſtras, eo plus uereor ne abſtuleritis obſeruantibus etiam oculos. Itaq; non ego uobis, ut indicem prædas ueſtras, ſed uos id cogendi eſtis, ut in medium proferatis.

Circumfuſa turba.) quæ circunſiſtit & cingit latus meum. Quin eam deducitis.) auocatis, abducitis. Eximendo de neruo.) Neruus hic ſumitur pro uinculo quodam ferreo, quo debitores à fœneratoribus ſiue creditoribus uinciebantur, quum non eſſent ſoluendo. Vocat Liuius & nexum, uinculum illud: & nexos, qui nexu uincti erant: de quibus exemplum memorabile ſecundo ab Vrbe condita refert. Prohibendo iudicatos.) In hoc accuſatiuo genitiuus pecuniæ aut debiti intelligi debet: ut paulo ſuprà in ſexto hoc Liuius dixit, Centurionem nobilem militaribus factis iudicatum pecuniæ quum duci uidiſſet. Verũ ut res ipſa planius intelligatur, quædam de fœneratoribus & debitoribus ex lege XII tabularum ſubijciam. Fœnerator debitorem, ſi non erat ſoluẽdo, ad prætorem adducebat. Ibi ſi debitũ negaſſet, tormentis, aut quo alio pacto ueritas explorabatur. Si tandem confeſſus fuiſſet debitum, tum à prætore debiti iudicabatur. id eſt, reſtituere creditã pecuniam, qua ſe teneri confeſſus eſſet, ſententia lata iube-

iubebatur, non præsentem quidem, sed triginta dies conquirendæ pecuniæ gratia quam dissolueret, dabantur: qui dies iusti appellati sunt, quòd eo tempore uelut iustitium quoddam, siue intermissio ac cessatio iuris inter eos intercedebat, nihilq; iure cū eo fœnerator agere posset. Si eo tempore non dissoluisset, à prætore rursus uocabatur, ab eoq; fœneratori addicebatur, id est, in temporariam pœnam & seruitutem tradebatur. Addictus, aut neruo, aut nexu, aut alijs uinculis uinciebatur, etiam in priuato carcere, seu ergastulo fœneratoris. Hæc sunt ferè ex sententia Gellij cap. I. libri XX. quo uerba ipsa legis subiungit. Ex quibus satis constat, qui iudicati pecuniæ, qui'ue addicti dicantur. Duci.) ne nexum ineant, siue in uincula conijciantur. Sustinendo necessitates.) Elegans locutio, pro eo quod uulgò dicimus, obuiando necessitatibus. De uestro impendatis.) De meo, tuo, suo, nostro, uestro impendere, ornatè dicitur, etiam si ad Gallicam linguam proxime accedat: pro quo de meo, tuo, suo, nostro, uestro bono dicimus. Sortem aliquā ferte.) Sors in re fœneratitia caput est, siue prima pecunia, quæ à fœneratore debitori datur mutuò, ita tamē ut certā quādā pecuniā pariat, dum uniuersa dissoluatur. Ea pecunia quæ paritur, dicitur fœnus, siue usura. Iā ue-

nio ad expositionẽ huius loci, qui ita explicabitur. Sortem aliquam ferte: id est, auferte ac recipite pecuniam eam quæ datur ut pariat aliam. de capite deducite, id est auferte & subtrahite de sorte ipsa: quod usuris pernumeratũ est, id est, eam pecuniam quam in certum tempus partam debitor dissoluit. Quo in loco illud notandum est, quòd sententia Budæi, *quem de hac re nominatim consului, aliquando, pro aliquam legendum est.* Nam *particulam de capite, ad posteriorem pertinere, non ad priorem orationem,* Liuius *ipse testis est in lege* Licinia, *quã in argumento postremo huius libri subiungam.*

Argumentum in XLIX.

Ad proximum & hoc pertinet. Manlius *quum habita concione, ambagibus missis, aut peragere uerum indicium iuberetur, aut fateri facinus insimulati falso crimine senatus: se non locuturum inimicorum arbitrio & uoluntate professus, iam à uiatore comprehendebatur in uincula ducendus, quum ita* Deorum *fidem atq; auxilium implorare cœpit.*

Verba M. Manlij *ad* Deos *quum in uincula duceretur.* XLIX.

Iupiter optime maxime, Iunoq́; regina, ac Minerua, cæteriq́; Dij, Deæq́; qui Capitolium, arcemq́; incolitis: siccine ueſtrum militem ac præſidẽ ſinitis uexari ab inimicis? Hæc

dextra, qua Gallos fudi à delubris ueſtris, iam in uinculis & catenis erit?

Argumentum in L.

Concitata plebs erat Manlij fortuna, miſeráq; conditione, adeò ut magna pars ueſtem mutaret, mœſta turba ueſtibulo carceris obuerſaretur. Ei multitudini, ſimulac Coſſus dictatura abijt, plerique exprobrabant inter alia etiam illud, quod defenſores ſuos fauore in præceps ruere ſinebat, ut Sp. Melium & Caßium: ita M. Manlium proditum inimicis, quod ad nutũ dictatoris reſpondere noluiſſet, coniectum fuiſſe in carcerem. His, alijsq; ad eãdem rem pertinentibus plebs ſtimulata, atq; irritata, iam ſe carcerem effracturam minabatur: quum ex ſenatuſconſulto Manlius liberatur. Eductus ex carcere, animum ad ſeditionem intendens, plebem domum conuocat, ubi in hanc ſententiam de tollendis magiſtratibus diſſeruit.

Concio M. Manlij Capitolini poſt uincula ad plebẽ aduerſus patres concitandam. L.

QVouſq; tãdem ignorabitis uires ueſtras, quas natura ne belluas quidem uoluit ignorare? Numerate ſaltẽ quot ipſi ſitis, quot aduerſarios habeatis. Si ſinguli ſingulos aggreſſuri eſſetis, tamen acrius crederem uos pro libertate, quàm illos pro dominatione certaturos. Quot enim clientes circa ſingulos fui-

ſus patronos, tot nũc aduerſus unũ hoſtes eritis. Oſtendite modo bellũ, pacem habebitis: uideant uos paratos ad uim, ius ipſi remittent. Audendũ eſt aliquid uniuerſis, aut omnia ſingulis patienda. Quouſq; me circunſpectabitis? Ego quidem nulli ueſtrûm deero: ne fortuna mea deſit, uidete. Ipſe uindex ueſter, ubi uiſum inimicis eſt, nullus repẽte fui: & uidiſtis in uincula duci uniuerſi eũ, qui à ſingulis uobis uincula depuleram. Quid ſperem, ſi plus in me audeant inimici? An exitum Caſſij Melijq; expectem? Bene facitis, quod abominamini. Dij prohibebunt hæc: ſed nunquam propter me de cœlo deſcendent. Vobis dent mentem oportet, ut prohibeatis: ſicut mihi dederunt armato togatoq;, ut uos à barbaris hoſtibus, à ſuperbis defenderem ciuibus. Tam paruus animus tanti populi eſt, ut ſemper uobis auxilium aduerſus inimicos ſatis ſit: nec ullum, niſi quatenus uobis imperari ſinatis, certamen aduerſus patres noritis? Nec hoc natura uobis inſitum eſt, ſed uſu poſſidemini. Cur enim aduerſus externos tantum animorum geritis, ut imperare illis æquum cenſeatis? quia conſueuiſtis cum eis pro imperio certare: aduerſus hos tentare magis, quàm tueri libertatem. Tamen qualeſcunq; duces habuiſtis, qualeſcunq; ipſi fuiſtis: omnia adhuc quantacunq; petiſtis, obtinuiſtis, ſeu ui, ſeu fortuna ueſtra: tempus eſt etiã maiora conari.
Experi-

Experimini modo & ueſtram fœlicitatẽ,& me (ut ſpero) feliciter expertum: minore negotio qui imperet patribus imponetis,quàm qui reſiſterent imperantibus,impoſuiſtis. Solo æquãdæ ſunt dictaturæ,conſulatusq́;,ut caput attollere Romana plebs poſſit.Proinde adeſte,prohibete ius de pecunijs dici:ego me patronũ profiteor plebis. Quod mihi cura mea & fides nomẽ induit,uos ſi quo inſigni magis imperij honoris'ue nomine ueſtrũ appellabitis ducẽ: eo utemini potẽtiore,ad obtinenda ea quæ uultis.

Quouſq; tandem.) Exhortatio eſt ad tollendos magiſtratus, & ad libertatem. Suadet maxime à poßibili, & facili. Quot enim clientes.)Clientes dicuntur, qui beneficijs, humanitate, clementia, aut qua alia re ſimili prouocati, ſe in fidem alicuius tradiderunt. Eos *hodie uaſſallos appellamus.quanquam uulgò ij clientes appellantur, qui ius habent prehendendi ſontes, quos antè lictores dici debere oſtendi.* Hinc *clientela, clientum multitudo.* Clientibus *ij patroni ſunt,quibus ſe ſuaq́; per miſerunt. Vbi uiſum.)poſtquam placuit. An exitum Caßij.) hi duo necati, quod plebem largitionibus pelliciendo, regnum affectare uiderentur.*

Solo æquandæ.)prorſus tollendæ,et abolendæ. Metaphora ſumpta à domo, quæ tota ad fundamenta diruitur.

Argu-

Argumentum in LI.

Camillus in recensendis captiuis Volscorum forte Tusculanos duos agnoscit: qui rogati quo consilio cum Volscis se coniunxissent, quum publico faterentur, ducti sunt Romam ad senatum. Ibi Camillus perfidiam Tusculanorum accusat. Placet patribus, ut bellum aduersus Tusculanos geratur: cui Camillum præficiunt. Tusculani ciues patentibus urbis portis obuiam Camillo in urbem promouenti frequentes procedunt: commeatus exercitui ex urbe et agris deuehitur. ingressus uerò urbem, quũ non secus quàm in certa pace opifices suo quenque operi intentos cerneret, rei rationem admiratus, senatu eorum uocato, ita uerba fecit.

Verba Camilli ad senatores Tusculanorũ, de mittendis Romam de pace legatis. LI.

SOli adhuc Tusculani, uera arma, uerasq; uires, quibus ab ira Romanorum uestra tueremini, inuenistis. Ite Romam ad senatum: ęstimabunt patres, utrum plus antè pœnę an nunc ueniæ meriti sitis. Non præripiam gratiam publici beneficij. Deprecandi potestatem à me habueritis: precibus euentum uestris senatus, quem uidebitur, dabit.

Argumentum in LII.

Tusculani oratores, sicuti suaserat Camillus,

Romam

Romam ad petendam pacem mißi, hoſpitaliter uocati, cauſam ſuam ita egerunt.

Legatorum Tuſculanorum in ſenatu oratio purgatoria. L II.

QVibus bellum intuliſtis, P. C. ſicut nunc uidetis nos ſtantes in ueſtibulo curiæ ueſtræ, ita armati paratiq́ obuiam imperatoribus legionibusq́ ueſtris proceſſimus. Hic noſter, hic plebis noſtræ habitus fuit, eritq́ ſemper, niſi quando à uobis, proq́ uobis arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus ueſtris, & exercitibus, quod oculis magis quàm auribus crediderunt: & ubi nihil hoſtile erat, neq́ ipſi quidem fecerunt. Pacem quam nos præſtitimus, eam à uobis petimus: bellũ eò ſicubi eſt, auertatis precamur. In nos quid arma polleant ueſtra, ſi parcendo experiundũ eſt, inermes experiemur. Hæc mẽs noſtra eſt: Dij immortales faciant, tam ſit felix, quàm pia. Quod ad crimina attinet, quib. moti bellum indixiſtis: etſi reuicta rebus, uerbis cõfutare nihil attinet. tamẽ etiamſi uera ſint, uel fateri nobis ea, quum tam euidenter pœnituerit, tutum cenſemus. Peccetur in uos, dum digni ſitis, quibus ita ſatisfiat.

Purgandi ratio, ubi res delata uera non eſt.
Bellum indixiſtis.) denunciaſtis. Etſi reuicta rebus.) comperta ſunt falſo nobis obiecta, quum

ſcilicet

Argumentum in LI.

Camillus in recensendis captiuis Volscorum forte Tusculanos duos agnoscit: qui rogati quo consilio cum Volscis se coniunxissent, quum publico faterentur, ducti sunt Romam ad senatum. Ibi Camillus perfidiam Tusculanorum accusat. Placet patribus, ut bellum aduersus Tusculanos geratur: cui Camillum præficiunt. Tusculani ciues patentibus urbis portis obuiam Camillo in urbem promouenti frequentes procedunt: commeatus exercitui ex urbe et agris deuehitur. ingressus uerò urbem, quũ non secus quàm in certa pace opifices suo quenque operi intentos cerneret, rei rationem admiratus, senatu eorum uocato, ita uerba fecit.

Verba Camilli ad senatores Tusculanorũ, de mittendis Romam de pace legatis. LI.

SOli adhuc Tusculani, uera arma, uerasq́ uires, quibus ab ira Romanorum uestra tueremini, inuenistis. Ite Romam ad senatum: ęstimabunt patres, utrum plus antè pœnę an nunc ueniæ meriti sitis. Non præripiam gratiam publici beneficij. Deprecandi potestatem à me habueritis: precibus euentum uestris senatus, quem uidebitur, dabit.

Argumentum in LII.

Tusculani oratores, sicuti suaserat Camillus,

Romam

Romam ad petendam pacem missi, hospitaliter uocati, causam suam ita egerunt.

Legatorum Tusculanorum in senatu oratio purgatoria. L II.

QVibus bellum intulistis, P. C. sicut nunc uidetis nos stantes in uestibulo curiæ uestræ, ita armati paratiq; obuiam imperatoribus legionibusq; uestris processimus. Hic noster, hic plebis nostræ habitus fuit, eritq; semper, nisi quando à uobis, proq; uobis arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus uestris, & exercitibus, quod oculis magis quàm auribus crediderunt: & ubi nihil hostile erat, neq; ipsi quidem fecerunt. Pacem quam nos præstitimus, eam à uobis petimus: bellũ eò sicubi est, auertatis precamur. In nos quid arma polleant uestra, si parcendo experiundũ est, inermes experiemur. Hæc mẽs nostra est: Dij immortales faciant, tam sit felix, quàm pia. Quod ad crimina attinet, quib. moti bellum indixistis: etsi reuicta rebus, uerbis cõfutare nihil attinet. tamẽ etiamsi uera sint, uel fateri nobis ea, quum tam euidenter pœnituerit, tutum censemus. Peccetur in uos, dum digni sitis, quibus ita satisfiat.

Purgandi ratio, ubi res delata uera non est.

Bellum indixistis.) denunciastis. Etsi reuicta rebus.) comperta sunt falso nobis obiecta, quum scilicet

scilicet imperator urbem ingressus, omnia ut in pace solent, inuenit. Vel fateri.) etiam.

Argumentum in LIII.

Iam Prænestini, quum omnia Romæ seditionibus plena perlatum esset, uastatis agris ad portam Collinam peruenerant, spe urbis capiendæ: quum Romani dictatorem, ut assolebant in re trepida, T. Quintium Cincinnatum creant, à quo A. Sempronius magister equitum dictus. Hostes quum dictatorem creatum audirent, à mœnibus ad Alliam flumen, ubi castra locarent, se receperant. Dictator Quintius ducto exercitu, quum hostes in conspectu instructos paratosq; uideret, ita de belli ratione cum magistro equitum agebat.

Verba Q. Cincinnati dictatoris ad A. Semproniū magistrū equitū dè belli ratione. 53.

VIdes'ne tu Aule Semproni, loci fortuna illos fretos ad Alliam constitisse? nec illis Dij immortales certioris quicquam fiducię, maioris'ue quod sit auxilij dederint? At tu fretus armis, animis'que, concitatis equis in uade mediam aciem. Ego cum legionibus in turbatos trepidantes'que inferam signa. Adeste Dij testes fœderis, & expetite pœnas debitas simul uobis uiolatis, nobis'que per numen uestrum deceptis.

Argu-

Argumentum in LIIII. & LV.

Plebs arrepta forte occasione rerum nouandarum ex magna ui æris alieni, à quo leuari non posset, nisi suis in summo imperio collocatis: tribunosq́ plebis duos, C. Licinium & L. Sextium creat, qui sibi uiam præstruerent ad cæteros honores. Ii creati promulgant leges tres aduersus opes patriciorum, & pro commodis plebis. unam de ære alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id quod reliquum esset, triennio tribus æquis portionibus persolueretur. alteram de modo agrorum, ne quis amplius quingenta iugera agri poßideret. tertiam, ne tribunorum militum comitia fierent, consulq́; alter ex plebe crearetur. Conterriti patres tam seueris contra se legibus, collegas tribunis duobus adiungunt, qui leges per interceßionem promulgari non sinerent. Ii à duobus collegis legumlatoribus concilio ad promulgandas leges sæpe uocato, ne recitari quidem eas paßi sunt. Conditione deinde rerum coacti ijdem legumlatores, tribunos militum creari permittunt. Ita promulgatio in reditum exercitus dilata. Interim sæpe refecti ijdem tribuni, miseriam plebeiorum primoribus patrum exponunt, in licentiamq́; maximam patriciorũ inuehebãtur, quod attineret ad id quod leges promulgandæ cõtinebant.

nebant. Iam decies refecti, quum legionibus in urbē reductis, non impedirentur collegarum interceßione: patres dictatorem creant Camillum, qui stipatus magno patriciorum numero, quum collegarum interceßione etiam renouata nihil profici uideret, proxima oratione de interceßione ad populū uerba fecit. Ea concione habita, quum indictis tribunorum pleb. comitijs legūlatores iam decies, ut antè dixi, refecti se abire uelle magistratu per simulationem faterentur: magis accendebant plebis animos, ad id quod petebant. Nam etsi in leges suas pugnatum esse commemorabant interceßione collegarum, bello Veliterno, & dictatoris creatione: iam tamen illa obstare posse negabant, quo minus leges promulgarentur, quū magister equitū ex plebe dictus gradū fecisse ad cæteros quoq; magistratus uideretur. His, alijsq́; plebis animos inflammarāt, cum stupētibus cæteris unus A. Claudius aduersus trib. pleb. legumlatores, legesq́; ipsas, posteriorem orationem habuit.

Verba Camilli dictatoris ad Quirites de interceßione. LIIII.

QVandoquidem, Quirites, iam uos tribunitia libido, non potestas regit: & intercessionē secessione quondā plebis partam uobis, eadem ui facitis irritam, qua peperistis:

stis:nō Reip.magis uniuersæ,quàm uestra causa dictator intercessioni adero, euersumq; uestrum auxilium imperio tutabor. Itaq; si C.Licinius,& P.Sextius intercessioni collegarum cedunt,nihil patricium magistratum inseram cōcilio plebis. Si aduersu intercessionem tanquā captæ ciuitati leges imponere tendent,u m tribunitiam dissolui non patiar.

Et intercessionem.) Intercedere interim significat resistere atq; obstare, sed lege quadam,ne quod quis efficere uelit,ad exitum perducatur. Vulgò dicimus,se opponere. Inde intercessio, impedimentū illud,quod uocamus oppositionem. *Eadem ui.) per secessionem scilicet quod uariaretur inter illos sententijs,quū alij cōtrà promulgarēt, alij promulgationi intercederent.* *Intercessioni collegarū.) Cedere intercessioni,est quod uulgò dicimus,nō procedere contra oppositionē,ac permittere ut intercessio ipsa contra nos uim suam obtineat.*

Oratio Appij Claudij *contra tribunosq; le. legumlatores,& leges ipsas.*

NEque nouū, neq; inopinatum mihi sit, Quirites,si quod unū familiæ nostræ sēper obiectum est,id nunc ego quoq; audiam: Claudiæ genti iam inde ab initio nil antiquius in republica patrū maiestate fuisse,semper plebis commodis aduersatos esse. Quorū

alterum neq; nego,neq; inficias eo:nos ex quo ascíti sumus simul in ciuitatem & patres,enixè operam dedisse,ut per nos aucta potius,quàm imminuta maiestas earum gentium,inter quas nos esse uoluistis, dici uere posset. Illud alterũ pro me, maioribusq́; meis contendere ausim, Quirites (nisi quæ pro uniuersa rep. fiant, ea plebi tanquam aliam incolenti urbem aduersa quis putet) nihil nos neq; priuatos, neq; in magistratibus,quod incommodum plebi esset scientes fecisse,nec ullum factũ,dictum'ue nostrum, contra utilitatem uestram,etsi quædam contra uoluntatem fuerint, uerè referri posse. An hoc,si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus,sed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & uiuere in libertate sciam,reticere possum? L. illum Sextium,& C.Liciniũ,perpetuos,si Dijs placet,tribunos,tantum licentiæ nouem annis quibus regnant,sumpsisse,ut uobis negent potestatem liberam suffragij? non in comitijs, non in legibus iubendis se permissuros esse? Sub conditione(inquit)nos reficietis decimùm tribunos. Quid est aliud dicere? quod petunt alij,nos adeo fastidimus, ut sine mercede magna non accipiamus? Sed quæ tandẽ ista merces est,qua nos semper tribunos pl.habeamus? Vt rogationes,inquit,nostras, seu placent, seu displicent,seu utiles, seu inutiles sunt, omnes

con-

coniunctim accipiatis. Obſecro uos, Tarquinij tribuni ple. putate me ex media concione unũ ciuem ſucclamare: bona uenia ueſtra liceat ex his rogationibus legere, quas ſalubres nobis cẽſemus eſſe: antiquare alias. Non, inquit, licebit. Tu de fœnore, atq; agris, quod ad uos omnes pertinet, iubeas, & hoc portenti non fiat in urbe Romana, uti illum L. Sextium, atq; hunc C. Licinium conſules, quod indignaris, quod abominaris, uideas: aut omnia accipe, aut nihil fero: ut ſi quis ei quem urgeat fames, uenenũ ponat cũ cibo, & aut abſtinere eo quod uitale ſit iubeat, aut mortiferum uitali admiſceat. Ergo ſi eſſet libera hæc ciuitas, nõ tibi frequentes ſucclamaſſent, Abi hinc cum tribunatibus, ac rogationibus tuis: quod ſi tu non tuleris quod cõmodũ eſt populo accipere, nemo erit qui ferat illud. Si quis patricius, ſi quis, quod illi uolunt inuidioſius eſſe, Claudius diceret, aut omnia accipite, aut nihil fero: quis ueſtrũ, Quirites, ferret? Nũquam'ne uos res potius, quàm autores ſpectabitis? ſed omnia ſemper, quę magiſtratus ille dicet, ſecũdis auribus: quæ ab noſtrûm aliquo dicẽtur, aduerſis accipietis? At hercule ſermo eſt minimè ciuilis. Quid? rogatio qualis eſt quam à uobis indignãtur antiquatã? ſermoni Quirites, ſimillima: Cõſules (inquit) rogo, ne uobis, quos uelitis facere, liceat. An aliter rogat, qui utiq; alterũ ex plebe fieri conſulẽ iubet, nec

duos patricios creandi potestatẽ uobis permittit? Si hodie bella sint, quale Ethruscum fuit, quum Porsena Ianiculum insedit, quale Gallicum modo, quum præter Capitolium atque arcem omnia hæc hostium erant, & consulatum cũ hoc M. Furio, & quolibet alio ex patribus L. ille Sextius peteret: possetis'ne ferre Sextiũ haud prò dubio consulem esse, Camillum de repulsa dimicare? Hoccine est in commune honores uocare, ut duos plebeios fieri consules liceat, duos patricios non liceat? & alterum ex plebe creari necesse sit, utrunque ex patribus præterire liceat? Quæ'nam ista societas, quæ'nam consortio est? parum est, si cuius pars tua adhuc nulla fuit, in partem eius uenis: nisi partem petendo, totum traxeris? Timeo (inquit) ne si duos licebit creari patricios, neminem creetis plebeium. Quid est aliud dicere: quia indignos uestra uoluntate creaturi non estis, necessitatẽ uobis creandi quos non uultis, imponam? Quid sequitur, nisi ut ne beneficium quidem debeat populo, si cum duobus patricijs unus petierit plebeius, & lege se, non suffragio creatũ dicat? Quo modo extorqueant, non quo petant honores, quærunt: & ita maxima sunt adepturi, ut nihil ne pro minimis quidem debeant: & occasionibus potius quàm uirtute petere honores malunt. Est aliquis, qui se inspici, qui æstimari fastidiat? qui certos sibi uni honores inter dimi-

cantes competitores æquum censeat esse? qui se arbitrio uestro eximat? qui uestra necessaria suffragia pro uoluntarijs, & serua pro liberis faciat? Omitto Licinium, Sextiumq́, quorum annos in perpetua potestate tanquam regum in Capitolio numeratis. Quis est hodie in ciuitate tam humilis, cui non uia ad consulatũ facilior per istius legis occasionem, quàm nobis ac liberis nostris fiat? Siquidem nos, ne quum uolueritis quidem, creare interdum poteritis: istos, etiam si nolueritis, necesse sit. De indignitate satis dictum est: etenim dignitas ad homines pertinet. Quid de religionibus, atq; auspicijs, quæ propria Deorum immortalium contemptio atq; iniuria est, loquar? Auspicijs hanc Vrbem conditam esse, auspicijsq́; bello & pace, domi militiæq́; omnia geri, quis est qui ignoret? Penes quos igitur sunt auspicia more maiorum? Nempe penes patres. nã plebeius quidem magistratus nullus auspicatò creatur: nobis adeò propria sunt auspicia, ut nõ solũ quos populus creat patricios magistratus, non aliter quàm auspicatò creet: sed nos quoq; ipsi sine suffragio populi ausp icatò Interregẽ prodamus, & priuatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidẽ habẽt. Quid igitur aliud, quàm tollit ex ciuitate auspicia, qui plebeios consules creando, à patribus, qui soli ea habere possunt, aufert? Eludant nunc licet reli-

giones. Quid enim est si pulli non pascentur? si ex cauea tardius exierint? si occinuerit auis? Parua sunt hæc, sed parua ista non contemnendo. maiores nostri maximã hanc rem fecerunt, nunc nos, tanquam iam nihil pace Deorum opus sit, omnes ceremonias polluimus. Vulgò ergo pontifices, augures, sacrificuli reges creentur: cuilibet apicem Dialem, dummodo homo sit, imponamus: tradamus ancylia, penetralia, Deos, Deorumq; curam, quibus nefas est: non leges auspicatò ferantur, non magistratus creentur, nec centuriatis, nec curiatis comitijs patres autores fiant: Sextius & Licinius tanquam Romulus ac Tatius in urbe Romana regnent, quia pecunias alienas, quia agros dono dant, tanta dulcedo est ex alienis fortunis prædandi. Nec in mentem uenit, altera lege solitudines uastas in agris fieri, pellendo finibus dominos, altera fidem abrogari, cum qua omnis humana societas tollitur. Omnium rerum causa uobis antiquandas censeo istas rogationes. quod faxitis, Deos uelim fortunare.

Neque nouum.) Dissuasio est, cui admixta sic est accusatio, ut potius iudicium, quàm delibe tionem referre uideatur. Dissuadentur rogationes tribunorum plebis, quas in argumento ipso exposui, & subieci. Exorditur à persona sua.

Claudiæ

Claudiæ genti.) familiæ, & ut loquimur, progeniei. Patrum maiestate.) Maiestatem Cicero secundo de Oratore definit esse, qua amplitudo ac dignitas ciuitatis continetur. Ex quo asciti.) relati in patres, annumerati inter patres. Quàm imminuta maiestas.) Duplex erat crimen maiestatis: alterum læsæ, alterum imminutæ. Lædere maiestatem is dicebatur, qui priuatus comitem se magistratui præbere non dubitasset, aut familiarius, aut sine honoris præfatione allocutus fuisset, & si qua alia sunt ex quibus contemptio sequatur. Imminuere uero maiestatem dicebatur, qui exercitum hosti tradidisset, qui'ue per uim multitudinem ad seditionē uocasset, & si qua sunt generis eiusdem. Hæc ex Cicerone Budæus noster diligentißimè collegit. Legibus iubendis.) Populus iubebat, senatus censebat, & decernebat. Populi erat maiestas, senatus autoritas. Ita nunquam iubebat senatus, sed tantum decernebat, & autor erat. Ita si quid factum esset per populum, id populi iussu gestum esse dicebatur: quod per senatum, senatus, patrumq́; autoritate. Qui proprie loqui uelit, hæc diligenter seruet necesse est. Nos reficietis.) decimū tribunos pl. creabitis. Tarquinij tribuni pl.) uidetur magis nominatiuus quā genitiuus, ut metaphoricōs Superbi appellatione Tar-

quiniorum intelligantur. Legere.) deligere. Antiquare.) abrogare, tollere, abolere. Tu de fœnore.) Appius loquitur. Hic repete leges Licinias, suprà in argumento. Aut omnia accipe.) Verba sunt Licinij. Aut nihil fero.) nullam rogationem promulgo. Adhuc ferè cōmunicauit cū aduersarijs, aut cum Quiritibus. Quid de religionibus.) Ab incommodis. Interregem.) Interrex, autore Fenestella, is dicebatur, ad quem imperij summa delata erat, dum rex in demortui locum substitueretur. Eum hodie gubernatorem Franciæ appellamus. Idem autor est, exactis regibus, quum penes consules rerum summa esset, si tempore comitiorum ambo consules abfuissent ab urbe, nec dici dictatorem placuisset: interregem creari solitum, qui comitia consularia haberet. quod ex Liuio satis constat, sæpe factum esse. Ita non solum regni est interrex, sed & magistratuum aliorum. Hinc Budæus, Cancellariatus interregnum id tempus appellat, quo nullus in demortui locum adhuc suffectus est: Interregnum enim id spacium temporis est, quòd à morte prioris magistratus ad posteriorem suffectum exactum est. Eludant nunc.) ridere nunc impune possunt obseruationes & ritus. Si pulli.) Intelligit aues eas, quæ ad auspicia capienda nutriebantur. Sed parua.) Antitheton.

Vulgò ergo.) Ironia per conceßionem uidetur: certe plena indignationis & iræ. Sacrificuli reges.) Hæc duo nomina ſine diſtinctione continuari debent: quod ſuperuacaneum erat admonere, niſi admodum multis libris deprauatè ſeparata legerentur. Sacrificulus rex is dicebatur, qui exactis regibus ea faciebat ſacra, quæ ſolis regibus prius paterent. Id ſacerdotium, ut autor eſt Liuius ſecundo ab Vrbe condita, à Iunio Bruto primo conſule inſtitutum, pontifici ſubiectum eſt, ne nomini additus honos libertati officeret. Apicem Dialem.) inſigne flaminis Dialis. Altera lege ſol.) Agraria ſcilicet lege. Altera fidem.) Fœnebri ſcilicet, quæ id uolebat, ut deducto de ſorte ære quod ipſa pareret, quod ſupereßet modo, diſſolueretur. Nam fidem tollere uidetur, qui quum fide bona creditam pecuniam primo quoq; tempore, ſiue ſtato die ſe receperit redditurum, aliquam inde partem deducit. Sed ſecus eſt, quod ad rem præſentem attinet. Nam quia uſura ipſa peccatum eſt, ſi præter leges pariatur: non continuo qui quod ſpopondit cũ uſura ſe redditurum, non reſtituit, fidem tollit: quũ præſertim iuſiurandum eum non teneat, quinimò peccaturus ſit ſi reddat. Nunc ad legem fœnebrem uenio. Ita ſenſus eruetur. Vt deducto eo de capite, id eſt ſubtracto (uerbum eſt enim Deduco arithmetico

rum, contrarium ei, quo in contrariam significationem utuntur, duco: significatq́; id quod uulgò dicimus rebatare) eo ære, scilicet de sorte, siue prima pecunia quæ datur ut aliam pariat: quod usuris pernumeratum est. id est, quod æs in singulos annos solutum est in usuram: quod reliquum est, quod restat ex prima summa credita, siue ex sorte, triennio & c. sunt per se facilia.

EX LIBRO SEPTIMO AB VRBE CONDITA sumptæ sequentes.

Argumentum in LVI.

C. *Sulpitius dictator, &* M. *Valerius magister equitum, aduersus Gallos, qui iam ad Pedum conse derant, exercitus duos duxerant. Dictator non ausus primo aduentu se belli fortunæ committere, trahebat bellum, uetando ne quis iniussu suo extra ordinē in hostem pugnaret. Milites ægrè illud paßi, multa iactabant in dictatorem, criminabātur q́; patres, quod per dictatorem, non per consules rem geri placuisset. Tandem Seruio Tullio septimo primipilo dant negotium, ut ab imperatore pugnandi copiam impetraret. Is apud dictatorem hac oratione rem peragit.*

Seruij Tullij ad dictatorem oratio, ut militibus pugnandi faceret potestatem. LVI.

SCilicet, dictator, condemnatum se uniuersus exercitus à te ignauiæ ratus, & propè ignominiæ causa destitutum sine armis, orauit me, ut suam causam apud te agerem. Equidem sicubi loco cessum, si terga data hosti, si signa fœdè amissa obijci nobis possent: tamē hoc à te impetrari æquum censerem, ut nos uirtute culpam nostram corrigere, & abolere flagitij memoriam noua gloria patereris. Etiā ad Alliam fusæ legiones, eandem, quam per pauorem amiserant, patriam, profectæ postea ab Veijs uirtute recuperauere. Nobis Deum benignitate, felicitate tua, populiq́; Rom. & res & gloria est integra: quanquam de gloria uix dicere ausim, si nos & hostes haud secus quàm fœminas abditos intra uallum omnibus contumelijs eludunt: & tu imperator noster (quod ægrius patimur) exercitum tuum sine armis, sine animis, sine manibus iudicas esse: et prius quàm expertus nos esses, de nobis ita desperasti, ut te mancorum ac debilium ducem judicares esse. Quid enim aliud esse causæ credamus, cur ueteranus dux, fortissimus bello, cōpressis, quod aiūt, manibus sedes? Vtcūq; enim res se habeat, te de nostra uirtute dubitasse uideri, quàm nos de tua, uerius est. Sin aūt non tuū istud, sed publicū est consiliū, et consensus aliquis patrū, nō Gallicum bellum nos ab urbe, à penatibus nostris ablegatos tenet: quæso, ut quæ dicam, non

à mili-

à militibus imperatori dicta censeas, sed à plebe patribus: quæ, sicut uos uestra habetis consilia, sic se sua habituram dicit. Quis tandem sic censeat milites nos esse, non seruos uestros? ad bellũ, non ad exilium missos? si quis det signũ, in aciem educat, ut uiris ac Romanis dignum sit, pugnaturos: si nihil armis opus sit, otiũ Romæ potius, quàm in castris acturos. Hæc dicta sint patribus. Te, imperator, milites tui oramus, ut nobis pugnãdi copiã facias: cũ uincere cupimus, tum duce te uincere, tibi lauream insignem deferre, tecum triumphantes urbem inire, tuum sequentes currum Iouis optimi maximi templum gratulantes ouantesq; adire.

Scilicet, dictator.) Ratio est impetrandi, quod denegari uideatur, & maxime pro altero. *Gloria est integra.)* stat adhuc tota, nihil diminuta, & quod uulgò dicimus, nihil est adhuc uastatum. *Quanquam ne gloria.)* Correctio uidetur. *Cõpressis, quod aiunt, manibus sedes.)* Prouerbium est, in desides torquendum, eosq; qui totos dies non secus cessant, quàm si nihil ipsis agendum superesset. *Ablegatos.)* missos, & tanquam expulsos. *Lauream insignem.)* Laurea corona erat triumphantium, ut alio loco dicemus.

Argumentum in LVII.

Scipione Consule morbo implicito, M. Popilio colle-

collegæ ex plebe bellum permissum erat aduersus Gallos, qui iam in agro Latino castra fixerant. Victoria belli eius iam ad Romanos inclinata erat, quum consulis læuus humerus machæra propè traijcitur. Eo uulnere permoti, languidiq; milites facti, iam propemodum certam uictoriam amiserant: quum consul alligato uulnere ad pr ma signa progressus, in hæc uerba militem adhortabatur.

M. Popilij consulis ad suos adhortatio. 57.

QVid stas, miles? Non cum Latino Sabinoq́ue hoste res est, quem uictũ armis socium ex hoste facias. In belluas strinximus ferrum. Hauriendus, aut dandus est sanguis. Propulistis à castris: supina ualle præcipites egistis: stratis corporibus hostium superstatis. Complete eadem strage campos, qua montes replestis. Nolite spectare, dum stantes non fugiant: inferenda sunt signa, & uadendum in hostem.

Hauriendus.) *eliciendus, extrahendus ab hostibus.* Præcipites egistis.) *deiecistis.* Stratis corporibus.) *prostratis humi, iacentibus.* Dum stantes.) *donec.*

Argumentum in LVIII.

Samnites societate atq; amicitia cum Romanis iuncti, Sidicinis iniustum bellum inferebant: quibus quum Sidicini se impares uiderent, Campanos socios

cios belli asciuerant. Campani fluentes luxu, quũ uiribus non dimicarent, in agrum Sidicinum pelluntur. Quam rem cum Samnites animaduerterent, omissis Sidicinis, in Campanorum oppida, unde plus prædæ atque gloriæ esset, bellum conuertunt. Iamq́; cæsa erat multitudo magna iuuenum, qui superfuerant, intra mœnia urbis Capuæ pulsi: quum Romam oratores questum iniurias mittere coguntur, qui hunc in modum causam Campanorum egerunt.

Oratio legatorum Campanorum in senatu qua auxiliũ aduersus Samnites petũt. 58.

POpulus nos Campanus legatos ad uos P.C. misit, amicitiam in perpetuum, auxilium præsens à uobis petitum. quàm si sequundis nostris rebus petissemus: sicut cœpta celerius, ita infirmiore uinculo contracta esset. Tunc enim, ut qui ex æquo nos uenisse in amicitiam meminissemus, amici forsitan pariter, ac nunc subiecti atq; obnoxij uobis minus essemus. Nunc misericordia uestra conciliati, auxilioq́; in dubijs rebus defensi, beneficiũ quoque acceptum colamus oportet, ne ingrati, atq; omni ope diuina humanaq́; indigni uideamur. Neque hercule, quòd Samnites priores amici socijq́; uobis facti sunt, ad id ualere arbitror, ne nos in amicitiam suscipiamur, sed ut uetustate & gradu honoris nos præstent. Neque

enim

enim fœdere Samnitium, nequa noua iungeretis fœdera,cautum est. Fuit quidē apud uos semper satis iusta causa amicitiæ, uelle eum uobis amicum esse,qui uos appeteret. Campani, etsi fortuna præsens magnificè loqui prohibet, non urbis amplitudine, non agri ubertate ulli populo præterquam uobis,cedentes,haud parua,ut arbitror, accessio bonis rebus uestris in amicitiam uenimus uestram.Equis Volscisq́ȝ æternis hostibus huius urbis quandocūqȝ se mouerint,ab tergo erimus:& quod uos pro salute nostra priores feceritis,id nos pro imperio uestro & gloria semper faciemus.Subactis ijs gētibus,quæ inter nos uosq́ȝ sunt (quod propediem futurum spondet & uirtus & fortuna uestra) continens imperium usqȝ ad nos habebitis.Acerbum & miserū est,quod fateri nos fortuna nostra cogit.Eò uentum est, P. C. ut aut amicorum, aut inimicorum Campani simus. Si defenditis,uestri:si deseritis,Samnitiū erim⁹. Capuam ergo & Campaniam omnē uestris, an Samnitiū uiribus accedere malitis, deliberate.Omnibus quidem,Romani,uestram misericordiam,uestrumq́ȝ auxilium æquum est petere,ijs tamen maximè, qui eam implorantibus alijs auxiliū,dum supra uires suas præstant,omnes ipsi in hāc necessitatē uenerūt. Quanquā pugnauimus uerbo pro Sidicinis,re pro nobis, quū uideremus finitimū populū nefario latro-
cinio

cinio Samnitium peti,& ubi conflagrassent Sidicini,ad nos traiecturum illud incendium esse.Nec enim nunc, quia dolent iniuriam acceptam Samnites,sed quia gaudent sibi oblatam esse causam,oppugnatum nos ueniunt. An si ultio iræ hæc,& non occasio cupiditatis explẽdæ esset,parum fuit quod semel in Sidicino agro,iterũ in Campania ipsa legiones nostras cęcidere? Quæ est ista tam infesta ira,quam per duas acies fusus sanguis explere nõ potuerit? Adde huc populationem agrorum,prædas hominum atq; pecudum actas, incendia uillarũ ac ruinas,omnia ferro igniq; uastata. Hiscine ira expleri non potuit? sed cupiditas explenda est:ea ad oppugnandam Capuam rapit. Aut delere urbem pulcherrimam, aut ipsi possidere uolunt. Sed uos potius Rom. beneficio uestro occupare eã, quàm illos habere per maleficium sinatis. Non loquor apud recusantem iusta bella populum:sed tamen si ostenderitis auxilia uestra,ne bello quidem arbitror uobis opus fore. Vsq; ad nos contemptus Samnitium peruenit,suprà nõ ascendit. Itaq; umbra uestri auxilij,Romani,tegi possumus: quicquid deinde habuerimus,quicquid ipsi fuerimus, uestrum id omne existimaturi. Vobis arabitur ager Campanus,uobis Capua urbs frequentabitur:conditorum,parẽtum,Deorum immor-

talium

taliū numero nobis eritis: nulla colonia uestra erit, quæ nos obsequio erga uos fideq́ superet. Annuite P. C. nutum numenq́ uestrum inuictum Campanis: & iubete sperare incolumem Capuam futuram. Qua frequentia omniū generum multitudinis prosequente creditis nos illinc profectos? quàm omnia uotorum & lachrymarum plena reliquisse? in qua nunc expectatione senatum populumq́ Campanum, coniuges, liberosq́ nostros esse? Stare omnem multitudinem ad portas, uiā hinc ferentē prospectantes, certum habeo. Quid illis nos, P.C. sollicitis, ac pendentibus animis renunciare iubeatis: alterum responsum, salutē, uictoriam, lucem, ac libertatem: alterum ominari horreo, quæ ferat. Proinde ut aut de uestris futuris socijs atq; amicis, aut nusquam ullis futuris nobis consulite.

Populus nos.) *Ratio est petendi auxilij longe uenustißima. Siquidem suis omnibus partibus uelut numeris absoluta est: non qua ratione secundam concionem constare dixi, sed longe pleniore ac uenustiore constat. Iam qui de petendi ratione præceperunt, tradunt quod quis sit petiturus, principio collocandum esse. tum ratione omni eius beneuolentiam à quo petit, conciliandam, ueluti à persona eius qui petit, eius à quo petit, & aduersariorum: à*

re ipsa item, & à commodis quæ ad eum à quo petit sunt reditura, si concedat quod petit. H*æc omnia mira quadam arte* Liuius *seruat.* Q*uam si sequundis.*) Pr*æsumptio uidetur.* Romani *nanq; continuo ijs obijcere potuissent neglectã sequundis rebus societatem & amicitiam, aduersis demum rebus ab ipsis peti.* Neq; *hercule.*) Rursus *præsumptio. Ea duo diluerint antè necesse fuit, quàm beneuolentiam colligere, & miserationem mouere potuissent.* Fuit *quidem.*) A' *persona eorum à quibus petitur.* Campani, & *si.*) A' *persona eorũ qui petunt, & commodis.* Eò *uentum est.*) Aut *diuisione constat, aut certe complexione.* Eò *uentum est, eò res proceßit, deducta est, in eo statu res sunt nostræ, ea est iam* Campanorum *conditio.* Omnibus *quidem.*) A' *persona rursus eorum à quibus petit.* Quanquam *pugnauimus.*) Ab *aduersariorum persona.* Bellum *id iustum esse ostendit, quod aduersus* Samnites *susceperant.* Parum *fuit.*) *non suffecit, non satis fuit, non fuerunt contenti.* Quicquid *deinde.*) A' *commodis rursus.* Vobis *arabitur.*) Datiui *adiecti uerbis, debent exponi, in commodum uestrum & usum.* Quæ *nos obsequio.*) *quæ erga uos sit magis officiosa.* Pollicentur *memorem animum.*

Qua *frequentia.*) Hic *commouet miserationem.*

nem. Votorum.) desideriorum. Expectatione.) spe. Ad portas.) iuxta, prope portas: quod dicimus in ianua. Viam hinc ferentem.) ducentem, tendentem. Vtrunq; ornatè dicitur, uia hinc fert, & huc fert. Via Iacobæa fert ad ædem siue fanum Mariæ, Martini. Futuris socijs.) Socios Romani eos appellabant, cum quibus fœdus iunxissent, sine impositione stipendiorum. Eosdem & fœderatos, & amicos uocabant: quales Heduos nostros Cæsar quondam fuisse memorat. Qui stipendia pendebant fœdere iuncto, ij stipendiarij, & stipendiariæ ciuitates dicebantur. Aut nusquam ullis.) Id dupliciter intelligi potest. aut statuite de nobis, qui nullis alijs populis socij futuri sumus: aut qui, si uestri amici non sumus, nulli erimus, & peribimus. Posterior intellectus ideo magis placet, quòd prius dixit, si non sint amicorum: futurum esse, imò eò uentum esse, ut essent inimicorum Campani.

Romanorũ ad Campanos responsum. LIX.

AVxilio uos Campani, dignos censet Senatus: sed ita nobiscum amicitiam institui par est, ne qua uetustior amicitia ac societas uioletur. Samnites uobiscum fœdere iuncti sunt. Itaq; arma Deos prius quàm homines uiolatura, aduersus Sãnites uobis negam⁹. Legatos, sicut fas, iusq; est, ad socios atq; ami-

cos precatum mittemus, ne qua uobis uis fiat.

Legatorũ Campanorũ ad ea respõsum. LX.

QVandoquidẽ nostra tueri aduersus uim atq; iniuriam iusta ui non uultis, uestra certe defendetis. Itaq; Populum Campanũ, urbemq; Capuam, agros, delubra Deũ, humanaq; omnia in uestrã, P.C. populiq; Romani ditionem dedimus: quicquid deinde patiemur, dedititij uestri passuri

Argumentum in LXI.

Ad Samnites Campanorum nomine Romani legati mißi, quũ re infecta redirent, retulerunt à Samnitibus responsum, id se bellũ perfecturos: atq; quũ adhuc illic essent, multis imperatum eße ut prædas ex agro Campano agerent. Senatus his concitatus, Fœciali ad res repetendas, simul indicendum bellũ mißo, decreuit ut Valerius & Cornelius consules eò exercitus ducerent. Valerius contra Samnites profectus, in hunc modum milites ad pugnandum adhortabatur.

Adhortatio M. Valerij Coruini ad suos. 61.

FActa mea, non dicta, uos milites sequi uolo: nec disciplinam modo, sed exemplum etiam à me petere. Non factionibus modo, nec per conciones usitatas nobilibus, sed hac dextra mihi tres consulatus, summãq; laudem peperi. Fuit, quum hoc dici poterat (patricius

cius enim erat, & à liberatoribus patriæ ortus) & eodem anno familia ista cõsulatũ, quo urbs hæc consulem habuit. Nunc iam nobis patribus, uobisq́ plebeijs promiscuus consulatus patet: nec generis, ut antè, sed uirtutis est præmium. Proinde summum quodq spectate, milites, decus. Non si mihi nouum hoc Coruini cognomen Dijs autoribus homines dedistis, Publicolarum uetustum familiæ nostræ cognomen memoria excessit. Semper ego plebē Romanam militiæ domiq́, priuatus, in magistratibus paruis magnisq́, æquè tribunus ac consul, eodem tenore per omnes deinceps consulatus colo, atq colui. Nunc quod instat, Dijs bene iuuantibus, nouum atque integrum de Samnitibus triumphum mecum petite.

A' me petere.) quod dicas, à me capere exemplum. Non *factionibus modò.) modò, paulo antè, siue paucis annis.* Promiscuus *consulatus patet) id est, Plebeij & patricij sine discrimine ad consulatum perueniunt.* Hoc *Coruini cognomen.) Nam dictus Coruinus à coruo, qui in eius galea aduersus Gallum insigni magnitudine consederat. Memoria excessit.) obliteratum est, deletũ, & ut loquimur, abolitum.*

Argumentum in LXII.

A. Cornelius consul exercitum in Samnium du-

xerat. Ibi eo ipso tẽpore quo Valerius Coruinus collega Samnites uicit, milites incautè in saltum quendam caua ualle peruium, circaq; ab hoste insessum induxerat. unde non prius hostem imminentem uidit, quàm iam tũtò recipi signa nõ possent. Eum necessitate illa territum, P. Decius trib. militum, quà esset erumpendum, ita docuit.

Adhortatio P. Decij tribuni mil. ad A. Cornelium consulem, ubi spes elabendi non uidebatur. LXII.

Vides'ne tu A. Corneli, cacumen illud supra hostem? Arx illa est spei salutisq; nostræ: si eam, quoniam cæci reliquere Sãnites, impigrè capimus, nec tu mihi plus quàm unius legionis principes hastatos dederis, cum quibus ubi euasero in summum, perge hinc omni liber metu, teq; & exercitũ serua. Neq; enim moueri hostis subiectus nobis ad omnes ictus sine sua pernicie poterit. Nos deinde aut fortuna pop. Rom. aut nostra uirtus expediet.

Arx illa est.) defensio, propugnaculum: quod arx munimentum sit urbis, qualis est quam Bastildam, quam Luparam Lutetiæ appellamus, & uidemus. Vnius legionis principes hastatos.) T. Liuius VIII. ab Vrbe condita autor est, legionem apud Romanos quinis milibus peditum, & trecentis equitibus ferè scribi solitam. Principes hastatos

eos

os opinor intelligit, qui aut prima aut ſecunda acie pugnabant: haſtati dicti, quod haſta uterentur: principes, quòd puto primi omnium pugnam inirent. Cæterum Liuius VIII. ab Vrbe condita, nec hos haſtatos, nec illos principes appellat. Vtcunq; res habeat, ex hac ipſa concione ſatis conſtat, in pluribus legionibus principes haſtatos fuiſſe. Singuli horum ordinum quinisdenis manipulis conſtabant: ſed hoc diſcrimine, quod in prima acie puberes omnes, ſecunda iam robuſtioris ætatis ſtabant. Horum ordines principia dicebantur. Terentius, Inde ego poſt principia omnibus ſignum dabo. Principes dicti Budæo, et antepilani, in totidem manipulos tertiam aciem diſtributi. Subiectus nobis.) poſitus ſub nobis, collocatus in ualle eius collis. Expediet.) explicabit, liberabit.

Argumentum in LXIII.

P. Decius tribunus militũ indicato loco cõſuli quò euaderet, cũ præſidio ad collis uerticẽ peruenerat. Eò Samnites diu multũq; progredi conati, huc atq; illuc ſigna uertebãt: modo collẽ circũdabãt, modo uiã patefaciebãt. Decius ſpe pugnãdi deſtitutus, primũ cẽturiones ad ſe uocat, quibus hoſtiũ inertiã exponit, deinde milites ad erũpendum adhortatur.

Exhortatio ad erũpendũ ex colle occupato P. Decij eiuſdem ad ſuos. LXIII.

QVæ'nam illa inſcitia belli, àc pigritia eſt? aut quo'nam modo iſti ex Sidicinis, Cãpanisq́; uictoriam pepererunt? Huc atq; illuc ſigna moueri, ac modò in unum conferri, modò educi uidetis. Opus quidem incipit nemo, quum iam circundati uallo potuerimus eſſe. Tum uerò nos ſimiles iſtorum ſimus, ſi diutius hic moremur quàm commodum ſit. Agite dum, ite mecum: ut dum lucis aliquid ſupereſt, quibus locis præſidia ponant, quà pateãt hinc exitus, exploremus. (Hæc omnia ſagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium habitu militum ductis, ne ducem circumire hoſtes notarent, perluſtrauit. Vigilijs deinde diſpoſitis, cæteris omnibus teſſeram dari iubet, ubi ſecundæ uigiliæ buccina datum ſignum eſſet, armati cum ſilentio ad ſe conuenirẽt. Quò ubi, ſicut edictum erat, taciti conuenerũt.) Hoc ſilentium, milites (inquit) omiſſo militari aſſenſu, in me audiendo ſeruandũ eſt. Vbi ſententiam meam uobis peregero, tum, quibus eadẽ placebunt, in dexteram partem taciti tranſibitis: quæ pars maior erit, eo ſtabitur cõſilio. Nũc quæ mente agitem, audite. Non fuga delatos, nec inertia relictos hic uos circumuenit hoſtis, uirtute cepiſtis locum, uirtute hinc oportet euadatis. Veniendo huc, exercitum egregium populi Ro. ſeruaſtis: erumpẽdo hinc, uoſmetipſos

ſos ſeruate. Digni eſtis qui pauci pluribus opẽ tuleritis, ipſi nullius auxilio egueritis. Cum eo hoſte res eſt, qui heſterno die delendi omnis exercitus fortuna per ſocordiã uſus non ſit: hunc tam opportunum collem imminentem capiti ſuo non antè uiderit, quàm captũ à nobis: uos tam paucos, tot ipſe milibus hominum nec aſcenſu arcuerit: nec tenentes locum, quum diei tantum ſupereſſet, uallo circundederit. Quem uidentem ac uigilantem ſic eluſeritis, ſopitum oportet fallatis: imò neceſſe eſt. In eo enim loco res ſunt noſtræ, ut ego uobis magis neceſſitatis ueſtræ index, quàm conſilij autor ſim. neque enim maneatis, an abeatis hinc, deliberari poteſt, quum præter arma, & animos armorũ memores, nihil uobis fortuna reliqui fecerit: fame & ſiti moriendum ſit, ſi plus quàm uiros ac Romanos decet, ferrum timeamus. Ergo una eſt ſalus, erumpere hinc, atq; abire. Id aut interdiu, aut noctе faciamus oportet. Ecce autem aliud minus dubium: quippe ſi lux expectetur, quæ ſpes eſt, non uallo perpetuo foſſaq́; nos ſepturum hoſtem? qui nunc corporibus ſuis ſubiectis undiq; cinxerit, ut uidetis, collem? Atqui ſi nox opportuna eſt eruptioni, ſicut eſt: hæc profecto noctis aptiſſima hora eſt. Signo ſecundæ uigiliæ cõueniſtis, quod tempus mortales ſomno altiſſimo premit. Per corpora ſopita uadetis, uel ſilentio incautos fallentes, uel

sentientibus clamore subito pauorē iniecturi. Me modo sequimini, quem secuti estis: ego eandem, quæ duxit huc, sequar fortunam. Quibus hæc salutaria uidentur, agitedum in dextram partem pedibus transite.

Opus quidem incipit.) quod nemo hostium fossa, uallóue, aut qua alia munitione collem circundaret, ne Romani elabi inde possent, aut certe ipsis necessitas pugnandi imponeretur. Tesseram *dari iubet.)* Tesseram, *opinor, hic uocat signum militibus datum, quod ostendentes, milites agnoscebantur.* Tessera *erat & hospitalis, signū scilicet quoddam, quod ostendentes, hospites ueteris hospitij & amicitiæ memores faciebant.* De *hac, alijsq́; uarij generis* Budæus *noster, in prioribus* Annotationibus *diffusissime & diligentissime præcipit.* Hoc *silentium.)* Adhortationis *ad erumpendum est principium.* Coniunxi *duas, quòd breui sermone separatæ erant.* Vbi *sententia.) ubi consilium meum uobis exposuero.* Taciti. *) sine tumultu, non loquentes, cū silentio: quod uulgò dicimus, sine proferendo uerbū quod sit.* Non *fuga.)* A` *factis præclaris.* Veniendo *huc.)* Antitheton. *Cum eo hoste.)* A` *facili & poßibili.* Tā *opportunū.) idoneū, aptum, accommodū.* Quem *uidentem.)* A` *necessario.* Altißimo. *) profundißimo.*

Argumentum in LXIIII. *&* LXV.

Deliniti

Deliniti milites Rom. delicijs uoluptatibusq́;, quas abunde Campania subministrabat, inibant cõsilia adimendæ Campanis Capuæ. Claudius Martius Rutilius consul ea re cognita, rumorem spargit per oppida ea Campaniæ, per quæ milites ad præsidia dispersi erant. Idem suos in æstiua milites cum eduxisset, alijs alijsq́; causis dimittẽdi milites confictis, Romam mittebat, quos ibi collega remorabatur. Iam cæteri quum neminem ex ijs qui dimittebantur, redire ad castra uiderent, emanasse sua consilia rebantur: quum cohors una militũ in saltu consedit, qui eos omnes quos consul mittebat, sibi adiũgebant. Cui multitudini iam ualidæ, quum nihil ad formam exercitus deeßet præter ducem, T. Quintium quendam Romanum, quem colere agrum audiuerant, sibi imperatorem deligunt, renitentemq́; imperare cogunt. Hoc duce iam ad octauum lapidem uiæ progreßi erant, ad inferenda Romanis arma, quum M. Valerium Coruinum dictatorem contra se uenientem conspicientes, expectandũ esse censent. Ad colloquium deinde uentũ est: ac prior Valerius in hæc uerba eos à pugna dehortatus est: T. Quintius deinde dux eorum.

Dehortatio M. Valerij Coruini dictatoris à pugna contra patriam, ad coniuratores & facinorosos milites. LXIIII.

Deos

DEos immortales, milites, uestros publicos meosq́ ab urbe proficiscens ita adoraui, ueniamq́ supplex poposci, ut mihi de uobis concordiæ partæ gloriam, non uictoriam darēt. Satis fuit, eritq́, unde belli decus pariatur: hinc pax petenda est. Quod Deos immortales inter nuncupanda uota expoposci, eius me cōpotem uoti uos facere potestis, si meminisse uultis, non uos in Samnio, nec in Volscis, sed in Romano solo castra habere: si illos colles, quos cernitis, patriæ uestræ esse: si hunc exercitum, ciuium uestrorum: si me consulem uestrum, cuius ductu auspicioq́ priore anno bis legiones Samnitium fudistis, bis castra ui cepistis. Ego sum M. Valerius Coruinus, milites: cuius uos nobilitatem beneficijs erga uos, non iniurijs sensistis: nullius superbæ in uos legis, nullius crudelis senatusconsulti autor: in omnibus meis imperijs in me seuerior, quàm in uos. Ac si cui gens, si cui sua uirtus, si cui etiam maiestas, si cui honores subdere spiritus potuerunt, ijs eram natus, id specimen mei dederam, ea ætate consulatum adeptus eram, ut potuerim treis & uiginti annos natus, consul patribus quoq; ferox esse, non solum plebi. Quod meum factū dictū'ue consulis grauius, quàm tribuni audistis? Eodem tenore duos insequētes consulatus gessi: eodem hæc imperiosa dictatura geretur, ut neq; in hos meos & patriæ

meæ milites mitior, quàm in uos (horreo dicere) hoſtes. Ergo uos prius in me ſtrinxeritis ferrum, quàm in uos ego: iſtinc ſigna canẽt, iſtinc clamor prius incipiet, atq; impetus, ſi dimicandum eſt. Inducite in animum, quod non induxerunt patres, auiq́; ueſtri, non illi qui in Sacrũ montem ſeceſſerunt, non hi qui poſtea Auentinum inſederunt. Expectate dum uobis ſingulis, ut olim Coriolano, matres coniugesq́; crinibus paſſis obuiæ ab urbe ueniãt. Tum Volſcorum legiones, quia Romanum habebant ducem, quieuerunt: uos Romanus exercitus non deſtiteritis impio bello? T. Quinti, quocunq; iſtic loco ſeu uolens ſeu inuitus conſtitiſti: ſi dimicandum erit, tum tu in nouiſſimos te recipito: fugeris etiam honeſtius, tergumq́; ciui dederis, quàm pugnaueris contra patriam. Nunc ad pacificandum bene atq; honeſtè inter primos ſtabis, & colloquij huius ſalutaris interpres fueris. Poſtulate æqua, & ferte: quanquam uel iniquis ſtandum potius, quàm impias inter nos conferamus manus.

Deos immortales.) *Dehortatio à pugna & armis contra patriam.* *Inter nuncupanda uota.*) *Nuncupare uerbum eſt iuris, pro eo quod dicimus nominatim exprimere, ſeu uerbo atq; ſermone dicere. Hinc nuncupare uota, certa lege atq; forma uerborum quod quis obtinere uelit exprimere. Nuncu*

pare

pare testamentum, nominatim dicere, seu cauere, quod testamento testator institui et curari uelit. Compotem uoti.) *id est facere potestis, ut quod expoposci, consequar & obtineam.* Ego sum.) *Dehortatur à beneficijs in eos suis.* Eodē tenore.) *eadem modestia & moderatione.* Tum Volscorum.) *Antitheton.* Et ferte.) *accipite.*

T. *Quintij ducis facinorosorum ad eos exhortatio ad concordiam.* L X V.

ME quoque milites, si quis usus mei est, meliorem pacis quàm belli habetis ducem. Non enim illa modo Volscus aut Samnis, sed Romanus uerba fecit, uester consul, uester imperator, milites: cuius auspicia pro uobis experti, nolite aduersus uos uelle experiri. Qui pugnarent uobiscum infestius, & alios duces senatus habuit: qui maximè suis militibus placeret, cui plurimum uos imperatori uestro crederetis, eum elegit. Pacem, etiam qui uincere possunt, uolunt. Quid nos uelle oportet? quin omissis ira & spe, fallacibus autoribus, nos ipsos, nostraq; omnia cognitæ permittimus fidei?

EX LIBRO OCTAVO AB VRBE CONDITA Conciones.

Argu-

Argumentum in LXVI.

Latini coniuncti cum Campanis, alijsq; populis, Samnitibus bellum inferebant. Samnites quum Latini etiam superiores ex Sãnio forte excessissent, tempus idoneum illud esse legationibus faciẽdis ad petendũ auxilium rati, oratores Romam mittunt, qui sociorum iniurias exponerent. Latinos tum Romani timebant, ne arguendo abalienarent. Itaque primò arguere non ausi, deinde ubi de defectione certius cognouerunt, decem principes mãdant, quibus imperarent quæ uellent. Prætor tum Latinorum erat L. Annius Setinus, qui delectus ad legationem, prius quàm cum reliquis nouem proficisceretur, ad senatum refert, quid Romanis responderi placeret, quod attineret ad ea quæ uelle eos diceret. Aliud alijs sentientibus, sententia sua peracta, ita rursus locutus est.

Concio Annij Setini prætoris Latinorum ad suos. LXVI.

QVanquam ipse ego retuli, quid responderi placeret, tamen magis ad summam rerũ nostrarum pertinere arbitror, quid agendũ nobis, quàm quid loquendũ sit. Facile erit explicatis consilijs accõmodare rebus uerba. Nã si nũc etiã sub umbra fœderis æqui seruitutẽ pati possum⁹: quid abest, quin proditis Sidicinis, nõ Romanorũ solũ, sed Sãnitiũ quoq; dicto

dicto pareamus, respõdeamusq; Rom. nos ubi inuenerint, posituros arma? Sin autem tandem libertatis desiderium remordet animos, si fœdus est, si societas æquatio iuris est: si consanguineos nos Romanorum esse, quod olim pudebat, nunc gloriari licet: si socialis ullus exercitus ijs est, quo adiuncto duplicent uires suas, quem secernere consules ab se bellis proprijs sumendis ponendisq; nolint: cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis cõsul datur? Vbi pars uirium, ibi & imperij pars est. Est quidem nobis hoc per se haud nimis amplũ, quippe concedentibus Romã caput Latio esse: sed ut amplum uideri posset, diuturna patientia fecimus. Atqui siquando unquam consociandi imperij, usurpandæ libertatis tempus optastis: en hoc tempus adest, & uirtute uestra, & deûm benignitate uobis datum. Tentastis patientiã, negando militem. Quis dubitat exarsisse eos, cum plus ducentorum annorum morem soluerimus? Pertulerunt tamen hunc dolorem. Bellũ nostro nomine cum Pelignis gessimus, qui ne nostrorum quidem finium per nos tuẽdorum ius antea dabant: nihil intercesserunt. Sidicinos in fidem receptos, Campanos ad nos ab se desciisse, exercitus nos parare aduersus Sãnites fœderatos suos audierunt, nec mouerunt se ab urbe. Vnde hæc illis tanta modestia, nisi conscientia uirium & nostrarum & suarũ?

Idoneos autores habeo, querentibus de nobis Samnitibus ita responsum ab senatu Romano esse, ut facile appareret ne ipsos quidem iam postulare ut Latium sub Romano imperio sit. Vsurpate modo postulando, & quod illi uobis taciti concedunt. Si quem hoc metus dicere prohibet, en ipse, audiente non populo Rom. modo, senatuq́; sed Ioue ipso, qui Capitolium incolit, profiteor me dicturum, ut si nos in fœdere ac societate esse uelint, consulem alterum ab nobis, senatusq́; partem accipiant.

Quanquam ipse.) Exhortatio est ad libertatem ex seruitute Romanorum, aut specie seruitutis. *Ad summam rerum.) Summa nunc est, quicquid ex multis singulis colligitur: nunc caput, & ut ita dicam, principale quiddam cuiuslibet rei et incepti, quò singula referuntur, ut hoc loco. Pertineo personale, ut hoc interim moneam: nunc significat prodesse, ac utile esse. aliàs idem quod attingere, ut alio loco dixit, Aliquos populos esse ad quos pars eius iniuriæ pertineret.* *Sub umbra.) sub specie.* *Ponendisq́;.) omittendis bellis.* *Vt si quando.) ab opportuno.* *Tētastis patientiam.) Ostendit opportunum esse, ab antecedentibus:* *Nihil intercesserunt.) impedierunt.* *In fidem receptos.) qui se dediderant.* *Tanta modestia.) moderatio.* *Nisi conscientia.) nisi quia sciunt uires suas à nostris*

iam propè, aut planè æquari. Profiteor me.) palàm declaro.

Argumentum in LXIX.

Latini Annio permiserant, ut ageret ac diceret quæ è Rep. *Latinorum, fideq́; sua uiderentur.* Is *in senatum cum cæteris legatis admissus, quũ* T. *Manlium consulem audiret ita de ea re agentem, ut ne Samnitibus fœderatis* Romanorum *bellum à* Lati*nis inferretur, confestim rem ipsam narrare in hãc formam ingressus est.*

Oratio *Annij eiusdem ad* P. C. Romanorum, *ut alter consul ex Latinis fieret.* LXIX.

TEmpus erat, Tite Manli, uosq́ P.C. tandem iam uos nobiscum nihil pro imperio agere, quum florentissimum Deûm benignitate nunc Latium armis uirisq́, Samnitibus bello uictis, Sidicinis Campanisq́ socijs, nunc etiam Volscis adiũctis, uideretis: colonias quoq; uestras Latinum Romano prætulisse imperio. Sed quoniam uos regno impotenti finem ut imponatis, non inducitis in animũ: nos quanquam armis possumus asserere Latium in libertatem, consanguinitati tamen hoc dabimus, ut conditiones pacis feramus æquas utrisq;: quoniam uires quoq; æquari dijs immortalibus placuit. Consulem alterum Roma, alterum ex Latio creari oportet: senatus partem æ-

quam ex utraque gente esse: unum populum, unam Remp. fieri. Et ut imperij eadem sedes sit, idemque omnibus nomen, quoniam ab alterutra parte concedi necesse est: quod utrisque bene uertat, sit hæc sanè patria potior, & Romani omnes uocemur.

Argumentum in LXX.

Hoc proximæ orationi cohæret. Ea Annij oratione T. *Manlius adeò permotus, irarumque plenus fuit, ut diceret, si id ipsum illud quod petierat, approbarent patres, se palàm in senatu, quemcunque Latinum uidisset, interfecturum. Conuersus deinde ad simulacrum* Iouis, *ita rei atrocitatem & indignitatem referebat.*

Verba T. *Manlij consulis ad legatos Latinorum.* LXX.

AVdi Iupiter: hæc scelera audire, ius, fasque. Peregrinos consules, & peregrinũ senatum in tuo Iupiter augurato templo, captus atque ipse oppressus uisurus es? Hæccine fœdera Tullus Romanus rex cum Albanis patribus uestris, Latini? hæc L. Tarquinius uobiscum postea fœdera fecit? Nõ uenit in mẽtem pugna apud Regillum lacum? adeò & cladium uestrarum ueterum, & beneficiorum nostrorum erga uos obliti estis?

Argumentum in LXXI.

Bello Latino, quod factum fuit quũ Latini non auditi de altero consule ex Latio creando, in Campaniam exercitum duxerunt: consules docti hostes lingua eadem, institutis, moribus uti, quibus Romani: milites item militibus, centuriones cẽturionibus congruere: edixerant, ne quis in hostem extra ordinem pugnaret. T. Manlius erat T. Manlij consulis filius, qui lacessitus à Genutio quodam Tusculano per contumeliam, congressus equitem à iugulo ita ut per costas ferrum emineret, terræ affixit. Manlius consul ea re cognita, filium pater his uerbis obiurgatum, securi percussit.

T. Manlij consulis ad T. Manliũ filium, qui in hostem pugnauerat ipsius iniussu, criminatio. LXXI.

QVandoquidem tu, Tite Manli, neq; imperium consulare, neq; maiestatem patriam ueritus, aduersus edictum nostrũ extra ordinem in hostem pugnasti, & quantũ in te fuit, disciplinam militarẽ, qua stetit ad hãc diem Romana res, soluisti, me'q; in eam necessitatẽ adduxisti, ut aut Reip. mihi, aut mei, meorum'q; obliuiscendum sit: nos potius nostro debito plectemur, quàm resp. tanto suo damno nostra peccata luat. Triste exemplum, sed in posterum salubre iuuentuti erimus. Me quidem

quum

quum ingenita charitas liberûm, tum ſpecimẽ iſtud uirtutis deceptum uana imagine decoris, in te mouet. Sed quum aut morte tua ſancienda ſint conſulũ imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda: nec te quidem, ſi quid in te ſanguinis noſtri eſt, recuſare cenſeam, quin diſciplinam militarẽ culpa tua prolapſam pœna reſtituas: I lictor, deliga ad palum.

Quandoquidem.) quoniam. Ratio eſt uindicandi puniendiq́; delicti publici, aduerſus publicam autoritatem admiſſi, ubi præſertim filius reus eſt. Vide diligenter, quàm exaggeret crimen ipſum à circumſtantijs. *Qua ſtetit.) retenta eſt, manſit in gloria, collapſa non eſt.* *Romana res.) conditio & ſtatus* Reip. Ro. *Noſtro debito.) merito.* *Noſtra peccata luat.) det pœnas noſtrorum peccatorum: quod dicitur, ferat peccata noſtra, ſeu patiatur propter peccata.* *Tum ſpecimen.) indicium, approbatio, experimentum.* *Sancienda.) confirmanda, corroboranda.* *Pœna reſtituas.) ſupplicio repares, reſarcias.*

Argumentum in LXXII.

P. Decius conſul eodem bello Latino læuo cornu præerat, Manlius collega dextro. Ab læuo cornu haſtati Romani non ſuſtinentes Latinorum impetum atq; impreßionẽ, quũ ſe intra ordines principum per interualla reciperent, metum, terro-

remq́; Decio iniecerant. Is uero in tanta trepidatione pro legionibus Romanis ſub hæc uerba ſe deuouit.

Verba quibus pro legionibus Rom. P. Decius conſul ſe deuouit.

DEorum ope, Valeri, opus eſt. Agedum pontifex publicus populi Ro. præi uerba, quibus me pro legionibus deuoueam. (Pontifex eum togam prætextam ſumere iuſſit, & uelato capite, manu ſubter togam ad mentum exerta, ſuper telum ſubiectum pedibus ſtantem ſic dicere) Iane, Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, Diui Nouenſiles, Dij indigetes, Diui, quorũ eſt poteſtas noſtrorum, hoſtiumq́; Dijq́; manes: uos precor, ueneror, ueniã peto, feroq́;, uti populo Rom. Quiritiũ uim, uictoriamq́; proſpereris, hoſtesq́; popu. Ro. Quiritium terrore, formidine morteq́; afficiatis. Sicut uerbis nuncupaui, ita pro republica, Quiritium exercitu, legionibus, auxilijs populi Romani, Quiritiũ legiones, auxiliaq́; hoſtium mecum Dijs manibus deuoueo.

Præi uerba.) præfare. Pro legionibus deuoueam.) Deuouere ſe pro aliquo, eſt ſubire mortis diſcrimen, ut à periculo, maloq́; hoc ipſo liberetur: ſed ferè certis antè conceptis, nuncupatisq́; uerbis.

Mars pater.) Mars, autore Varrone, dictus eſt,

est, uel quod maribus in bello præsit, uel quod à Sabinis ibi acceptus est Mamers. Quirinus Romulus appellatus est, à Quiritibus. Bellona dea, à bello. Lares dij sunt priuati, quos quisq; priuatim colit. Nouensides sunt puto, quos Varro appellat Nouensiles, à Sabinis uoto Tatij regis Romam euocati. Eorum nomina Varro subijcit.
Dij indigetes.) *sunt autore Festo, quorum nomina uulgari fas non erat. Alijs sunt, qui quum homines essent, præclara facinora gesserunt, quorum nomine in Deorum numerum relati, nullius ope indigere creduntur.* Dijq; Manes.) *Festus Pompeius ex sententia Aurelij, Manes tradit appellatos, bonos: Deos manes, Deos bonos. Idem mox autor est, ab auguribus Deos manes dictos, quod per eos manare omnia putarent. Eos uerò Deos superos atque inferos uocabant.* Verbis nuncupaui.) *expreßi, nominatim protuli.*

Argumentum in LXXIII.

L. Furius Camillus, & C. Menius consules ad Pedum Latinorum oppidum expugnandum profecti, ita rem peregerant, ut Menius ad flumen Asturam Aricinos, aliosq; qui auxilio Pedanis uenerant, præter spem aggreßus fuderit: Camillus oppidanis intra mœnia compulsis, oppidum scalis ceperit. Is etiam insignibus

uictorijs non contenti, longius progreßi non prius quieuerunt, quàm aut expugnando, aut in deditionem accipiendo ciuitates, totum Latium subegere. Camillus deinde Romam regressus, in senatu de Latinis ita retulit.

Furij Camilli consulis ad patres de Latinis relatio. LXXIII.

PAtres C. quod bello, armisq́ in Latio agẽdum fuit, id iam Deûm benignitate, ac uirtute militum ad finem uenit. Cæsi ad Pedum Asturamq́ sunt exercitus hostium: oppida Latina omnia, & Antium ex Volscis, aut ui capta, aut recepta in deditionem, præsidijs tenentur uestris. Reliqua consultatio est, quoniã rebellando sæpius nos solicitant, quónam modo perpetua pace quietos obtineamus. Dij immortales ita uos potentes huius consilij fecerunt, ut, sit Latium, deinde an non sit, in manu uestra posuerint. Itaq́ pacẽ uobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum uel sæuiendo, uel ignoscendo potestis. Vultis crudeliter consulere in deditos, uictosq́? licet delere omne Latium, uastasq́ inde solitudines facere, unde sociali egregio exercitu per multa bella magnaq́ sæpe usi estis. Vultis exemplo maiorum augere rem Romanam, uictos in ciuitatem accipiendo? Materia crescendi per summam gloriam suppeditat. Certe id firmißimũ longe imperium

perium eſt, quo obedientes gaudent. Sed maturato opus eſt, quicquid ſtatuere placet. Tot populos inter ſpem metumq́ꝫ ſuſpenſos animi habetis. Et ueſtram itaq; de eis curam quamprimum abſolui, & illorum animos, dum expectatione ſtupent, ſeu pœna, ſeu beneficio præoccupari oportet. Noſtrum enim fuit efficere, ut omnium rerum uobis ad conſulendū poteſtas eſſet: ueſtrum eſt decernere, quid optimū uobis, reiq́ꝫ publicæ ſit.

Patres conſcripti.) *Relatio eſt ad ſenatū, quid de uictis & dedititijs agi placeat.* Præſidijs tenentur.) *Præſidium multitudo eſt atq; numerus militum, ad urbis arcis ue cuſtodiam deſtinatorum.* Tenentur.) *occupantur.* Crudeliter conſulere.) *Conſulere in aliquem, ſeu de aliquo, eſt eum accipere ac tractare, cum eoq; agere, ſiue de eo ſtatuere. Hoc & in bonum & in malum, illud aut in malum duntaxat, aut fere in malum ſumitur.* Suppeditat.) *ſuppetit. Neutrum eſt.* Suſpenſos animi.) *perplexos, & dubios.*

Argumentum in LXXIIII.

Bellum geri aduerſus Samnites Romanis placebat, cui Camillus conſul præficitur. Is graui morbo redire Romam coactus, dictatorem dicit L. Papyrium Curſorem, hic Q. Fabium Maximum magiſtrum equitum. At quum in Samnium incertis au

ſpicijs dictator profectus, à pullario moneretur, ut Romam ad repetenda auſpicia regrederetur: edixerat ne interim magiſter equitum pugnam occiperet. Is tamen nactus ſortè occaſionem bene gerendæ rei, acie cum hoſtibus confligit. Dictator non ita multo poſt uictoriam rediens, his interrogationibus magiſtrum equitũ increpabat, atq; accuſabat.

L. Papyrij Dictatoris interrogationes contra Fabium Maximum, quòd aduerſus edictũ pugnaſſet. LXXIIII.

QVæro de te, Q. Fabi, quũ ſummum imperium dictatoris ſit, pareant ei conſules regia poteſtas, prætoresq́; iiſdem auſpicijs quibus conſules creati: æquum cenſeas, necne, magiſtrum equitum dicto audientem eſſe? Itemq́; illud interrogo, quum me incertis auſpicijs profectum ab domo ſcirem, utrum mihi turbatis religionibus Reſp. in diſcrimen cõmittenda fuerit, an auſpicia repetenda, ne quid Dijs dubijs agerem? Simul illud, quæ dictatori religio impedimento ad rem gerendam fuerit, num ea magiſter equitũ ſolutus ac liber potuerit eſſe? Sed quid hæc ego interrogo? quum ſi ego tacitus abijſſem, tamen tibi ad uoluntatis interpretationem meæ dirigenda tua ſentẽtia fuerit? Quin tu reſpõdeas, uetuerimne quicquam rei me abſente gerere? uetuerimne ſigna cum hoſtibus conferre? Quomodo tu imperio

perio meo ſpreto,incertis auſpicijs,turbatis religionibus, aduerſus morem militarem, diſciplinam maiorum,& numen Deorum,auſus es cum hoſte confligere? Ad hæc quæ interrogatus es,reſponde:extra ea caue uocem mittas. Accede lictor,accede.

Imperium dictatoris.) Nam apud Romanos ſummus erat magiſtratus dictator, à quo non erat prouocatio. Is magiſtratus non quolibet tempore dicebatur, ſed ubi duntaxat res Romana periclitabatur. Sex menſium ſpacio legitima dictatura finiebatur. Magiſtrum equitum.) Dictus dictator continenter magiſtrū equitum dicebat,qui magiſtratus ex nomine ipſo in equites omnes imperium & ius habuiſſe intelligitur. Itaq; & tribunus militum ei parebat. Hunc Budæus noſter eum nobis eſſe contendit,quem Coneſtabilem,ſiue Conſtabularium appellamus. Incertis auſpicijs.) dubijs,et irritis. Turbatis religionibus.) uiolatis, ſolutis,confuſis,peruerſis. In diſcrimen committenda.)in periculum offerenda,et obijciēda. Solutus,ac liber.) Solutus & liber religione ſic dicitur, ut ſolutus & liber legibus. Is autem ſolutus ſiue religione, ſiue legibus dicitur, qui religione ac obſeruatione quadam ſiue legibus non tenetur. Hodie appellantur Diſpenſati: & Diſpenſatio,

ſolutio

ſolutio à legibus, ſiue religione. Quomodo tu.) Exaggeratione inſtat.

Argumentum in LXXV.

Hoc ad ſuperius pertinet. Iam Papyrius dictator ſpoliari Q. Fabium magiſtrum equitum ſe purgantem, uirgasq́; & ſecures expediri iuſſerat, quũ implorata militum fide ad triarios recipitur, qui in omnem concionem tumultum miſcebant. Alij dictatorem orabant ut parceret, alij inclementem increpabant. Poſtero die Fabius adeſſe iuſſus, quum ab alijs didiciſſet infeſtius dictatorem ſæuiturum: clam ex caſtris Romam profugit. Quod ubi Papyrius cognouit, Romam cum lictoribus & ipſe ueniens, quum Fabium comprehendi iuberet, primores patrum, quibus iam Fàbij pater atrocitatem rei expoſuerat, pro eo deprecabantur. At quum nihiloſecius dictator in incepto perſtaret: M. Fabius pater ita pro filio ad populum ſe prouocare dixit.

M. Fabij Maximi pro filio ad populum prouocatio à dictatore. LXXV.

QVandoquidem apud te nec autoritas ſenatus, nec ætas mea, cui orbitatẽ paras, nec uirtus nobilitasq́ magiſtri equitum à teipſo nominati ualet, nec preces, quæ ſæpe hoſtem mitigauere, quæ Deorum iras placant: tribunos ple. appello, & prouoco ad populũ, eumq́ tibi fugienti exercitus tui, fugienti ſenatus

tus iudicium, iudicem fero: qui certe unus plus quàm dictatura tua poteſt, pollet́q;. Videro, ceſſurus'ne prouocationi ſis, cui rex Romanus Tullus Hoſtilius ceſſit.

A' teipſo nominati.) à te dicti. Proprie magiſter equitum dicebatur. Hic uides eum nominandi uerbo creari. Mitigauere.) lenierunt, placauerunt. Tibi fugienti.) nolenti ſequi, aut recuſanti.

Iudicium.) ſententiam de hac re. Iudicem fero.) Ferre iudicem, eſt dare, ſeu conſtituere, qui re cognita ferat ſententiam. Ceſſurus'ne.) Suprà oſtendi, quid nā ſit cedere prouocationi. Cui rex.) Quum ſcilicet Horatius perduellionis reus iā per lictorem ab altero duumuirorum capitalium colligari iuſſus, autore ipſo Tullo rege, clemente (ut ait Liuius) legis interprete, prouoco, dixit.

Argumentum in LXXVI.

Papyrius dictator poſt longam orationem, qua pater rei atrocitatem exaggerarat, etiam tum perſtaturum ſe in cœpto dicebat: quū populus Rom. orare cœpit, ut ſibi pœna magiſtri equitum remitteretur: tribuni item plebis, ut ueniam Q. Fabij adoleſcentiæ daret. pater prouolutus ad genua iram deprecatus eſt. His atq; alijs tandem motus, damnatū iam Q. Fabium his uerbis populo Romano, & tribunitiæ poteſtati ſe donare profitetur.

Papyrij

Papyrij dictatoris oratio ad populũ, de absolutione Q. Fab. magistri equitũ. 76.

BEne habet, Quirites: uicit disciplina militaris: uicit imperij maiestas: quæ in discrimine fuerunt, an ulla post hanc diem essent. Non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnauit: sed noxæ damnatus, donatur populo Romano, donatur tribunitiæ potestati, precarium, non iustum auxilium ferenti. Viue Q. Fabi, felicior hoc cõsensu ciuitatis ad tuendum te, quàm in qua paulo antè exultabas uictoria. Viue id facinus ausus, cuius tibi ne parẽs quidẽ, si eodẽ loco fuisset, quo fuit L. Papyrius, ueniã dedisset. Mecũ ut uoles, reuerteris in gratiã: populo Rom. cui uitã debes, nihil maius præstiteris, quàm si hic tibi dies satis documẽti dederit, ut bello ac pace pati legitima imperia possis.

Quæ in discrimine fuerunt.) quæ in periculo fuerunt, utrum manerent & starent, & non prorsus dissoluerentur. *Nõ noxæ eximitur.) non fit ei delicti gratia. Nam noxæ eximere est, ut ait Budæus, gratiam criminis facere, seu remißionem facere, aut pœnã peccato debitam remittere: quod posterius magis ad rem præsentem pertinet, quũ præsertim iam dictator de ipso sumere supplicium constitueret. Inde mox subiungit, Sed noxæ damnatus.*

Is

Is autem noxæ damnatur, in quem pœna propter peccatum statuitur. Cui simile est, & primo contrarium, noxæ dedere. Noxam enim hic, & in superioribus, pro pœna ipsa peccato debita sumi contendero, cum Festo Pompeio: aliàs pro peccato ipso accipitur. Noxæ dictio genitiuus est in uerbo damnatur: in alijs datiuus. Precariũ.) Precariũ dicitur, quicquid quilibet precibus uictus cõcedit, atq; præstat, cuius generis multa fieri potest ut iniusta sint. Hinc hoc loco precariũ auxiliũ tribunorũ appellat, non iustum. Id facinus ausus.) A' Liuio usurpatur uerbum audendi ferè in malam partem sine infinitiuo, pro eo quod dicimus audere facere, magnamq; habet gratiam. Cuius tibi.) Dare ueniam alicui criminis, sic dicitur, ut facere gratiam: nec minorem habet gratiam. Cui uitam debes.) à quo uitam accepisti, qui te seruauit.

EX LIBRO NONO AB VRB. COND.

Argumentum in LXXVII.

Victi Samnites quum de pace Romæ per legatos agerent, annuas modo inducias impetrarant, quas autore Brutulo Papyrio ante anni finem rumpũt. Eo prælio capti multi Romani, captæ sunt res multæ, quas non ita multo pòst rursus uicti cum

captiuis

captiuis remittunt, Papyriumq; mortuum, induciarum uidelicet ruptorem, cum bonis spe pacis faciendæ dedunt. Legati re infecta redeunt: quod ubi Claudius Pontius Samnitium imperator cognouisset, superbiam, inhumanitatemq; Romanorum ita insectatus est.

Oratio Claudij Pontij Samnitium imperatoris, postquàm legatione nihil factum esse uidit. LXXVII.

NE nihil actum hac legatione censeatis, expiatum est quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœlestium fuit. Satis scio, quibuscunq; Dijs cordi fuit, subigi nos ad necessitatem dedendi res quæ à nobis ex fœdere repetitæ fuerant: ijs non fuisse cordi tam superbi ab Romanis fœderis expiationem spretam. Quid enim ultra fieri ad placandos Deos, mitigandosq; homines potuit, quàm nos fecimus? Res hostium in præda captas, quæ belli iure nostræ uidebantur, remisimus: autores belli, quia uiuos nõ potuimus, perfunctos iam fato dedidimus: bona eorum, ne quid ex contagione noxæ remaneret penes nos, Romã portauimus. Quid ultra tibi, Romane, quid fœderi, quid Dijs arbitris fœderis debeo? Quem tibi tuarũ irarum, quem meorum suppliciorum iudicem feram? neminem neq; priuatum, neq; publicũ fugio. Quòd si nihil cum potentiore iuris humani

mani relinquitur inopi:at ego ad Deos uindices intolerandæ ſuperbiæ confugiam, & precabor, ut iras ſuas uertant in eos, quibus non ſuæ redditæ res, non alienæ accumulatæ ſatis ſint: quorum ſæuitiam non mors noxiorum, nõ deditio exanimatorum corporum, non bona ſequentia domini deditionem exatient: placari nequeant, niſi hauriendum ſanguinem, laniãda uiſcera noſtra præbuerimus. Iuſtum eſt bellum, Samnites, quibus neceſſarium: & pia arã, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes. Proinde quum rerum humanarum maximum momentum ſit, quàm propitijs rem, quàm aduerſis agant Dijs, pro certo habete, priora bella aduerſus Deos magis, quàm homines geſſiſſe: hoc quod inſtat, ducibus ipſis Dijs geſturos.

Argumentum in LXXVIII.

Inter duos ſaltus clauſus erat Romanus exercitus, unde fraude hoſtium liberè erumpere ac euadere non potuiſſet. Timor torporq; inſolitus omnes ſæpe inde elabi fruſtra conatos tenebat: iamq; omnium rerum inopia laborabatur, quum uicti neceſſitate legatos ad Samnites de pace mittunt. Legati conditiones triſtes à Samnitibus latas referunt, pro quibus, nec contra quas uelut indignas nomine Romano, quum conſules loqui non auderent, tum L. Lentulus princeps legatorum, quid cenſeat faciundum, in hanc ſententiam expoſuit.

L. Lentuli principis legatorum Romanorum ad exercitum & consules sententia de deditione. LXXVIII.

PAtrem meum, Consules, sæpe audiui me morantem se in Capitolio unum fuisse autorem senatui redimendæ auro à Gallis ciuitatis, quando nec fossa ualloq; ab ignauissimo ad opera ac muniendum hoste clausi essent, & erūpere, si non sine periculo magno, tamen sine certa pernicie possent. Quòd si illis, ut decurrere ex Capitolio armatis in hostem licuit, quo sæpe modo obsessi in obsidentes eruperunt, ita nobis æquo aut iniquo loco dimicā di tantummodo cum hoste copia esset: non mihi paterni animi indoles in consilio dando deesset. Equidem mortem pro patria præclaram esse fateor, & me uel deuouere pro populo Romano legionibusq;, uel in medios me mittere hostes paratus sum. Sed hic patriam uideo, hic quicquid Romanorum legionum est: quæ si pro se ipsis ad mortē ruere uolunt, quid habēt quod morte sua seruent? Tecta urbis dicat aliquis, & mœnia, & eam turbam, à qua urbs incolitur. Imò hercule produntur ea magis omnia, deleto hoc exercitu, non seruantur. Quis enim ea tuebitur? imbellis uidelicet atq; inermis multitudo? tam hercule, quàm à Gallorum impetu defendit. An à Veijs exercitū, Camillūq; ducem implorabunt? Hic omnis spes, opesq;

sunt

ſunt, quas ſeruando, patriam ſeruamus: deden do ad necem, patriam deſerimus, ac prodimus. At fœda ac ignominioſa deditio eſt. Sed ea cha ritas patriæ eſt, ut tam ignominia eam, quàm morte noſtra, ſi opus ſit, ſeruemus. Subeatur er go iſta, quantacūq; eſt, indignitas, & pareatur neceſſitati, quàm ne Dij quidem ſuperant. Ite, conſules, redimite armis ciuitatem, quàm auro maiores noſtri redemerunt.

Patrem meum.) conſilij dandi ratio in re tre-pida, afflictaq; bello. Quòd ſi.) *Exemplum à pari.* Imò *hercule.) Correctio per uiolatio-nem uidetur.*

Argumentum in LXXIX.

Pace ad Caudiū cū Samnitibus facta per ſpon-ſionem conſulum, præfectorum, quæſtorum, tribu norum militum, quum tempus conſtitutum adueni ret, traditi obſides in cuſtodiam abducti ſunt. Con-*ſules deinde lictoribus per hoſtes cum faſcibus abi-re iuſſis, detractisq; paludamentis, prope ſeminudi ſub iugum miſſi, quos ſequebantur, ut quisq; gradu proximus erat, ſingulæ ſimul legiones.* Circunſta-*bant armati hoſtes exprobrantes, eludentesq; per contumeliā. Ipſum illud tam fœdum ſpectaculū in eo ipſo ſaltu exhibitum fuit, unde erumpere non po tuerant: ex quo abire iuſſi, quum ante noctem*

Capuam peruenire possent, incerti tamen de fide sociorũ, pudoreq́; prohibiti, humi haud procul Capua prosternuntur. Quod ubi Capuam allatũ est, tum demum miseratione uicti Campani, magistratibus insignia, singulis arma, equos, uestimenta, commeatus ex publico comiter impendunt: uenientibus tota ciuitas obuiam egressa. Postèro die Romam cõtendere placuit. Nocte ingreßi habitu uultuq́; captorum, in sua se quisq; tecta taciti abdunt: unde, pudore suffusi, nec postero, nec insequentibus aliquot diebus in publicum prodierunt. Omnia interim luctuosa mœstaq́; in urbe erant. Ita interiectis aliquot diebus, tandem quum de pace ad Caudium facta referri placuit, tum à P. Philone consule Sp. Posthumius alter consulum eorum qui sub iugum mißi fuerant, dicere iussus, ita rem exposuit.

Oratio Sp. Posthumij consulis, qui sub iugum missus erat, in senatu, de pace ad Caudium facta. LXXIX.

HAud sum ignarus, Cõsules, ignominię, non honoris causa me primum excitatũ, iussumq́ dicere, non tanquam senatorẽ, sed tanquã reũ tã infelicis belli, quàm ignominiosæ pacis. Ego tamẽ, quãdo neq; de noxia nostra, neq; de pœna retulistis: omissa defensione, quę nõ difficillima esset apud haud ignaros fortunarũ humanarũ, necessitatũq;: sententiã de eo

de

de quo retulistis, paucis peragam: quæ senten-tia testis erit, mihi'ne, an legionibus uestris pe-percerim, quũ me seu turpi, seu necessaria spon sione obstrinxi: qua tamen, quando iniussu po puli facta est, non tenetur populus Romanus: nec quicquam ex ea præterquam corpora no-stra, debetur Samnitibus. Dedamur per fœcia-les nudi uinctiq́; , exoluamus religione popu-lum, si qua obligauimus, ne quid diuini aut hu mani obstet quo minus pium iustumq́; deinte-gro ineatur bellum. Interea, Consules, exercitũ scribere, armare, educere placet: nec prius ingre di hostium fines, quàm omnia iusta in deditio-nem nostram perfecta erunt. Vos, Dij immor-tales, precor, quæsoq́;, si uobis nõ fuit cordi Sp. Posthumium, Titum Veturium consules cum Samnitibus prosperè bellum gerere: at uos sa-tis habeatis uidisse nos sub iugum missos, uidis se sponsione infami obligatos, uidere nudos uinctosq́; hostibus deditos, omnem iram ho-stium nostris capitibus excipientes: nouos con sules, legionesq́; Romanas ita cum Samnite ge rere bellum uelitis, ut omnia ante nos consules bella gesta sunt.

Haud sum ignarus.) Ratio est peragendi senten tiam de re ijs indigna, aduersus quos contracta est, ubi præsertim reus loquitur. Exorditur à re incidẽ te, persona rei, et à re ipsa. *Quando.) quoniam.*

De noxa.) *peccato.* Retulistis.) *id est, non proposuistis agitandum & consultandum qua poena digni essemus.* Nam *referre de aliqua re, est eam agitandam decernendamq́; proponere, senatorum, aliorum'ue sententias uicißim rogando: sed fere addi solet,* Ad *senatum.* Referre *consulibus tantum, ijsq́; quibus conuocare senatum licebat,* Romæ *fuit concessum.* Hodie *producere, siue ponere rem in medium, siue in deliberationem & consultationem uulgò dicimus.* Sponsione obstrinxi.) Hoc *loco sponsio sumitur pro pacto, non pro genere actionis, quæ per ni particulam exprimi solet apud iurisperitos.* Non tenetur.) *obligatur, obstringitur.* Dedamur.) *in hostium potestatem tradamur.* Per fœciales.) Fœciales *erant qui antequam iustum bellum iniretur, mittebantur ad reddendas res, si quas* Romani *hostium tenuissent: & repetendas, quas sui iuris & ditionis hostes faciebant: quas si non impetrassent, indicebant bellum.* Rationem *indicendi bellum, primo ab* Vrbe Titus Liuius *tradit.* Fœciales *appellati* Varroni, *quod per ipsos fœdere pax constitueretur.*

Exoluamus religione.) *Obstringere, siue obligare religione, est metum quendam uiolandi aut contemnendi deos inijcere, ita ut si contrà, aut secus quàm concepimus, agamus, peccaturos nos*

putemus

putemus, Diuosq́; nobis iratos, & aduersos credamus. Vt in proposito, quia ad fidem pertinet, exoluere quod quis pollicitus sit, isq́; qui fidem sustulerit, aut uiolarit, quatenus peccat, Diuis infestus est: Romani ita induxisse sibi in animum poterant, ut si quod ad Caudium consules spopondissent, non efficerent, atque præstarent, Dij in ipsos iras suas uerterent. Hoc ideo longius sum persecutus, quod non pauci sunt qui hæc discernere atque separare nequeant. Exoluere autem religione est huiusmodi uelut scrupulum tollere, ac facere, ne quis ultra teneatur concepta lege, quàm si egrediatur, sit peccaturus. Vulgò dicimus deobligare. Alibi plura. Exercitum scribere.) Scribebatur tum exercitus, quum delectu habito, nomina dare militiæ cogebantur, qui delecti fuissent. At uos.) saltē. Satis habeatis.) Satis sit uobis, sufficiat, contenti sitis. Spōsione infami.) turpi pacto.

Argumentum in LXXX.

Hoc coniunctum cum priore oratione. Sp. Posthumius placere dixerat, ut autores sponsionis pacisq́; Caudinæ nudi uinctiq́; dederentur. L. Liuius. & Q. Metellus tribuni pl. erant, ad quos pars eius deditionis pertinebat. Ii itaq; intercedēdo contendebant, sua deditione populum Ro. religione exolui non posse, nisi omnia Samnitibus, qualia apud

Caudium fuissent, redderentur: se item, quum sacrosancti sint, dedi hostibus, uiolariq; nec posse, nec debere. Quæ quum ab illis iactari Sp. Posthumius audiret, ita rationes eorum confutabat.

Eiusdem Sp. Posthumij contra tribunos ple. qui deditionem impediebant, oratio refutatoria. LXXX.

INterea dedite profanos nos, quos salua religione potestis: dedetis deinde & istos sacrosanctos, quum primũ magistratu abierint: sed si me audiatis, prius quàm dedantur, hic in comitio uirgis cæsos, hanc iam ut intercalatæ pœnæ usuram habeant. Nam quod deditione nostra negant exolui religione populum: id istos magis ne dedantur, quàm quia ita res habeat, dicere, ecquis adeò iuris fœcialium expers est qui ignoret? Neq; ego inficias eo, P. C. tam sponsores, quàm fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur: sed iniussu populi nego quicquam sanciri posse, quod populũ teneat. An si eadẽ superbia, qua sponsionem istam expresserunt nobis Samnites, coegissent nos legitima uerba dedentium urbes nuncupare, deditum populum Romanum uos tribuni diceretis? & hanc urbem, tẽpla, delubra, fines, aquas Samnitium esse? Omitto deditionem, quoniã de sponsione agitur. Quid tandem si spopondissemus

dissemus urbem hanc relicturum populũ Romanum? si incensurum? si magistratus, si senatum, si leges non habiturum? si sub regibus futurum? Dij meliora, inquis. Atqui non indignitas rerum sponsioni uinculum leuat. Si quid est in quo obligari populus possit, in omnibus potest: & ne illud quidem, quod quosdam forsitan moueat, refert, consul, an dictator, an prætor spoponderit: & hoc ipsi etiam Samnites iudicauerunt, quibus non fuit satis consules spõdere, sed legatos, quæstores, tribunos militum spondere coegerunt. Nec à me nunc quisquam quæsiuerit, quid ita spoponderim, quũ id nec consulis ius esset: nec illis spondere pacem, quę mei nõ erat arbitrij, nec pro uobis, qui nihil mãdaueratis, possem. Nihil ad Caudiũ P. C. humanis consilijs gestum est: Dij immortales & uestris & hostium imperatoribus mentem ademerunt: nec nos in bello satis cauimus: & illi male partam uictoriam male perdiderunt, dũ uix locis quibus uicerant, credunt, dum quacunqꝫ conditione arma uiris in arma natis auferre festinant. An si sana mens fuisset, difficile illis fuit, dum senes ab domo ad consultandũ accersunt, mittere Romam legatos? cum senatu, cũ populo de pace ac fœdere agere? Tridui iter expeditis erat. Interea in inducijs res fuisset, donec ab Roma legati aut uictoriam illis certam, aut pacem afferrent. Ea demum sponsio

eſſet, quàm populi iuſſu ſpopondiſſemus. Sed neq; uos tuliſſetis, nec nos ſpopõdiſſemus, nec fas fuit alium rerum exitum eſſe, quàm ut illi uelut ſomnio lætiore quàm quod mentes eorum capere poſſent, nequicquam eluderentur: & noſtrum exercitum eadem quæ impedierat fortuna, expediret: uanam uictoriam uanior irritam faceret pax: ſponſio interponeretur, quæ neminem præter ſponſorem obligaret. Quid enim uobiſcum, P.C. quid cum populo Ro. actum eſt? quis uos appellare poteſt? quis ſe à uobis dicere deceptum? Hoſtis, an ciuis? Hoſti nihil ſpopondiſtis, ciuem neminem ſpõdere pro uobis iuſſiſtis. Nihil ergo uobis nec nobiſcum eſt, quibus nihil mandaſtis: nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egiſtis. Samnitibus ſponſores nos ſumus, rei ſatis locupletes in id quod noſtrum eſt, in id quod præſtare poſſumus, corpora noſtra, & animos. In hæc ſæuiant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant. Quod ad tribunos ple. attinet: conſulite utrum præſens eorum deditio fieri poſſit, an in diem differatur. Nos interim, T. Veturi, uosq; cæteri uilia hæc capita luendæ ſponſionis feramus, & noſtro ſupplicio liberemus Romana arma.

Interea dedite.) Refutatio eſt in genere deliberatiuo, argumentorum à tribunis pleb. iactatorum, quæ ad id ualebant, ne deditione ſponſorum pactũ

præſtari,

præstari, pactiq; religione populus exolui crederetur posse. Eludit principio caute tribunos ple. qui eo ipso se dedi posse negabant, quod essent sacrosancti. Profanos nos.) Profanum nunc dicitur Festo Pompeio, quod fani religione non tenetur, quomodo hic sumi potest. nunc quod sanctum non est: qua significatione hic uerius sumitur, quod mox subiungat: Dedetis deinde & istos sacrosanctos. Profani hodie sunt, quos laicos uocamus. Salua religione) integra, stante, inuiolata. Et istos sacrosanctos.) Sacrosanctum idem Festus appellat, quod iureiurando interposito erat institutum, ut si quis uiolasset, morte pœnas penderet. Tribuniplebis sacrosancti appellabantur, quòd uiolari non possent. Inuiolatos autem eos L. Valerius et M. Horatius consules de integro fecerunt, ut docet Liuius tertio ab Vrbe condita, religione & lege sanciendo, ut qui eis nocuisset, eius caput Ioui esset sacrum. Quò pertinent & Ciceronis uerba pro Cornelio: Primum enim, inquit, sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus, plebs'ue sanxisset. Deinde sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso, aut obtestatione & consecratione legis, aut pœnæ, quum caput eius qui contra fecit, consecratur. Hactenus Cicero. Hinc Budæo sacrosancti magistratus sunt, qui si-

ne capitali pœna uiolenter attingi non poterant.
Virgis cæsos.) Hæ partes referri debent ad uerbũ Dedetis. ut sit sensus: dedetis istos, sed uirgis cæsos. Hanc iam ut intercalatæ.) Intercalare, interponere est, & interserere. Hinc Februarius intercalaris dicitur, quòd quarto quoq; anno ei dies unus superaddatur, & interseratur. Intercalata uero pœna est, quæ iustam atq; legitimam antecedit: quam hodie pendere eos uidemus, de quibus capitale supplicium statutum est, dum aut uirgis cæduntur uijs publicis & compitis, aut abscinduntur auriculæ, manusúe, siue brachia, ante capitis supplicium. Alludit in uocabulo usuræ ad fœneratorum consuetudinem, qui ex sorte credita summam æris quæ usura dicitur, capiunt, dum caput, siue prima pecunia à debitore dissoluatur. Sensus ita explicabitur: ut iam habeant hanc usuram, hoc uelut præmium (de cæsione intellige) intercalatæ pœnæ, interpositæ, quia hæc pœna prior deditione. Aut intercalata pœna refertur ad deditionem ipsam: quoniã quod intercalatur, differri quodammodo uidetur.
Nam quod.) quòd autem. Tam sponsores.) qui pacto se staturos spoponderunt. Quàm fœdera sancta.) Sanctum dici putant aut à sanciẽdo, aut à sagmine herba (uerbenam dicunt) qua, ut tradit T. Liuius primo ab Vrbe condita, utebantur fœcia-

fœciales in ſanciendis fœderibus, quæ legitima uerborum forma nuncupata propterea ſancta credebãtur, quòd ea uiolari nefas erat. Cætera deinde ſancta ex eo ipſo dicta ſunt. Iuxta diuinas religiones.) id eſt, æquè ac diuinæ religiones. Hinc facile colligi poteſt religionem quandam diuinam eſſe, quæ Diuis aut ſolis, aut primò exhibetur, qualis eſt ſacrorum faciendorum obſeruatio: quandam humanam, quæ & mortalibus ipſis exhibetur, qualis eſt ſi quod homini ſpopondiſti, ei exoluas. Item fidem diuinam aliam, qua quod Diuis uotum eſt, præſtatur: cuiuſmodi multa ſunt exempla apud Liuium, quum ab imperatoribus uota eſſe fana Dijs refert. aliã humanam, qua pacta humana, & fœdera continentur. Sed iniuſſu populi.) Hypotheſis quædam eſt. Quod populum teneat.) obliget. An ſi eadem.) A coniecturis. Legitima uerba.) ſolennia, propria, quæ nuncupari ſolẽt. Ex hoc loco facile apparet, in dedendis urbibus, alijsq; pactis et fœderibus certa uerba nũcupari atq; exprimi ſolita, quibus fœdera ſanciebantur, ut uiolari ea religioſum eſſet. Nuncupare.) nominatim exprimere. Dij meliora.) dent, aut concedant, ſcilicet. Indignitas rerum.) Dignitas, exiſtimatio & opinio claris factis parta & quæſita. Hinc dignitas reipub. dignitas hominis, magiſtratus. Indignitas

rerum dicitur, quando res eueniunt quæ existimatione eam lædunt, siue quæ accidunt alicui eas pati indigno, siue qui ijs indignus est. Si quid est.) Id debet intelligi, dum sine iussu populi contrahatur. Argumentum à simili. Mentem ademerunt.) quod dicitur, usum rationis. Cum populo de pace.) Mittere agere, promittere actum, sermo latinus abnuit. Quare uerior mihi lectio uidebitur, si duæ sententiæ distinctione separentur, in quarum posteriore oratio; difficile est, repetatur. Est autem cum populo agere de pace, tractare de pace certis conditionib. latis. Supra de hoc uerbo plura habes.

Argumentum in LXXXI.

Consilio ac sententia Sp. Posthumij patres adducti, per fœciales dedi hostibus sponsores iubent. Iam uentum erat in cœtum Samnitium, & ad tribunal C. Pontij, quum ueste detracta, manibusq; post tergum uinctis A. Cornelius Aruina fœcialis sponsores pacis hostibus hac uerborum forma dedere cœpit.

Verba A. Cornelij Aruinæ fœcialis ad Samnites in deditione sponsorũ pacis. 81.

QVandoquidẽ hice homines iniussu populi Ro. Quiritium fœdus ictum iri spoponderunt, atq; ob eam rem noxam no

cuerunt

cuerunt: ob eam rem, quo pop. Ro. ſcelere impio ſit ſolutus, hoſce homines uobis dedo.

Argumentum in LXXXII.

Hoc ad proximam orationē pertinet. Sp. Poſthumius inter uerba deditionis genu fœcialis fœmur quanta maxima ui potuit perculit, dicens ſe Samnitem ciuem, à ſe quum præter ius legatus Romanus uiolatus ſit, eo iuſtius bellum geſturos. Pontius uerò, quum hoc factum animaduertiſſet, deditionem ſe accepturum ita negauit.

Cl. *Pontij Samnitium regis ad fœcialem reſponſio.* LXXXII.

NEc ego iſtam deditionem accipiam, nec Samnites ratam habebunt. Quin tu, Sp. Poſthumi, ſi Deos eſſe cenſes, aut omnia irrita facis, aut pacto ſtas? Samniti populo omnes quos in poteſtate habuit, aut pro his pax debetur. Sed quid ego te appello, qui te captum uictori cum qua potes fide reſtituis? Populum Romanum appello, quem ſi ſponſionis ad furcas Caudinas factæ pœnitet, reſtituat legiones intra ſaltum quo ſeptæ fuerūt: nemo quenquam deceperit: omnia pro infecto ſint: recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt: redeant in caſtra ſua. Quicquid pridie habuerunt, quàm in colloquium eſt uentum, habeant: tum bellum & fortia conſilia placeāt: tunc ſponſio & pax repudietur. Ea fortuna, ijs

locis

locis, quam ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum: nec populus Rom. cõsulum sponsionem, nec nos fidem populi Rom. accusemus. Nunquam'ne causa defiet, cur uicti pacto non stetis? Obsides Porsenæ dedistis: furto eos subduxistis. Auro ciuitatem à Gallis redemistis: inter accipiendum aurum cæsi sunt. Pacem nobiscum pepigistis, ut legiones uobis captas restitueremus: eam pacem irritam facitis, & semper aliquam fraudi speciem iuris imponitis. Non probat populus Rom. ignominiosa pace legiones seruatas? Pacem sibi habeat, legiones captas uictori restituat. Hoc fide, hoc fœderibus, hoc fœcialibus ceremonijs dignum erat, ut quidem tu quod petisti, per pactionẽ habeas tot ciues incolumes: ego pacem, quam hosti tibi remittendo pactus sum, non habeam? hoc tu, A. Corneli, hoc uos fœciales iuris gentibus dicitis? Ego uerò istos, quos dedi simulatis, nec accipio, nec dedi arbitror: nec moror, quo minus in ciuitatem obligatam sponsione commissa iratis omnibus Dijs, quorũ eluditur numen, redeant: geratur bellum, quando Sp. Posthumius modo legatum fœcialem genu perculit. Ita Dij credent Samnitem ciuem Posthumium, non ciuem Romanum esse, & à Samnite Romanum legatum uiolatum: eò uobis iustũ in nos factum esse bellum. Hæc ludibria religionum non pudere in lucem proferre? & uix pue-

ris

ris dignas ambages, senes ac consulares fallendæ fidei exquirere? I lictor, deme uncula Romanis, moratus sit nemo, quo minus ubi uisum fuerit, abeant.

Nec ego.) Ratio *est abnuendi, & repudiandi, ubi aliud, aut secus quàm pactum est, præstatur.* Ratam *habebunt.) firmam, certam.* Causa *desiet.) deerit.* Speciem iuris.) *imaginem modo, seu quod uulgò dicitur, apparentiam, non uerum ius.*

Hoc *fide.)* Communicatio. Nec *moror.) impedio.* Quando Spurius.) *quandoquidem, quoniam. Alludit ad id factum* Posthumij, *quod in argumento retulimus.*

Argumentum in LXXXIII.

Gerebatur bellum Q. Fabio *dictatore duce aduersus Samnites, ad quos post aliquot bella in* Apulia *gesta, Sora oppidum defecerat.* Potiti *oppido colonos* Romanorum *interficiunt. Quod ubi est perlatum in castra, tum demum* Romani *ad ulciscendam ciuium necem, recuperandamq; coloniam contẽdunt.* Ad *Lautulas diu ancipiti prælio pugnatum est, donec incertos utri uicti, an uictores essent, nox diremit.* Dictator *post pugnam cum suos intra uallum iam aliquot dies obsessi magis quàm obsidentis modo continuisset, ad eruptionem sic adhortabatur.*

Adhortatio ad eruptionem Q. Fabij dictatoris ad ſuos. LXXXIII.

LOcis anguſtis, milites, deprehenſi, niſi quam uictoria patefecerimus, uiam nullam habemus. Statiua noſtra munimento ſatis tuta ſunt, ſed inopia eadem infeſta. Nã & circà omnia defecerunt, unde ſubuehi commeatus poterant, & ſi omnes iuuare uelint, iniqua loca ſunt. Itaq; non fruſtrabor ego uos caſtra hic relinquendo, in quæ infecta uictoria, ſicut priſtino die uos recipiatis. Armis munimenta, non munimentis arma tuta eſſe debent. Caſtra habeant, repetantq́;, quibus operæ eſt trahere bellum: nos omnium rerum reſpectum præterquam uictoriæ nobis abſcindamus. Ferte ſigna in hoſtem: ubi extra uallum exceſſerit agmen, caſtra quibus imperatũ eſt, incẽdant. Dãna noſtra, milites, omnium circà qui defecerunt populorum præda ſarcientur.

Argumentum in LXXXIIII.

Coniurationes principum Capuæ factæ, autoribus & capitibus mortuis Romã *tandẽ uerſæ ſunt. Quæſtionibus exercendis* C. *Menenius dictator dictus erat: à quo quũ poſtularẽtur ad dicendam cauſam nobiles uiri, primum tribunoſ pl. appellabant: deinde quum ea uia nihil proficerent, quin nomina darent: tum demum id crimen uociferantur non nobilium*

nobilium, sed nouorum esse, nominibus indicatis dictatore atq; magistro equitum: quod compertum iri affirmabant, ubi magistratu abijssent. Tum Menenius dictator hac oratione nihil se morari dixit, quo minus eo ipso die abdicato magistratu causam inter reos diceret.

C. Menenij dictatoris oratio, quando in eum ambitus crimen iactum est à nobilibus. LXXXIIII.

ETsi omnes anteactæ uitæ uos conscios habeo Quirites: & hic ipse honos delatus ad me, testis est innocentiæ meæ. Neq; enim, quod sæpe aliàs, quia ita tempora postulabant Reip. qui bello clarissimus esset, sed qui maxime procul ab his concionibus uitam egisset, dictator deligendus exercendis quæstionibus fuit. Sed quoniã quidã nobiles homines (qua de causa uos existimare, quàm me pro magistratu quicquã incompertũ dicere melius est) primũ ipsas expugnare quæstiones omni ope annisi sunt: deinde postquã ad id parũ potẽtes erant: ne causam dicerẽt, in præsidia aduersariorũ appellationem & tribunitium auxilium patricij confugerunt. Postremo repulsi inde (adeo omnia tutiora, quàm ut innocentiam suam purgarent, uisa) in nos irruerũt: & priuatis dictato

rem poſcere reum, uerecundiæ non fuit. Vt omnes Dij, homines'q; ſciant, ab illis etiam, quæ non poſſint, tentari, ne rationem uitæ reddant: me obuiam ire crimini, & offerre me inimicis reum: dictatura me abdico. Vos quæſo] conſules, ſi uobis datum ab ſenatu negotium fuerit: in me primum, & hunc M. Follium quæſtiones exerceatis, ut appareat innocentia noſtra nos, non maieſtate honoris tutos à criminibus iſtis eſſe.

Vos conſcios.) ſcire uos arbitror æquè ac ipſe ſcio, quam uitam hactenus egerim. Et hic ipſe *honos) dictatura exercendis quæſtionibus mihi ob lata.* Exercendis *quæſtionibus.) Quærere in iure, eſt ueritatem criminis ex reo, uel teſtibus uel tormentis, aut quo alio pacto explorare, & inueſtigare.* Vulgò *dicimus ſe informare, ſeu facere informationẽ.* Hinc *quæſtio pro iudicio publico in re præſertim criminali: quæ tum exerceri, teſte* Beroaldo *in Suetonium, dicitur, quum ueritas criminis exploratur per tormenta: quanquam ex hoc loco facile apparet & alia ratione exerceri. Quæſtor, ſiue quæſitor is dicitur, qui exercendis quæſtionibus delectus præeſt. eum proprie quæſtionum criminalium eſſe autor eſt* Pædianus. *Vulgò eum informatorem dicimus.* Expugnare *quæſtiones.) id eſt, conati ſunt impedire quo minus haberentur quæſtiones,*

nes, ſeu quæreretur de crimine. Ne cauſam dicerent.) Cauſam dicere nunc eſt poſtulatum eſſe reũ alicuius criminis, nunc inter reos annumerari & recipi, ut ad obiecta reſpondeatur. Qua poſteriore ſignificatione quum hic ſumatur, tamen uidebitur etiam in priore accipi, niſi quis diligenter quæ hãc concionem apud Liuium antecedunt, inſpexerit. Nam iam nobiles illi homines poſtulati rei nomina dederant. Poſcere reum.) Poſcere aliquem reũ, eſt poſtulare, ſeu qualibet ratione facere, ut inter reos recipiatur, ac cauſam dicat. Dicitur & poſtulare reum. Vt omnes Dij.) Huius loci difficilis ſenſum ita erue. Dictatura me abdico, abeo dictatura, ut omnes Dij hominesq́; ſciant, ab illis, ſcilicet nobilibus, tentari etiam quæ non poßint, ſcilicet tentari (quod priuatus in magiſtratum, tali præſertim in re nihil poteſt) ne rationem uitæ reddant, per quæſtiones ſcilicet, me obuiã ire crimini (repete uerbũ, ut ſciãt) reſiſtere uelle obiecto facinori.

Argumentum in LXXXV.

Appius Claudius cenſor erat, qui quum lege Aemilia circumactis X & octo menſibus abire magiſtratu deberet: nec lege, nec exẽplo collegæ, nec ui ulla cogi poterat ut ſe abdicaret. Cauillabatur autem neminem ea lege teneri, qui poſt eam latam creatus fuiſſet. Eius magiſtratus finiendi P. Sẽpronius

tribunusplebis actionem susceperat, qui superbiam insolentiamq; Appij apud populum ita criminatus est.

Actio P. Sempronij tribunipl. contra Ap. Claudium, qui se intra legitimũ tempus censura abdicare nolebat. 85.

EN, Quirites, illius Appij progenies, qui decemuir in annum creatus, altero anno seipse creauit: tertio nec ab se, nec ab ullo creatus, priuatus fasces & imperium obtinuit, nec antè continuãdo abstitit magistratu, quàm obruerent eum male parta, male gesta, male retenta imperia. Hæc est eadẽ familia, Quirites, cuius ui atq; iniurijs compulsi, extorres patria Sacrũ montem cepistis: hæc aduersus quam tribunitium auxiliũ uobis comparastis: hæc propter quam duo exercitus Auentinum insedistis: hæc quæ fœnebres leges, hæc quæ agrarias semper impugnauit: hæc connubia patrum & plebis interrupit: hæc plebi ad curules magistratus iter obsessit: hoc est nomen multo quàm Tarquiniornm infestius uestræ libertati. Itáne tandem, Appi Claudi, quum centesimus iam annus sit ab Mamerco Aemilio dictatore, tot censores fuerint nobilissimi fortissimiq; uiri, nemo eorum duodecim tabulas legit? nemo id ius esse, quod postremo populus iussisset, sciuit?

Imò

Imò uero omnes sciuerunt: ideo Aemiliæ potius legi paruerunt, quàm illi antiquæ, qua primum censores creati erant, quia hanc postremum iusserat populus, & quia ubi contrariæ duæ leges sunt, semper antiquam abrogat noua. An hoc dicis Appi, non teneri Aemilia lege populum? an populum teneri, te unum extra legem esse? Tenuit Aemilia lex uiolentos illos censores C. Furium & M. Geganiũ: quicquid iste magistratus in Rep. malefacere posset, indicarunt, quum ira finitæ potestatis Mamercum Aemilium principem ætatis suæ, belli domiq; ærarium fecerunt. Tenuit deinceps omnes censores intra centũ annorum spacium: tenet C. Plautium collegam tuum iisdem auspicijs, eodem iure creatum. An hunc non ut qui optimo iure censor creatus esset, populus creauit? Tu unus eximius es, in quo hoc præcipuum ac singulare ualeat? Quem tu regem sacrificiorũ crees amplexus regium nomen, ut qui optimo iure rex Romę creatus sit, creatum se dicat? Quem semestri dictatura, quem interregno quinque diebus contentum fore putes? Quem claui figẽdi, aut ludorum causa dictatorem audacter crees? Quàm isti stolidos ac socordes uideri creditis eos, qui intra uicesimum diem ingentibus rebus gestis dictatura se abdicarunt? aut qui uitio creati magistratu abierunt? Quid ego anti-

qua repetam? Nuper intra decem annos C. Menenius dictator, quia cum quæstiones seuerius, quàm quibusdam potentibus tutum erat, exerceret: contagio eius, quod quærebat, ipsi criminis obiecta ab inimicis est: ut priuatus obuiam iret crimini, dictatura se abdicauit. Nolo ego istam in te modestiam: ne degeneraueris à familia imperiosissima & superbissima: non die, nō hora citius quàm necesse est, magistratu abieris, modo ne excedas finitum tempus. Satis est aut diem, aut mensem censuræ adijcere. Trienniū, inquit, & sex menses ultrà quàm licet Aemilia lege, censuram geram, & solus geram. Hoc quidem iam regno simile est. an collegam subrogabis, quem ne in demortui quidem locū subrogari fas est? Pœnitet enim, quòd antiquissimum solenne, & solum ab ipso, cui fit, institutum Deo, ab nobilissimis antistitibus eius sacri ad seruorum ministerium religiosus censor deduxisti: quod gens antiquior originibus urbis huius, auspicio Deorum immortalium sancta, propter te ac tuam censuram intra annum ab stirpe extincta est: nisi uniuersam Remp. eo nefario obstrinxeris, quod ominari etiam reformidat animus. Vrbs eo lustro capta est, quo demortuo collega C. Iulio censore, L. Papyrius Cursor ne abiret magistratu, M. Corneliū Maluginensem collegam subrogauit: & quanto modestior illius cupiditas fuit, quàm tua Appi?
nec

Nec ſolus, nec ultra finitum lege tempus L. Papyrius cenſuram geſſit, tamen neminem inuenit, qui ſe poſtea autorē ſequeretur: omnes deinceps cenſores poſt mortem collegæ ſe magiſtratu abdicarunt. Tę nec quod dies exiȷt cenſuræ, nec quod collega magiſtratu abiȷt, nec lex, nec pudor coërcet. Virtutem in ſuperbia, audaciam in contemptu Deorum hominumq́; ponis. Ego te, Ap. Claudi, pro iſtius magiſtratus maieſtate ac uerecundia, quē geſſiſti, non modo manu uiolatum, ſed ne uerbo quidem inclementiori à me appellatum uellem. Sed & hæc quæ adhuc egi, peruicatia tua & ſuperbia coēgit me loqui: & niſi Aemiliæ legi parueris, in uincula duci iubebo: neq;, quum ita comparatum à maioribus ſit, ut comitiȷs cenſoriȷs niſi duos confecerint legitima ſuffragia, non renunciato altero, comitia differantur: ego te, qui ſolus cenſor creari non poſſis, ſolum cenſuram gerere non patiar.

En Quirites.) *Criminandi & accuſandi ratio eum qui extra legitimum tempus magiſtratum continuare uelit. Aduerſarium iam inde à principio inuiſum infeſtumq́; reddit à gentis & familiæ Claudiæ facinoribus.* Quàm obruerent eum.) *Nam coniectus in carcerem, ante diem cauſæ dictionis ſibi mortem conſciuit.* Hæc, quæ fœnebres.) *Fœnebres leges dicuntur quæ de fœnore promulgatæ*

 ſunt:

ſunt: qualis fuit Licinia, de qua ſupra memini. Quæ agrarias.) de agrorum modo promulgatas, qualis fuit Licinia, qua caueri ſupra dixi, ne quis plus quingenta iugera agri poßideret. Ad curules.) Curules magiſtratus erant, qui ſella eburnea in ſenatum deferebantur, ſeu qui ius dicendo ſella utebantur ad pedum ſuſtentationem: quales erant ædiles patricij, & prætores. Obſepſit.) clauſit, impediuit. Sciuit.) intellexit. Extra legem eſſe.) non obligari lege. Tenuit.) obligauit. Sic hac tota oratione accipitur. Hactenus ferè à ſimili duxit argumentum. Quem tu ſacrificiorum.) Supra docui quis diceretur rex ſacrificiorum, ſeu ſacrificulus. Incommoda exaggerat, quæ inde conſecutura ſunt. Quem ſemeſtri.) Nam ſex menſium ſpacio legitima dictatura finiebatur. Quem interregno.) Interregno quinq; dies duntaxat præſcripti erant. Quem claui figendi.) Autor eſt ipſe Liuius ſeptimo ab Vrbe condita, dictatorem in id modo creatum eſſe, ut clauum figeret, quòd ſicut maiorum memoriæ proditum eſſet, clauo ab dictatore fixo peſtem ſedatam fuiſſe, ita morborum qui tum ingruebant, ſæuitiam comprimi poſſe, ſi figeretur. Cuius rei cauſa L. Manlius dictator creatus, clauum fixit dextro lateri ædis Iunonis. Id ſolenne à Conſulibus ad dictatores trans

latum

latum eſt, ut idem autor eſt, qui ſolenni peracto, abire magiſtratu cogebantur. Quàm iſti.) Appio.

Quem ne in demortui.) Quemadmodum mortuo uno cenſorum, alter abiret magiſtratu, & qua occaſione, mox expoſiturus eſt. Pœnitet e-nim.) *Id eſt: parum tibi uidetur, ſatis non eſt tibi, non es contentus.* Eius generis *dictionibus particula* Niſi *ſubiungi debet: ac hoc loco ſubiungitur quidem, ſed interuallo eo, ut uix ſignificatio uerbi pœnitet, in qua ſumitur, ſe prodat, & manifeſtet. Quòd antiquißimum ſolenne.)* Intelligit *ſacrum illud quod* Hercules *accepto omine, quod* Euander *portenderat, per* Potitiorum Pinariorumq; *familiam ſibi fieri inſtituit.* Is Appius *paulo antè* Potitiæ *genti autor fuerat, ut eius ſacri ritum & obſeruationem ſeruos publicos, ad quos deinde tranſiret, doceret.* Poſt *quod factum tota familia* Potitiorum *intra anni ſpaciũ prorſus interijt.* De *hoc* T. Liuius *libro nono ab* Vrbe *condita, &* Valerius Maximus *primo.*

Ab ipſo cui fit.) Hercule *ſcilicet: nam id ſacrum inſtituit, ut primo ab* Vrbe Liuius *docet.*

Antiſtitibus eius ſacri.) Potitijs & Pinarijs, *qui erant* Græcæ *familiæ. Ab ſtirpe.) prorſus.*

Vrbs eo luſtro.) eo quinquẽnio. Cenſuræ *quinquẽnium terminus fuit ad dictaturam* Mamerci Aemi-

lij

lij, qui lege cauit, ne quis deinceps extra X & octo mensium spacium eum magistratum prorogaret. Censorum erat, ciuium censum agere, lustrum condere: ex quibus duobus tantam sibi potestatem arrogarũt, ut senatores senatu mouerẽt. Quæ ad huc egi.) hactenus. Non renunciato altero.) Renunciare magistratum est palàm nominare, declarare: quod fieri solet comitijs Archischolasticis habitis, ubi constat quisnam suffragijs tribuum siue prouinciarum electus est. Nam tum nomen eius inclamari solet.

EX LIBRO DECIMO AB VRB. COND.

Argumentum in LXXXVI.

Iam ad omnes magistratus & honores plebeijs quoq;, exceptis sacerdotijs, aditus patebat, quum tribuni ple. rogationem promulgant, ut quum ad id tempus quatuor tantum augures, quatuor item põtifices fuissent, quinq; deinceps augures, et quatuor pontifices, & ex plebe omnes allegerentur. Rogationem eam ægrè paßi patres, quatenus ex plebe allegerentur, iactabant ea sacra uiolari & pollui. De suadenda, dissuadendaq; rogatione diu inter Ap. Claudium & P. Decium Murem certatum est. Decius, multis antè de parente suo Decio consule, qui

se

ſe pro legionibus deuouerat, cõmemoratis, quæ ad rem pertinebant, hoc pacto rogationem ſuaſit.

P. Decij *Muris conſulis ad populum oratio, ut ex plebe augures & pontifices fierent.* LXXXVI.

QVòd quum ita ſe habeat, cui Deorũ hominum'ue indignum uideri poteſt, eis uiris, quos uos ſellis curulibus, toga prętexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaq́; honoraritis, quorum domos ſpolijs hoſtium affixis inſignes inter alias feceritis: põtificalia, atq; auguralia inſignia adijcere? Qui Iouis optimi maximi ornatu decoratus, curru aurato per urbem uectus in Capitolium aſcenderit, ſi conſpiciatur cum capide ac lituo, capite uelato uictimam cædet, augurium ue ex arce capiet: cuius imaginis titulo conſulatus, cenſuraq́; & triumphus æquo animo legetur, ſi auguratum aut pontificatum adieceritis, non ſuſtinebunt legentium oculi? Equidẽ (pace dixerim Deûm) eos nos iam populi Ro. beneficio eſſe ſpero, qui ſacerdotijs non minus reddamus dignatione noſtra honores, quàm acceperimus, & Deorum magis quàm noſtra cauſa expetamus, ut quos priuatim colimus, publicè colamus. Quid autem ego ſic adhuc egi, tanquam integra ſit cauſa patriciorum de ſacerdotijs, & non nos iam in poſſeſſione unius

am-

amplissimi simus sacerdotij? Decēuiros sacris faciundis, carminum Sibyllæ, ac fatorum populi huius interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri, ceremoniarumq; aliarum, plebeios uidemus: nec ut tum patricijs ulla iniuria facta est, quum duumuiris sacris faciundis adiectus est propter plebeios numerus, & nunc tribunus uir fortis ac strenuus quinq; augurum loca, quatuor pontificũ adiecit, in quæ plebeij nominentur, non ut uos, Appi, uestro loco pellant, sed ut adiuuent uos homines plebeij diuinis quoq; rebus procurãdis, sicut in cæteris humanis pro parte uirili adiuuant. Noli erubescere, Appi, collegam in sacerdotio habere, quem in censura, quem in consulatu collegam habere potuisti: cuius tam dictatoris magister equitum, quàm magistri equitum dictator esse potes. Sabinum aduenã principem nobilitatis uestræ, seu Appium Clausium, seu Appium Claudium mauultis, illi antiqui patricij in suum numerum acceperunt: ne fastidieris nos in sacerdotum numerum accipere. Multa nobiscũ decora afferimus, imò omnia eadem, quæ uos superbos fecerũt. L. Sextius primus de plebe cõsul est factus, Claudius Licinius Stolo primus magister equitũ, C. Mart. Rutilius primus & dictator & censor, Q. Publius Philo primus prætor. Semper ista audita sunt eadem penes uos auspicia esse, uos solos gentes habere, uos solos

iustum

iuſtũ imperiũ, & auſpiciũ domi militiæq́;, æquè adhuc proſperum plebeium, ut & patriciũ fuit, porroq́; erit. An unquam fando audiſtis, patricios primo eſſe factos, non de cœlo demiſſos? ſed qui patrem ciere auumq́; poſſent? id eſt, nihil ultra, quàm ingenuos? Conſulem iam patrem ciere poſſum, auumq́; iam poterit filius meus. Nihil eſt aliud in re, Quirites, niſi ut omnia negata adipiſcamur. Certamen tantum patricij petunt, neq; curant, quem euentum certaminum habeant. Ego hanc legem (quod bonũ fauſtum, felixq́; ſit uobis ac Reip.) uti rogaſtis, ſubeundam cenſeo.

Quod quũ ita ſit.) Hoc *principiũ ſatis indicat et multa alia antè à* Decio *iactata eſſe. Cæterũ hoc tantũ loco* Liuius *ei ſermonẽ tribuit, cætera narrauit. Suadetur hac, ut ex plebe augures et pontifices fiãt. Sellis curulibus.)* Nã *prætor iam ex plebe factus erat, et ædilis curulis, qui magiſtratus ſella in ſenatũ uehebãtur.* Toga *prætexta.)* Magiſtratuũ *erat prætexta, ita appellata, quòd per orã & circuitũ purpura ei prætexeretur.* Nam *prætexere id ſignificat, quod uulgò dicimus bordare.* Veſtis *prætexta, bordata.* Tunica *palmata, ſiue toga, ueſtis erat triumphantiũ, ſic appellata, à palma in ea intexta.* Lazarus Bayſius *autor eſt palmatã & trabeam dictã, qua conſules in pace, & duces in uictoria utebantur*

bantur. Togam pictam Festus Pompeius refert ante suam ætatem, purpuream fuisse uocatam, cui nulla intexebatur pictura. Erat, ut Budæus ostendit, publica, summiq; magistratus, fuisse & triumphantium, ex Liuio docet Lazarus Bayfius. Et corona triumphali.) Corona triũphalis, autore A. Gellio, erat quæ imperatoribus ob honorem triumphi mittebatur. Eam olim ex lauro fieri solitam tradit, pòst ex auro fieri cœptam, quod coronarium dicebatur. Hic, puto, eãdem uocat coronam triumphalem, & lauream. Certe lauream triumphantium fuisse Liuius ipse supra in quadam oratione ex septimo petita in hæc uerba ostendit: Quum uincere cupimus, tum duce te uincere, tibi lauream insignẽ deferre. Qui Iouis optimi.) A' minore argumẽtum ducitur. Hic totus locus difficilis est. Duobus membris constat, quorum prius referri debet ad patricium uirum, qui augur & pontifex esse poterat, etiamsi nullum magistratum antea gesŝisset. Quisnam sit ornatus Iouis plane ignoro, nisi forte uestis triumphalis, quam Plinius docet auro purpuraq́; distingui solitam. ita uerò accipi debere, quod mox subiungitur indicat, nempe Curru aurato. Nam ijs modo, quibus decretus triumphus, uehi per urbem curru aurato licebat. Cum capide.) Magis, puto, legendum est, Lapide, quod cuius augurium esset, in

lapide,

lapide ſederet. Cæterum capis, autore Feſto, genus eſt poculi. Lituus uerò, ut tradit Liuius 1. ab Vrbe condita, baculus erat aduncus ſine nodo, quo augur utebatur. Decemuiros ſacris.) Autor eſt Feneſtella, duumuiros à Tarquinio Superbo ſacris faciendis, inſpiciendisq; Sibyllinis libris inſtitutos eſſe, quibus inſtante plebe octo adiecti ſunt, ex quibus ut Liuius VI. ab Vrbe refert, quinq; ex plebe allecti. Iis item cura fuit inſpiciendorum et corrigendorum faſtorum. Quo fit, ut in quibuſdam libris legatur pro fatorum faſtorum. Erant autem faſtorum libri, autore Feſto, in quibus totius anni fiebat deſcriptio: Faſtos enim dies feſtos appellatos. Cuius tam dictatoris.) Nam & dictator iam ex plebe & magiſter equitum dicti erant, ut mox nominatim citaturus eſt. Sed qui patrem ciere.) Hinc colligi poteſt, eos principio rei Romanæ patricios dictos eſſe, qui patrem auumq; manumiſſos habuiſſent. Ingenuos hic uocat, qui procreati ſunt ex ijs qui manumiſſi ſunt: aliàs ex liberis parentibus nati, ingenui intelliguntur. Ita patricius nō erat, qui patrem tantum, non etiam auum manumiſſum habuiſſet. Libertinos eos, qui utrumq; aut alterum habuiſſent manumiſſum, etiam appellari docet Budæus. Iuſtinianus tradit eum libertinum eſſe, qui manumiſſus eſt, id eſt ex ſeruitute in libertatē aſſertus.

Argumentum in LXXXVII.

Illustres fortesq; uiri consulatum petebant, quũ omnium centuriarum consensu ad Q. Fabium primò non petentem, deinde etiam recusantem imperium deferunt. Is causatus ætatem, multosq; nominans præclaros ac fortes duces, perstabat in recusando: ad postremum legem recitari iußit, qua cauebatur, ne quis consul reficeretur intra decẽ annos. Abduci nihilominus ubi centurias uidit non posse, quin consul declararetur, uictus perseuerantia, ita omnes rogabat, ut sibi liceret quem uellet collegam subrogare.

Verba Q. Fabij Maximi consulis designati ad populum.

DIi approbent quod agitis, acturiq; estis, Quirites. Cæterũ quoniam in me quod uos uultis, facturi estis, in collega sit meę apud uos gratiæ locus. Publiũ Decium expertũ mihi concordi collegio uirũ, uobis dignũ, dignũ parente suo, quæso, mecũ consulẽ faciatis.

Argumentum in LXXXVII.

Senatus in biduũ propter uisa prodigia supplicationes decreuerat. Quum forte in sacellum Pudicitiæ supplicatum iretur, certamine orto inter matronas, Virginia A. patricij quidem filia, cæterum L. Volumnio consuli plebeio nupta, ijs sacris arcebatur

batur, quod quum à patribus ad plebem transisset, nefas patriciæ matronæ ducerent, si in fanũ ingressa esset, quod solis (ut iactabant) patricijs patebat. Ea ibi gloriata, quod & patricia & pudica in patriciæ Pudicitiæ templum ingressa esset, matrona uni uiro nupta, quum esset uirgo: quũ non ita multo pòst in eo uico ubi habitabat, ex parte ædium quod satis loci esset paruo sacello, exclusisset: aram ibi positam, uocatis plebeijs matronis, in hæc uerba Pudicitiæ plebeiæ dedicauit.

Verba Virginiæ in dedicatione aræ Pudicitiæ plebeiæ. LXXXVIII.

HAnc ego aram Pudicitiæ plebeiæ dedicò, uosq; hortor, ut quod certamen uirtutis uiros in hac ciuitate tenet, hoc Pudicitiæ inter matronas sit: detisq; operã, ut hæc ara quã illa, si quid potest, à sanctioribus & castioribus coli dicatur.

FINIS ORATIONVM I. *Decados.*

SEQVENTES EX TERTIA sumptæ: et primum

EX LIBRO I. QVI XXI.

Argumentum in LXXXIX.

Factiones erant duæ inter Carthaginenses ortæ altera Barchinorum, qui ad Annibalem imperium

deferendum censebant. altera aliorum, cuius princeps Hanno erat. Is Annibali rerum summam tradendam non putabat, sed potius continendum eum domi sub legibus, docendumq; uiuere cum cæteris æquo iure sub magistratibus, ne is uelut paruus ignis incendium ingens quandoq; exuscitaret. Ac iam cum Asdrubale populus Romanus fœdus renouauerat, ut amnis Iberus imperij Romani & Carthaginensium terminus esset, Saguntinisq; medijs libertas seruaretur. Maior iam tum pars uicerat ut Annibal præficeretur bello: iamq; ipse Saguntum summa ope oppugnabat, quum à Saguntinis legati de auxilio Romam mittuntur. Romani oratores eo ipso nomine missi, nec admissi ab Annibale, nec auditi sunt. Ac quum Carthaginem conquestum de fœdere rupto ituros accipe-ret, literas, nunciosq; ad principes Barchinæ factionis præmisit, quibus eos monebat, ut suorum animos præpararent, ne quid factio altera pro Romanis gratificaretur. Porrò iam Carthaginem legati Romanorum peruenerant, quum Hanno ipse alterius factionis princeps in senatu de re quæ contigerat, ita sententiam peregit.

Hannonis ad Carthaginenses pro fœdere rupto contra Annibalem concio. 89.

Iuuenem

IVuenem flagrãtem cupidine regni, uiamq; unam ad id cernentem, si ex bellis bella serẽdo, succinctus armis legionibusq; uiuat, uelut materiam igni præbentes ad exercitus misistis. Aluistis ergo hoc incendium, quo nunc ardetis. Saguntum uestri circunsedent exercitus, unde arcentur fœdere, mox Carthaginem circũsedebũt legiones Romanæ ducibus Dijs ijsdẽ, per quos priore bello rupta fœdera sunt ulti. Vtrum hostem, an uos, an fortunam utriusq; populi ignoratis? Legatos à socijs & pro socijs uenientes bonus imperator uester in castra non admisit, ius gentium sustulit. Hi tamẽ, unde ne hostium quidem legati arcentur, pulsi ad uos ueniunt. Res ex fœdere repetuntur, publica fraus absit, autorem culpæ & reum criminis deposcunt. Quo lenius agunt, segnius incipiunt: eo, quum cœperint, uereor ne perseuerãtius sæuiant. Aegades insulam, Erycemq; ante oculos proponite, quæ terra mariq; per quatuor & uiginti annos passi sitis: nec puer hic dux erat, sed pater ipse Amilcar, Mars alter, ut isti uolunt. Sed Tarento tum in Italia non abstinueramus ex fœdere, sicut nunc Sagunto non abstinemus. Vicerunt ergo dij hominesq;, & id de quo uerbis ambigebatur, uter populus fœdus rupisset, euentus belli uelut æquus iudex, unde ius stabat, ei uictoriam dedit. Carthagini nunc

Annibal uineas turresq; admouit, Carthaginis mœnia quatit ariete. Sagunti ruinæ (falsus utinam uates sim) nostris capitibus incident, susceptumq; cum Saguntinis bellũ, habendũ cũ Romanis est. Dedemus ergo Annibalem? dicet aliquis. Scio meam leuem esse in eo autoritatem, propter paternas inimicitias: sed & Amilcarem eo perijsse lætatus sum, quod si ille uiueret, bellũ iam cũ Romanis haberemus: & hunc iuuenem tanquam furiam, facemq; huius belli, odi, ac detestor, nec dedendum solũ ad piaculũ rupti fœderis, sed si nemo deposcat, deuehendũ in ultimas maris terrarũq; oras, ablegandumq; eò, unde nec ad nos nomen famaq; eius accedere, neq; solicitare quietæ ciuitatis statum possit, Ego autem ita cẽseo, legatos extemplo Romã mittendos, qui senatui satisfaciant: alios, qui Annibali nuncient, ut exercitum ab Sãgunto abducat, ipsumq; Annibalem ex fœdere Romanis dedant. Tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno.

Iuuenem flagrantem.) Hoc non est principium concionis ab Hannone habitæ, Liuius alia refert. Hinc petamus licebit rationem criminandi eos quorum autoritate unus quilibet ad rem gerendam delectus, rem ipsam non ex commodo & utilitate Reipub. administrauerit, ubi præsertim ita fore

præ-

prædictum est. Versatur in deliberatione. Flagrantem cupidine regni.) inflammatum, incensum, impulsum regnandi libidine & desiderio. Viamq; unam ad id.) qui modo dispicit & uidet, quo modo imperare poßit. Nondũ enim Annibali summa rerum delata erat. Si ex bellis.) Bella ex bellis serere, prouerbium est in eos competens, qui malum, aut quam aliam rem tollere conati, uerius exuscitant & augent, quàm restinguant. Velut materiam igni.) Materiam igni præbere, parœmia est huic similis, oleum flammæ seu igni, aut ignem igni addere. In eos utraque torquebitur, qui homini suapte natura satis ad facinus impulso, ceu fenestram quandam ad illud ipsum aperiunt. Vulgò dicimus pergere pingere hominem, seu perficere picturam. Aluistis ergo.) Rursus prouerbium est non multum huic dißimile, Faber quas fecit compedes, ipse gestat. Commodè ipso utemur in eum qui quum malum aliquod ad perniciem aliorum compararit, tandem illo ipso potius perit, quàm alij aduersus quos comparatum erat. Saguntum uestri.) Antitheton. Priore bello.) Punico scilicet. Bonus imperator.) non abest ironia. In castra non admisit.) accepit, recepit. Aegades.) Exemplum à maiore. Nõ abstinueramus.) non tẽperaueramus. Euentus

belli.) exitus, terminus, finis. Vnde ius stabat.) qui iurè bellum mouebat, cui ius erat repetendi, et uindicandi. Vineas.) Vineæ in re militari structuræ quædam sunt, & opera, quæ obsidentes ad ictus hostium tuentur, ut tuto ac libere per ea inambulantes, quæ ad obsidionem reliquam pertineant, comparare & struere poßint. Ariete.) machina est maior quatiendis diruendisq́; mœnibus comparata. Dedemus ergo.) Præsumptio. Scio meam leuem.) exilem, parui momenti. Tanquã furiam, facemq́;.) Similitudo. Id piaculum rupti.) Annibalem hyperbolicôs intelligit. Ablegatumq́;.) deportandum, mittendum. Quietæ ciuitatis.) tranquillæ, & ut loquimur, pacificæ.

Argumentum in XC.

In summa Saguntinorum desperatione Alcon Saguntinus in conscijs cæteris ad Annibalem transijt speatq; consilio agendi de pace. Quæ res in causa fuit, ut quum tristes conditiones deferret Annibal, quas certo sciebat ille cæteros non accepturos, non ausus redire, apud hostem maneret. Tum forte Alorcus Hispanus sub Annibale quidem militabat, cæterum Saguntinis ueteri amicitia atq; hospitio iunctus. Is pro Alcone interpres Saguntum ingressus, ueteribus amicis in hanc sententiam conditiones exposuit.

Alorci

Alorci Hiſpani ad Saguntinos de pacis legibus oratio. XC.

SI ciuis ueſter Alcon ſicuti ad pacem petendam ad Annibalem uenit, ita pacis conditiones ab Annibale ad uos retuliſſet, ſuper uacaneum hoc mihi fuiſſet iter, quo nec orator Annibalis, nec trāsfuga ad uos ueniſſem. Quū uero ille aut ueſtra, aut ſua culpa māſerit apud hoſtem, ſi metum ſimulauit, ſua: ueſtra, ſi periculum eſt apud uos uera referentibus: ego, ne ignoraretis eſſe aliquas & ſalutis & pacis uobis conditiones, pro uetuſto hoſpitio, quod mihi uobiſcum eſt, ad uos ueni. Veſtra autem cauſa me, nec ullius alterius, loqui quæ loquor apud uos, uel ea fides ſit, quòd neque dum ueſtris uiribus reſtitiſtis, neque dum auxilia à Romanis ſperaſtis, pacis unquam apud uos mentionem feci. Poſteaquàm nec à Romanis uobis ulla ſpes eſt, nec ueſtra iam aut arma uos, aut mœnia ſatis defendūt: pacem affero ad uos magis neceſſariā quàm æq, im: cuius ita aliqua ſpes eſt, ſi eam quemadmodum uictor fert Annibal, ſic uos ut uicti audiatis. Si non, id quod amittitur, in damno, quum omnia uictoris ſint: ſed quicquid relinquitur, pro munere habituri eſtis. Vrbem uobis, quam magna iam ex parte dirutam, captam fere totam habet, adimit: agros relinquit, locū aſſignaturus in quo

nouum oppidum ædificetis. Aurũ argentumq́ omne publicum & priuatum ad se iubet deferri: coniugum, uestraq́ corpora, ac liberorum uestrorum seruat inuiolata, si inermes cũ binis uestimentis à Sagunto uelitis exire. Hæc uictor hostis imperat. Hæc, quanquam sint grauia atq; acerba, fortuna uestra uobis suadet. Equidem haud despero, quum omnium potestas ei à uobis facta sit, aliquid ex his uobis remissurũ. Sed hæc patienda censeo potius, quàm truci dari corpora uestra, rapi trahiq́ ante ora uestra coniuges ac liberos belli iure sinatis.

Si ciuis ipse.) Ratio referendi pacis conditiones ad uictos, ubi præsertim amicus est uictorum is qui refert. Exorditur *à re incidente primò, deinde ab adiunctis personis eorũ ad quos pertinet causa.*

Nec *orator.)* Festus *Pompeius autor est, orare antiquos dixisse pro agere: unde oratores dicti actores causarum.* Oratores *item legati dicti, quòd* Reipublicæ *mandata peragerent.* Nec *transfuga.)* Transfuga *dicitur, qui à suis ad hostes transit, & deficit. Si periculum.) id est, si periculum à uobis ijs immineat, qui uerum quidem, sed quod minime sit gratum, ad uos referant.* Nec *ullius alterius.) causa scilicet.* Vel *ea fides sit.) etiam hoc doceat, & persuadeat.* Neq; *dum auxilia.) Auxilia milites dicuntur, qui socijs & amicis*

populis

populis aduersus hostes adiumẽto mittuntur. Hinc *auxiliares milites nonnunquã appellantur.* Ita *eos ab auctu, quod augerẽt uires, appellatos esse* Varro *putat.* Locum *aßignaturus.) attributurus.*

Argumentum in XCI.

Legati Rom. *Romam Carthagine redeuntes, quum quæ responsa à Carthaginensibus, quæq; Sagunti agerentur, referrent: uno omnes consensu copias in Africam & Hispaniam ducendas esse censebant.* Vt *tamen omnia iusta ante bellũ fierent, legatos rursus Carthaginem mitti placuit, qui percontarentur, publico ne, an priuato consilio Saguntũ Annibal oppugnasset. si faterentur, ac defenderent publico, tũ demũ iustum indicerent bellum.* Iam *dato senatu,* Q. *Fabius princeps legatorũ percontatus erat, quũ ex Carthaginensibus unus ita respondit.*

Vnius Carthaginensium ad legatos Rom. *responsum de consilio oppugnationis Sagunti.* XCI.

VAna, Romani, & prior legatio fuit, quũ Annibalem tanquam suo cõsilio Saguntum oppugnantem deposcebatis. Cæterum hæc legatio uerbis adhuc lenior est, re asperior. Tũc enim Annibal & insimulabatur, & deposcebatur: nũc à uobis & cõfessio culpę exprimitur, et ut à cõfessis res extẽplo repetũtur. Ego aũt nõ, publico priuato'ne cõsilio Sagũtũ oppugnatum

gnatum sit, quærendum censeam: sed utrum iure, an iniuria. Nostra enim hæc quæstio, atque animaduersio in ciuem nostrum est, nostro, an suo fecerit arbitrio: uobiscum una disceptatio est, licuerit'ne per fœdus fieri. Itaque quoniam discerni placet, quid publico consilio, quid sua sponte imperatores faciant: nobis uobiscum fœdus est à Luctatio consule ictum, in quo cauetur de utrorumque socijs: nihil de Saguntinis (necdum enim erant socij uestri) cautū est. At enim fœdere quod cum Asdrubale ictum est, Saguntini excipiuntur: aduersus quod nihil ego dicturus sum, nisi quod à uobis didici. Vos enim, quod C. Luctatius consul primò nobiscum fœdus inijt: quia neque autoritate patrum, nec populi iussu ictum erat, negastis uos eo teneri. Itaque aliud deintegro fœdus publico consilio ictum est. Si uos non tenent uestra fœdera, nisi ex autoritate, aut iussu uestro icta: nec nos quidem Asdrubalis fœdus, quod nobis inscijs icit, obligare potuit. Proinde omittite Sagunti atque Iberi mentionem facere, & quod diu parturit animus uester, aliquando pariat.

Cæterum.) sed. Quærendum censeam.) non in hoc uerti causam nostram puto. Quærere enim hoc loco pro constituere id in quo summa causæ cō sistat, sumitur. Hinc quæstio Quintiliano nūc summa illa dicitur, in qua causa uertitur & consistit,

unde

unde naſcitur ſtatus: nunc latius ſumitur, quicquid cadit in cauſam, quod in controuerſiam uenit. Noſtra enim hæc quæſtio) Videtur hic quæſtio pro publico quodam iudicio ſumi, quo maxime in cauſa criminali legibus crimẽ uindicatur: de qua ſignificatione ſupra nonnihil attigi. Vna diſceptatio eſt.) id eſt, hoc uenit in controuerſiam. Ita huius cauſæ ſtatus eſt qualitatis. Licuerit'ne per fœdus fieri.) id eſt, utrum fœdus impedire non debuerit quo minus oppugnaremus Saguntũ. Diſcerni.) ſeparari, diuidi, diſtingui. Cauetur.) prouidetur. Atenim.) ſed certe. Præſumptio. Eo teneri.) obligari. Si uos non tenent.) obligant. Ducitur argumentum à ſimili, quod eſt potentiſſimũ, quum præſertim ab aduerſariorum ducatur ſimili facto. Et quod diu parturit.) Metaphora eſt inſignis à prægnante & grauida muliere. Ita hic locus explicabitur: quod diu concepiſtis irarum aduerſum nos, ubi uoletis, oſtendite.

Argumentum in XCII.

Hoc ad ſuperius pertinet. Legatis mandatum erat, ut Carthagine in Hiſpaniam tranſirent ad auertendos à Pœnis animos ſociorum, retinendosq; in fide et ſocietate Romanorum. Iis à Barguſianis ad Volcianos tranſeuntibus hoc datum eſt reſponſum.

Volcianorũ ad legatos Rom. reſponſum. 92.

QVæ uerecundia eſt, uos, Romani, poſtulare, ut ueſtram Carthaginenſium præponamus amicitiæ: quum qui id fecerũt Sagũtinos crudelius, quàm Pœnus hoſtis perdidit, uos ſocij prodideritis. Ibi quæratis ſocios cenſeo, ubi Saguntina clades ignota eſt. Hiſpanis populis ſicut lugubre, ita inſigne documentum Sagunti ruinæ erunt, ne quis fidei Romanæ aut ſocietati confidat.

Argumentum in XCIII.

Annibal Sagunto capto, Carthaginem nouã in hyberna conceſſerat. Ibi quũ audiſſet quæ de ſe Carthagini ac Romæ *dicta decretaq́; forent, ſe uidelicet non ducem belli modo, ſed cauſam: partitis, ac diuenditis reliquijs prædæ, ad ſe* Hiſpanos *milites conuocauit, quibus conſilium ſuum de transferendo bello ita exponeret.*

Annibalis ad Hiſpanos *milites concio. 93.*

CRedo ego uos, ſocij, & ipſos cernere, pacatis omnibus Hiſpaniæ populis, aut finiendam uobis militiam exercitusq́; dimittendos eſſe, aut in alias terras transferendũ bellũ. Ita enim hæ gentes nõ pacis ſolũ, ſed etiã uictoriæ bonis florebũt, ſi ex alijs gentibus prę dã & gloriã quæremus. Itaq; quum longinqua à domo inſtet militia, incertumq́; ſit quãdo domos ueſtras, & quæ cuiq; ibi ſunt chara, uiſuri

ſitis

sitis: si quis uestrũ suos inuisere uult, commeatum do: primo uere edico adsitis, ut Dijs bene iuuantibus bellum ingentis gloriæ prædæque futurum incipiamus.

Et ipsos.) Pœnos *scilicet.* Exercitusq; *dimittendos.) Dimittere uerbum significationem habet non cuilibet expositã uulgò, & tamen quæ magnã habet gratiam. Contrarium autem est uerbo conuoco. Nam qui in unum conuenerunt, quando abire iubentur, dimitti proprie & ornate dicuntur. Dimittere dicitur, qui iubet abire. Hinc discipuli à scholis per præceptores dimittũtur, quãdo tempus admonet ut abeãt: senatus itẽ dimittitur, quũ patres causis fine imposito, quas tũ agitari placet, abeũt. Vulgò dicimus facere abire seu discedere.* Et *gloriam.) nominis existimationẽ, & famã.* Commeatũ *do.)* Commeatus *quartæ inflexionis singulari numero quidẽ dicitur potestas à duce militibus facta à militia abeũdi: pluratiuo autẽ sumitur pro ijs quæ ad uictũ præsertim militum comparantur.*

Argumentum in XCIII.

P. Scipio ad ostium Rhodani congressus cũ hoste, cæsis fere utrinq; paribus, subito Numidarum pauore atq; fuga uictoriam obtinuerat. Exercitus eius uictoris maximam partem Cn. *Scipioni fratri tradidit ducendam in Hispaniam aduersus Asdrubalem*

drubalem. Profectus non multo pòst nauibus Pisas, exercitum tyronem adhuc & trepidum à Manlio Attilioq; accipit, spe atq; consilio cum hoste ad Padum confligendi. Itaq; ubi in conspectum hostium Pœnorum uentum est, hac concione militum animos ad egregie pugnandum adhortabatur.

P. Scipionis ad suos adhortatio. 93.

SI eum exercitum, milites, educerem in aciē, quem in Gallia mecū habui, supersedissem loqui apud uos. Quid enim adhortari referret, aut eos equites, qui equitatū hostium ad Rhodanū flumē uicissent egregie, aut has legiones, cū quibus fugientē hunc ipsum hostē secutus, cōfessionē cedētis, ac detrectātis certamē pro uictoria habui? Nūc quia ille exercitus Hispanię prouinciæ scriptus, ibi cū fratre Cn. Scipione meis auspicijs rem gerit, ubi eū gerere senatus populusq; Rom. uoluit: ego, ut consulē ducem aduersus Annibalem ac Pœnos haberetis, ipse me huic uolūtario certamini obtuli. Nouo imperatori apud nouos milites pauca uerba facienda sunt. Ne genus belli, ne ue hostem ignoretis, cum ijs est uobis, milites, pugnandū, quos terra mariq; priore bello uicistis, à quibus stipendium per uiginti annos exegistis, à quibus capta belli præmia Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is uobis illisq; animus, qui uictoribus & uictis esse so-

let

let. Nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt: nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectauere, eos duabus partibus peditum equitumq; in transitu Alpiũ amissis, qui plures penè perierint, quàm supersint, plus spei nactos esse. Atenim pauci quidem sunt, sed ingentes animis corporibusq;, quorum robora ac uires sustinere uis ulla uix possit. Effigies, imò umbræ hominũ, fame, frigore, illuuie, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesq;: ad hæc perusti artus, niue rigentes nerui, membra torrida gelu, quassata fractaq; arma, claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cũ hoc pedite pugnaturi estis: reliquias extremas hostium, non hostes habebitis. Ac nihil magis uereor, ne antè quàm uos cum hoste pugnaueritis, Annibalem Alpes uicisse uideantur. Sed ita forsitan decuit cum fœderum ruptore duce ac populo Deos ipsos sine ulla humana ope committere, ac profligare bellũ: nos autem, qui secundum Deos uiolati sumus, commissum ac profligatum conficere. Non uereor ne quis me hoc uestri adhortandi causa magnificè loqui existimet, ipsum aliter animo affectũ esse. Licuit in Hispaniam prouinciã meam ire, quò iam profecturus eram cum exercitu meo, ubi & fratrem consilij participem, ac periculi socium haberẽ, et Asdrubalem potius quàm Annibalem, hostem, & minorem haud dubie mo-

lem belli, tamen quum præterueherer nauibus Galliæ oram, ad famam huius hostis in terram egressus, præmisso equitatu ad Rhodanū moui castra. Equestri prælio, qua parte copiarum conserendi manum fortuna data est, hostem fudi. Peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia assequi terra non poteram, neque regressus ad naues erat, quanta maxima celeritate potui, tanto maris terrarumq; circuitu in radicibus Alpium obuius fui. Huic timendo hosti utrum quum declinarem certamē improuisus uideor incidisse, an occurrere in uestigijs eius? lacessere, ac trahere ad decernendum? Experiri iuuat, utrum alios certè repente Carthaginenses per uiginti annos terra ediderit: an ijdem sint, qui ad Aegades pugnauere insulam, & quos ab Eryce duodeuigenis denarijs æstimatos emistis: & utrum Annibal hic sit æmulus itinerum Herculis, ut ipse fert: an uectigalis, stipendiariusq; & seruus populi Romani à patre relictus: quem nisi Saguntinum scelus agitaret, respiceret profectò si nō patriam uictam, domum certè, patremq;, & fœdera Amilcaris scripta manu, qui iussus à consule nostro præsidium deduxit ab Eryce, qui graues impositas uictis Carthaginensibus leges fremens mœrensq; accepit, qui decedere Sicilia, qui stipendiū populo Rom. dare pactus est. Itaq; uos ego, milites, non eo solum animo,

quo

quo aduersus alios hostes soletis, pugnare uelim, sed cum indignatione quadam atq; ira, uelut si seruos uideatis uestros arma repente contra uos ferentes. Licuit, si uoluissemus, ad Erycem clausos ultimo supplicio humanorum fame interficere: licuit classem uictricem in Africam traijcere, atque intra paucos dies sine ullo certamine Carthaginem delere. Veniam dedimus precantibus, emisimus ex obsidione, pacem cum uictis fecimus, tutelæ nostræ deinde duximus quum Africo bello urgerentur. Pro his impertitis furiosum iuuenem sequentes, oppugnatum patriam nostram ueniunt. Atq; utinam pro decore hoc nobis tantum, & non pro salute esset certamen. Non de possessione Siciliæ ac Sardiniæ, de quibus quondam agebatur, sed pro Italia uobis est pugnandum. Nec est alius à tergo exercitus, qui nisi nos uincimus, hosti obsistat: nec Alpes aliæ sunt, quas dum superant, comparari noua possint præsidia. Hic est obstandum, milites, uelut si ante Romana mœnia pugnemus. Vnusquisque se, non corpus suum, sed coniugem ac liberos paruos armis protegere putet: nec domesticas solum agitet curas, sed idētidem hoc animo reputet, nostras nunc tueri manus senatum, populumq; Romanum: qualis nostra uis, uirtusq; fuerit, talem deinde fortunam illius Vrbis ac Romani imperij fore.

Si eum exer citum) Exhortatio ad bellum *satis se ipsa prodit.* Exorditur *à re adiuncta causæ, uelu ti ab exercitu, quo eundem hostem uicerat.* Ac *detrectantis) uitantis, fugientis, recusantis.* Ne *genus belli)* Diuisio *est, & quædam propositio eorum de quibus deliberaturus est.* *Cum ijs est uobis)* A *facili & poßibili.* *Nisi creditis)* Ironia.

Atenim.) *Præsumptio, siue occupatio.* *Effigies, imò umbræ.) Metaphora ab inanimi ad animatū.* *Squalore.) Squalor, autore* Gellio, *alta est cōgeries sordium, quæ in corporibus incultis uisuntur. Vereq́; squalore obsiti sunt, qui ex uinculis & carcere liberantur.* Enecti.) *Enecari fame, siti, alijsq́; eiusdem generis uenuste ponuntur pro fame siti ue confici.* Contusi) *fracti.* *Niue rigentes nerui) compreßi.* *Sed ita forsitan)* A *iusto & pio.* Deos *ipsos) Referri debent hi accusatiui ad uerbum* Decuit. *Qui secundum deos) post deos.*

Ac *profligatum.) Profligatum id dicitur, quod non ad suum finem quidem perductum est, sed proximum est ut perducatur.* Nam *profligo hac oratione non id quod prodigo & perdo significat, sed magis deducere rem quālibet prope ad finem: etiam si* Gellio *in hac significatione non uideatur satis latinum uocabulum.* Ita *hoc loco sumi subiecta dictio fidem facit, nempe conficere.* Nam *profligatum bellum*

lum cõficere, perficere est bellũ,quod parum abest ab eo ut finiatur. Non uereor.) *Occulta quadã arte opinionem quam de ipso induisse uideri poterant milites,conuellit,atq; dimouet.* Egreßio est.

Experiri iuuat) *placet.* A poßibili. Pro his.) *A pio & iusto.* Atq; utinam.) *A periculis & incommodis, & quodammodo à neceßario.*

Argumentum in XCIIII.

Annibal in transitu Alpium barbaros multos bellũ inferre uolentes ceperat,quos in uinculis habuit. Adhortaturus milites ad pugnam, eorum barbarorum multa paria congredi, detractis uinculis, armata more Gallico,in conspectu militum ex industria iubet : quibus aliquanto post dimißis, in hæc uerba suos adhortatus est.

Annibalis ad suos adhortatio. XCIIII.

SI quem animum in alienæ sortis exemplo paulo antè habuistis, eundem mox in æstimanda fortuna uestra habueritis:uicimus milites. Neq; enim spectaculũ modò illud, sed quædam ueluti imago uestrę conditionis erat. Ac nescio,an maiora uincula,maioresq́; necessitates uobis, quàm captiuis uestris fortuna circundederit (dextra læuaq́; duo maria claudũt) nullam ne ad effugium quidem nauem habentibus : circà Padus amnis maior ac uiolentior Rhodano. à tergo Alpes urgẽt, uix integris uo

bis ac uigentibus transitæ. Hic uobis uincendũ, aut moriendũ, milites, est, ubi primum hosti occurristis: & eadẽ fortuna, quę necessitatẽ pugnã di imposuit, prȩmia uobis ea uictoribus proponit, quibus ampliora homines ne à Dijs quidẽ immortalibus optare solent. Si Siciliã tantũ ac Sardiniã parentibus nostris ereptas nostra uirtute recuperaturi essemus, satis tamẽ ampla precia essent. Quicquid Romani tot triũphis partum congestũq; possident, id omne nostrũ cum ipsis dominis futurũ est. In hanc tam opimam mercedẽ agite cum Dijs bene iuuantibus arma capite. Satis adhuc in uastis Lusitaniæ Celtiberiæq; montibus pecora consectando, nullum emolumentum tot laborũ periculorumq; uestrorum uidistis. Tẽpus est iam opulẽta uos ac ditia stipendia facere, & magna operę precia mereri. Tantũ itineris per tot montes fluminaq;, & tot armatas gentes emensis, hic uobis terminũ laborum fortuna dedit, hic dignam mercedẽ emeritis stipendijs dabit. Nec quàm magni nominis bellũ est, tam difficilẽ existimaueritis uictoriam fore. Sæpe & contemptus hostis cruentũ certamen edidit: & inclyti populi regesq; perleui momento uicti sunt. Nam adempto hoc uno fulgore nominis Romani, quid est quod illi uobis comparandi sint? Vt uiginti annorum militiam uestram cum illa uirtute, cum illa fortuna taceã: ab Herculis columnis, ab Oceano,

terminisq́ ultimis terrarū, per tot ferocissimos Hispanię & Gallię populos uincentes huc peruenistis. Pugnabitis cum exercitu tyrone, hac ipsa æstate cæso, uicto, circumsesso à Gallis, ignoto adhuc duci suo, ignorante'q́ ducem. An me in prætorio patris clarissimi Imperatoris propè natum, certè educatū, domitorem Hispaniæ Galliæq́, uictorē eundem non Alpinarū modo gentiū, sed ipsarū (quod multo maius est) Alpiū cum semestri hoc conferā duce, desertore exercitus sui? Cui si quis demptis signis Pœnos Romanosq́ hodie ostendat, ignoraturū certū habeo, utrius exercitus sit cōsul. Non ergo illud parui ęstimo, milites, quod nemo uestrū est, cuius nō ante oculos ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus: cui non idem ego uirtutis spectator ac testis notata temporibus locisq́ referre sua possim decora. Tū laudastis me milites, donastis. Alūnus prius omniū uestrū, quàm Imperator, procedā acie aduersus ignotos inter se, ignorātesq́. Quocūq́ circūtuli oculos, plena omnia uideo animorū ac roboris, ueteranū peditem, generosissimarū gentiū equites frenatos & infrenatos: uos socios fidelissimos fortissimosq́, uos Carthaginēses, quū ob patriā, tum ob irā iustissimā pugnaturos. Inferimus bellū, infestisq́ signis descendimus in Italiā, tanto audacius, fortiusq́ pugnaturi, quāto maior spes, maiorq́ animus inferētis est uim, quàm arcētis.

Accendit præterea animos, & ſtimulat dolor, iniuria, indignitas. Ad ſuppliciũ depopoſcere me ducẽ primũ, deinde uos omnes, qui Saguntum oppugnaſſetis, deditos ultimis cruciatibus affecturi fuere. Crudeliſsima gens, ac ſuperbiſſima, ſua omnia, ſuiq́ꝫ arbitrij facit. Cũ quibus bellum, cum quibus pacẽ habeamus, ſe modũ imponere æquũ cenſet: circũſcribit, includitq́ꝫ nos terminis montiũ fluminumq́ꝫ, quos ne excedamus: neque eos quos ſtatuit, obſeruat. Ne tranſieris Iberũ: ne quid rei tibi ſit cum Saguntinis. ad Iberum eſt Saguntum, nuſquam te ueſtigio moueris. Parũ eſt, quòd ueterrimas prouincias noſtras Siciliam ac Sardiniam ademit, niſi adimat & Hiſpaniam: ſi inde ceſſero, in Africam tranſcendet. Tranſcendiſſe autem dico duos conſules huius anni: unum in Africam, alterum in Hiſpaniam miſere. Nihil uſquã nobis relictũ eſt, niſi quod armis uindicauerimus. Illis timidis & ignauis licet eſſe, qui receptum habent, quos ager ſuus, quos ſua terra per tuta ac pacata itinera fugientes accipiẽt: uobis neceſſe eſt fortibus uiris eſſe, & omnibus inter uictoriam mortẽ ue certa deſperatione abruptis, aut uincere, aut ſi fortuna dubitabit, in prælio potius, quàm in fuga mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus, deſtinatumq́ꝫ in animo eſt: iterum dicam, uiciſtis: nullum incitamentum ad uincendum homini à Dijs immortalibus

bus acrius datum est.

Si quem animum.) Exhortatio item ad bellum, in qua exorditur Annibal à spectaculo quod paulo antè, ut ex argumento constat, dedita opera militum oculis proponi iusserat. *Alienæ sortis.)* aliorum conditionis & fortunæ. *Vicimus.)* præteritum pro futuro ad exhortandum mire ualet, perinde quasi iam uictoria esset in manu. *Neq; enim spectat.)* Id est illud ipsum, quod uobis propositum est, non tantum erat spectaculum, sed quoddam etiā simulacrū, & ut ita dicam, repræsentatio uestri status. *Ac nescio.)* Ab necessario. *Quàm captiuis uestris.)* Montanos barbaros intelligit, quorum paria aliquot congressa erant. *Et eadē fortuna.)* A' spe & præmijs. *Satis adhuc.)* hactenus. Satis hic tempus significat, pertinetq; ad uocē consectando. *Lusitaniæ.)* pars ea est Hispaniæ, quā hodie Portugalliam appellamus. *Stipendia.)* Stipendiū pecunia ea est, quæ ceu præmium laborum militibus elargitur, siue quæ stipulatione interposita statis temporibus quotannis penditur. Hinc stipendiariæ ciuitates, de quibus supra locuti sumus. Transfertur & ad alia: uereq; stipendia faciunt, quicunq; in aula episcopi, abbatis'ue, aut cuius alius principis præmijs ducti consenescunt. Facere stipendia, seu mereri, est quod uulgo dicimus habere gagas.

Opulenta & ditia stipendia facere interim nota id significare, quod uulgo dicimus habere großas gagas. A' stipe stipendiū deducitur, quod nomen signatum nūmum significare Festus autor est. Magna operæ precia.) præmia laboris. Emensis.) qui cōfecistis, peragrastis. Lego enim emensis, ut ad uocem uobis pertineat. In plerisq; exemplaribus deprauatè legitur emensos. Emeritis stipendijs.) Emerita stipendia dicuntur, quorum tempus præstitutum expletum est, atq; perfectū, ut iam labor exhaustus suum tacite præmiū exposcat. Emeriti milites dicebantur, qui ultrà uel ætate, uel uiribus, siue alia causa militare prohibebantur, ex publico tamen stipendia capiebant. Id intelligi postremū debet, postquam ex publico stipendia constituta sunt militibus: de qua re suprà memini. Nec quàm magni.) A' facili. An me.) Amplificatio per comparationem. In prætorio.) Asconius Pædianus in actiones Verrinas, quis prætor diceretur, quid esset prætoriū, quod ad hunc locum pertinet, his uerbis exponit. Veteres omnē magistratū cui pareret exercitus, prætorem appellauerunt. Vnde & prætoriū tabernaculum eius, & in castris porta prætoria, et hodie quoq; præfectus prætorio. Hactenus ille. Festus Pompeius portam prætoriam appellat, qua ex castris in prælium milites educebantur. Hic igitur

An-

Annibal in castris se educatũ fuisse ostendit. Cum semestri.) sex mensium. Iam uide, quàm libens occasionem arripiat exhortandi ab ijs, quæ Scipioni acciderant. Non ergo illud.) A contrario. Quocunq; circumtuli.) Mitigatio exhortationis. Inferimus bellum.) A genere & conditione belli. Accendit.) A iusto & æquo exhortatur propè ad finem. Illis timidis.) Antitheton. Si hoc bene fixum.) ratum, & firmum ac certum.

EX LIBRO II. TERTIAE DECADOS, QVI XXII.

Argumentum in XCV.

Q. Fabius Maximus dictator missus cum legionibus aduersus Annibalem, per loca alta agmen ducebat modico ab hoste interuallo, ut nec omitteret eum, neque congrederetur. M. Ruffus Minutius magister equitum erat ferox, rapidusq; in consilijs, ac lingua immodicus. Is primum inter paucos, deinde palàm cõsilium prudentiamq; dictatoris eludebat, atque reprehendebat, pro cunctatore segnem eum, pro cauto timidum appellans. Forte per id tempus Mahabalem in agrum Falernum Annibal prædatum miserat, quem quum in castra perlatum esset populari usq; ad Sinuessas aquas, tum demum Fabius per iuga montis Maßici exercitiũ ducẽs, haud procul hoste castra ponit. Hinc uerò quum facilè

tecta

tecta colonorum Romanorum, & domus ab hostibus incendi peruriq; uiderentur, nec tum quidem ulla pugnæ mentio esset: idē Ruffus magister equitū in dictatorem hæc iactare cœpit.

Ruffi Minutij magistri equitum in Q. Fabium Maximum cunctatorem dictatoremq́; acris concio. XCV.

SPectatum ne huc ad rem fruendā oculis, sociorum cædes & incendia uenimus? Nec si nullius alterius nos, ne ciuium quidem horum pudet, quos in Sinuessam colonos patres nostri miserunt, ut ab Samnite hoste tuta hæc ora esset, quam nunc non uicinus Samnis urit, sed Pœnus aduena ab extremis orbis terrarum terminis nostra cunctatione & socordia iam huc progressus? Tantum proh dolor degeneramus à patribus nostris, ut præterquàm quod per oram illi suam Punicas uagari classes, dedecus esse imperij sui duxerint: eam nos nūc plenam Numidarum hostium, ac Maurorum iam factam uideamus? Qui modo Saguntum oppugnari indignando, nō homines tantum, sed fœdera, & Deos ciebamus, tendentē ad mœnia Romanæ coloniæ Annibalem lenti spectamus. Fumus ex incendijs uillarum agrorumq́ in oculos atq; ora uenit: strepunt aures clamoribus plorantium sociorum, sæpius nos, quàm

Deo-

Deorum inuocantium opem. Nos hic pecorũ more per æstiuos saltus, deuiosq́ colles exercitum ducimus, conditi nubibus syluisq́. Si hoc modo peragrando cacumina saltusq́ Furius recipere urbẽ à Gallis uoluisset, quo hic nouus Camillus nobis dictator unicus in rebus afflictis quæsitus, Italiam ab Annibale recuperare parat, Gallorum Roma esset, quam uereor ne cunctantibus nobis, Annibali ac Pœnis toties seruauerint maiores nostri. Sed uir ac uerè Romanus, quo die dictatorem eum ex autoritate patrum, iussuq́ populi dictũ, Veios allatus est nuncius: quum esset satis altum Ianiculum, ubi sedens prospectaret hostem, descendit in ęquũ, atq́ illo ipso die media in urbe, qua nunc busta Gallorũ sunt, & postero die citra Gabios cæcidit Gallorum legiones. Quid post multos annos, quum ad furcas Caudinas ab Samnite hoste sub iugum missi sumus? Vtrum tandem L. Papyrius Cursor iuga Samnij perlustrando, an Luceriam premendo, obsidendoq́, & lacessendo uictorem, depulsum ab Romanis ceruicib. iugum superbo Samniti imposuit? Modo consuli Luctatio, quæ alia res, quàm celeritas uictoriam dedit? quòd postero die, quàm hostem uicit, classem grauem commeatibus, impeditam suo & ipsam instrumẽto atq́ apparatu oppressit. Stultitia ęst, sedendo, aut uotis debellari cre-

dere

dere posse. Armari copias oportet, & deducendas in æquũ, ut uir cum uiro congrediatur. Audendo agendoq́; res Romana creuit, nõ his sensibus cõsilijsue, quæ timidi cauta uocant.

Spectatúmne huc.) Ratio est criminandi eũ per cuius cunctationem socij in periculo sunt ne diripiantur. Versatur in deliberatione, cuius principium abruptum à re ipsa petitur. *Vt prætérquam quod.)* Hic sumi uidetur pro quãuis, seu quũ. *Qui modo.)* paulo ante. A minore. *Deuiosq́;.)* Deuij colles dicũtur, qui sunt extra uiam publicã, quam regiã hodie & magnũ iter appellamus. Hinc deuia urbs, quæ non est, ut uulgo loquimur, in magno itinere. Publicũ iter, siue uiam publicã appello, quod omnes in nobile oppidum uenientes ceu ducem sequuntur: cuiusmodi est Blesianũ, et Aurelianum, quod qui Lutetiã ex Pyctonibus, Turonibus, alijsq́; finitimis regionibus proficiscuntur, eas ipsas uias consectari solent. *Si hoc modo.)* A pari. *Quo hic nouus.)* Ironia cum metaphora. *Modo consuli Luctatio.)* paulo ante, nempe primo Punico bello. *Et deducendas.)* Nouatè dixit, pro eo quod dici solet, aut deductas, aut deduci oportet.

Argumentum in XCVI.

Obsides Annibal cunctis ciuitatibus imperabat, quos, ut queq; accipiebat, Sagũti custodiæ tradebat.

Id

Id modo Hiſpanorum in populum Romanum animos remorari ratus Acedux, Hiſpanus quidem, cæterum Romanis ſocius, init conſilium de remittendis in ſuas ciuitates obſidibus. Boſtar præfectus Saguntinus fortè caſtra extra Saguntũ in ipſo littore habebat, quò Acedux ipſe quum ueniſſet, eum monebat, quum ad eam diem metus Hiſpanorum animos continuiſſet, quia procul Romani abſuiſſent, qui tum cis Iberum erant, gratia deuinciendos eos eſſe ac beneficio. Boſtari uerò quærenti quo nã tandem beneficio deuinciendi eſſent, in hanc ſententiã ipſe reſpondit.

Aceducis Hiſpani ad Boſtarem pro obſidibus uerba. XCVI.

OBſides in ciuitates remittite. Id priuatim parentibus, quorum maximum nomen in ciuitatibus eſt, ſuis, & publicè populis gratũ erit. Vult ſibi quiſq; credi, & habita fides, ipſam plerunq; obligat fidem. Miniſterium reſtituendorum domos obſidum mihimet depoſco ipſe, ut opera quoq; impenſa conſilium adiuuẽ meum, & rei ſuapte natura gratę, quantam inſuper gratiam poſsim, adijciam.

Argumentum in XCVII.

Aequatũ erat plebiſcito Minutij magiſtri equitũ imperiũ dictaturæ Fabij Maximi. Quod poſtq̃ in caſtra Roma eſt allatum literis & ſermone multorum,

torum, Minutius immodicè gloriatus cum Fabio de imperandi ratione agebat, an per uices alter imperaret, an uterq; partitis copijs. Partiri tandem copias placuit, uix Fabio consentiente. Ita partem copiarum Minutius aduersus Annibalē ducens, paulopost in eum locum peruenit, unde per insidias hostium fugere ac elabi sine magna cæde suorum non posset. Fabius eis tempore ipso auxilio ueniens, ita de Minutij temeritate locutus est.

Fabij dictatoris de temeritate Minutij uerba. XCVII.

ITa est: non celerius quàm timui, deprehendit fortuna temeritatem. Fabio æquatus imperio, Annibalem & uirtute & fortuna superiorē uidet. Sed aliud iurgandi succensendiq; tempus erit. Nunc signa extra uallum proferte: uictoriam hosti extorqueamus, confeſsionē erroris ciuibus.

Deprehendit fortuna.) Verbum deprehendo, occultum quiddam & latens innuit, sed in malū. Deprehenditur in facto, qui tum comperitur, quū nec inficiari, nec celare factū præsertim turpe potest. Ita fortuna siue casus temeritatē deprehendit, quū temeritatem quispiam suam nec inficiari, nec occultare potest. Fabio æquatus.) Minutius scilicet, qui magister equitum dictatori fuit æquatus, quod ad imperium attinet, ut supra quoq; in argumento

mento dixi. Proferte.)*extrahite.*

Argumentum in XCVIII.

Minutius magister equitum cum exercitu periclitatus, quum se suosq́; Fabij uirtute ac diligentia seruatos esse intelligeret, temeritatem suam agnoscens, de coniungendis castris cum Fabio ita cum suis agebat.

Minutij magistri equitum ad suos de coniungendis cũ Fabio castris concio. 98.

SAepe ego audiui, milites, eum primum esse uirum, qui ipse consulit quid in re sit: secundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parêre scit, cũ extremi ingenij esse. Nobis quoniam prima animi ingeniјq́ negata sors est, secundam ac mediam teneamus: & dum imperare discimus, parêre prudenti in animum inducamus, castra cum Fabio iungamus. Ad prætoriũ eius signa quum tulerimus, ubi ego eum parentem appellauero (quod beneficio eius erga nos, ac maiestate eius dignum est) uos milites, eos quorum uos modo arma dextræq́ texerunt, patronos salutabitis: & si nihil aliud, gratorum certe animorum nobis gloriam dies hæc dederit.

Sæpe ego.) Exhortatio siue monitio, in qua exordium ducitur à sententia Hesiodi. *Versus ex libris* Georgicôn Hesiodi, *&* Aristoteles *primo* Ethi

corum allegat, quos Nicolaus Vallensis in hæc uerba transtulit.

Optimus is, sese qui nouit cuncta magistro,
Prospiciens rerum fines, meliora secutus.
Dignum laude uirum, parentem recta monenti,
Credimus. Ille tamen, sibi qui non consulit, & qui
Alterius præcepta fugit, uir inutilis ille est.

Ad pretorium.) Iam planè uides uerũ esse quod supra de prætorio ex Asconio Pædiano adduximus, prætorium uidelicet appellatum olim eius, cui exercitus pareret, tabernaculum.

Argumentum in XCIX.

Coniunctum hoc est cum priore. Iam milites ad dictatoris castra proficiscentes, omnium animos in admirationem conuerterant, quum Minutius prior Fabium patrem appellat, milites deinde patronos eos qui dictatoris imperio parebant. Minutius inde ita cum Fabio uerba fecit.

Minutij uerba ad Fabiũ dictatorẽ. XCIX.

PArentibus meis, dictator, quibus te modo nomine, quo fando possum, æquaui, uitã tantũ debeo: tibi quũ meã salutẽ, tũ omnium horũ. Itaq; plebiscitũ, quo oneratus magis quàm honoratus sum, primus antiquo, abrogoq́; & (quod tibi mihiq́, quod meo exercitui que tuo, cõseruato ac cõseruatori sit felix) sub imperiũ auspiciũq́; tuũ redeo, et signa hęc, legio

nesq;

nesq́; restituo. Tu quæso, placatus me magistrũ equitũ, hos ordinib⁹ suis quẽq; teneri iubeas.

Argumentum in C.

C. Terentius Varro & L. Paulus Aemilius, consules creati, quum contra Annibalem copias ducere pararent, Varro concionem forte habuerat, qua bellum in Italiam à nobilibus accersitum esse iactabat, quod nunquam restinguendum esset, si Resp. plures Fabios imperatores haberet: se uero ipsum illud profligaturum, seu ad finem prope deducturũ quo primum die hostem uideret. Quod quum Fabius cognouisset, Paulum Aemilium ad se uocat, quẽ in hanc sententiã de collegæ temeritate, rationeq́; hostem aggrediendi allocutus est.

Fabij Maximi ad Aemilium de Varrone, & ratione pugnandi cum hoste, concio C.

SI aut collegam, id quod mallem, tui similẽ Luci Aemili, haberes, aut tu collegæ tui similis esses: superuacanea esset oratio mea. Nam & duo boni consules etiam me tacente omnia è Rep. fide uestra faceretis: & mali nec mea uerba auribus uestris, nec consilia animis reciperetis. Nunc & collegam tuum, et te talem uirum intuenti mihi, tecum omnis oratio est, quem uideo nequicquam & uirum bonum & ciuem fore. Si altera parte claudicet Resp. malis consilijs, idem ac bonis iuris & potestatis erit.

Erras enim L. Paule, si tibi minus certaminis cum C. Terentio, quàm cum Annibale futurũ censes. Nescio, an infestior hic aduersarius, quàm ille hostis maneat: & cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus certaturus es: & aduersus Annibalem legionesq; eius tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi est, Varro dux tuis militibus te est oppugnaturus. Omni etiam tibi causa adsit C. Flaminij memoria, tamen ille consul demum, & in prouincia, & ad exercitum cœpit furere: hic prius quàm peteret consulatum, deinde in petendo consulatu, nunc quoq; consul priusquàm castra uideat aut hostem, insanit. Et qui tantas iã nunc procellas, prælia, atq; acies iactando inter togatos ciet, quid inter armatam iuuentutẽ censes facturum, & ubi extemplo uerba res sequitur? Atqui si hic (quod facturum se denunciat) extemplo pugnauerit: aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoro, aut nobilior alius Thrasimeno locus nostris cladibus erit. Nec gloriandi tempus aduersus unum est, ut ego contemnendo potius quàm appetendo gloriam, modum excesserim, sed ita res habet. Vna ratio belli gerendi aduersus Annibalem est, qua ego gessi: nec euentus modo hoc docet (stultorum iste magister est) sed eadẽ ratio quæ fuit, futuraq;, donec res eædem manebunt, im-

muta

mutabilis eſt. In Italia bellum gerimus, in ſede, ac ſolo noſtro, omnia circà plena ciuium ac ſociorum ſunt: armis, uiris, equis, commeatibus iuuant, iuuabuntq́; id iam fidei documentum in aduerſis rebus noſtris dederunt. Meliores, prudentiores, conſtantiores nos tempus diesq́; facit, Annibal contrà in aliena, in hoſtili eſt terra, inter omnia inimica, infeſtaq́; procul à domo, procul à patria: neq; illi terra, neq; mari eſt pax: nullæ eum urbes accipiunt, nulla mœnia: nihil uſquam ſui uidet, in diem rapto uiuit: partem uix tertiam eius exercitus habet, quem Iberum amnem traiecit: plures fames, quàm ferrũ abſumpſit, nec ijs paucis iam uictum ſuppeditat. Dubitas ergo, quin eum ſedendo ſuperaturi ſimus, qui ſeneſcat in dies, non commeatus, non ſupplementum, non pecuniam habeat? Quamdiu pro Geryonis caſtelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus pugnatũ eſt? Sed ne aduerſus te quidem ego gloriabor. P. Seruilius atq; Attilius proximi conſules, uide quemadmodum eum ludificati ſint. Hæc una ſalutis eſt uia, L. Paule, quam difficilẽ infeſtamq́; ciues magis quàm hoſtes facient. Idem enim tui, quod hoſtium milites, uolent: idem Varro conſul Romanus, quod Annibal Pœnus imperator, cupiet. Duobus ducibus unus reſiſtat oportet: reſiſtes autem aduerſus fa

mam rumoresq́ hominum, si satis firmus steteris, si te neq; collegæ uana gloria, neq; tua falsa infamia mouerit. A' ueritate laborare nimis ius sæpe aiunt, extingui nunquã. Gloriã qui spreuerit, ueram habebit. Sine timidum pro cauto, tardũ pro considerato, imbellẽ pro perito belli uocent: malo, te sapiens hostis metuat, quàm stulti ciues laudent. Omnia audentem contemnet Annibal, nihil temere agentẽ metuet. Nec ego ut nihil agatur, sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna. Tuæ potestatis semper, tuaq́ omnia sint. Armatus intentusq́ sis: neq; occasioni tuę desis, neq; suam occasionem hosti des. Omnia non properanti clara certaq́ erunt. Festinatio improuida est, & cæca.

Si aut collegam.) *Monitionis magis uim ac speciem habet, quàm exhortationis.* Monet *quemadmodum* Paulus Aemilius *se gerere debeat erga collegã temerarium, atq; hostes.* Exorditur *ab adiũctis causæ, nempe moribus consulum disparibus.* Tui *similem.)* *Similis cum genitiuo ferè ad mores refertur, cum datiuo ad alia.* Omnia è rep.) *pro dignitate, ac ut omnia* Reip. *utilia essent.* Nequicquam.) *frustra.* Id *intelligi debet quod ad rem præsentem attinet.* *Si altera parte.)* *id est si in repub. aut uiri boni non sint, aut ciues.* Idem *ac.)* No*uatè dixit idem iuris malis consilijs ac bonis, pro* quod

quod bonis. Erras enim.) Totus hic locus constat regreßione per contrapositum, & comparatiuum. Omni etiam.) Similis est superiori & hic locus, nisi quis uelit à minori duci. quod non impediet quo minus ei sit proximum, nam & illic erat comparatio. Tum ille consul.) Hic C. Flaminius designatus consul Arimini, sine patrum autoritate populiq; iussu iniuit magistratum. Deinde quum à Pœnis ex Ethruriæ agris prædas agi uideret, extẽplo, ut erat ferox propter priorem consulatum, & successum prosperum, pugnæ signum dari iußit, etiamsi à militibus salutaria consilia antè proposita essent. Ita quum ocyus signa conuelli iuberet, ipse in equum insilit, qui corruens eum lapsum super caput effudit. Idem mox ad Thrasimenum gladio transfixus occubuit. Cœpit furere.) quod nec hominis, ut ait Liuius, nec Deorum consilio, sed ferociter ac præpropere omnia ageret.
In Italia.) Ab opportuno, & dißimili. Contraposito constat hic locus, aut si mauis, amplificatione per comparationem. In diem rapto uiuit.) In diem is uiuere dicitur, qui rationem eorum quibus postero die uicturus est, nec habet, nec quicquam prospicit. Viuit rapto, ijs quæ rapit, prædis scilicet. Iam uictum suppeditat.) subministrat, suggerit. Resistes. Ab hoc loco postea

quàm satis diu monuit, quanto plus periculi à Varrone ipsi, quàm ab Annibale esset, nunc remedium affert, atq; docet. Ita rationē monendi ex hac concione comparabimus. Neque occasioni.) *Deesse occasioni, est occasionem oblatam aut prætermittere, aut omittere.*

Argumentum in CI & CII.

L. Paulus Aemilius *iam inde ab initio pugnæ funda grauiter ictus, quum nihilo segnius occurreret inter confertos Annibali, restitueretq; multis locis prælium: deficientibus tandem uiribus ex equo desiliens, inter pedites & ipse pedes pugnam sustinebat. Deinde excedere coactum quum Cn. Lentulus tribunus militum in saxo sedere animaduertisset, ad eum conuersus proxima concione ad quærendā fuga salutem hortabatur. Ad ea uerò consul, ut sequitur, respondit.*

Cn. Lentuli ad L. Paulum Aemilium consulem uerba. CI.

LVci Aemili, quem unum insontem culpæ cladis hodiernę Dij respicere debent, cape hunc equum, dum & tibi uirium aliquid superest. Comes ego te tollere possum, ac protegere. Ne funestam hanc pugnam morte consulis feceris: etiam sine hoc, lachrymarum satis luctusq; est.

L. Aemi-

L. Aemilij consulis ad ea responsum.

TV quidem, Cn. Lentule, macte uirtute esto: sed caue frustra miserando, exiguum tempus è manibus hostium euadendi absumas. Abi, nuncia publicè patribus, urbem Romam muniant, ac prius quàm hostis uictor adueniat, præsidijs firment: priuatimq́ue Q. Fabio Aemilium præceptorum eius memorem extitisse, & uixisse, & adhuc mori: & tu me in hac strage militum meorum patere expirare, ne ut reus inteream, causáq́ue consulatus accusator collegæ existam, ut alieno crimine innocentiã meam protegam.

Argumentum in CIII.

Cannensi clade, quũ mortuo Paulo Aemilio consule, Varro collega Venusinam cum quinquaginta equitibus profugisset, binis in castris inermis multitudo, quæ superfuerat pugnæ, sine ducibus erat. Itaque eos qui in minoribus erant castris, alij monent, ut nocte dum hostis graui somno detinetur, ad se transirent, Canusium inde tacitè, ac sine mora uno agmine abituros. Fortè P. Sempronius Tuditanus tribunus mil. in minoribus castris erat, qui quum de transitu ab alijs aliter sentiri uideret, ita suos ad erumpendum adhortabatur.

P. Sempronij Tuditani trib. militum ad suos adhortatio, ut erumperent. CIII.

CApi ergo mauultis ab auarissimo & crudelissimo hoste, æstimariq; capita uestra, & exquiri pecio ab interrogantibus, Romanus ciuis sis, an Latinus socius: ut ex tua cõtumelia & miseria alteri honos quæratur, non tibi? Non uos quidem Lucij Aemilij, qui se bene mori quàm turpiter uiuere maluit: & tot fortissimorum uirorum, qui circa eum cumulati iacent, similes estis. Sed antè quàm opprimat lux, maioraq; hostium agmina obsepiant iter: per hos, quòd inordinati & incompositi obstrepunt, porta erumpamus, ferroq; atq; audacia iter fiat: quamuis per cõfertos hostes cuneo quidem hoc lassum atq; solutum agmen, ut nihil obstet, transibimus. Itaq; ite mecum, qui & uos ipsos & Remp. saluam uultis.

Argumentum in CIIII.

Post insignem illam cladem, quam ad Cannas à Pœnis Romani acceperunt, quum uictori Annibali multi gratularentur, suaderentq; diei reliquũ noctemq; insequentem ad quietem post tot labores impigre exhaustos sibi ac militibus sumeret, Maharbal unus contrà suadebat, Romam sine mora contẽdendum esse, ad quam inde breue iter esset, idq; in hanc sententiam.

Ma-

Maharbalis præfecti militum ad Annibalem uictorem uerba, cum Annibalis responso. CIIII.

IMò ut quid hac pugna sit actum, scias, die quinto uictor in Capitolio epulaberis. Sequere cum equite, ut prius te uenisse, quàm uenturum sciant. Præcedant (Annibal inquit) inimici. læta res est, sed uia maior, quàm ut eam statim capere animo possim. (Itaq; uoluntatem se laudare Maharbalis ait, ad consilium prensandum tempus opus esse.) Tum Maharbal: Non omnia nimirum eidem Dij dedere. Vincere scis, Annibal, uictoria uti nescis.

Argumentum in CV.

Imperij summa omnium consensu ad P. *Scipionem admodum adolescentem, & ad* Ap. *Claudium delata erat. Ii uerò de rerum summa inter paucos consultabant, quum unus aliquis iactat ipsum illud ab ipsis frustra tentari: esse enim nobiles iuuenes, qui de Italia deserenda consilium inirent.* Doctus *ab eo ubinam hæc ipsa agitarētur,* P. *Scipio, domū extemplo Cæcilij Metelli cum paucis proficiscitur: ubi quum iuuenes adhuc consultantes inuenisset, pauca præfatus, stricto gladio, ita in patriæ conseruationem primo ipse iurauit, deinde iuuenes omnes coegit.*

P. Corne-

P. Cornelij Scipionis uerba in patriæ conseruationem iurata. CV.

EX mei animi sentētia iuro, ut ego Remp. non deseram, neque alium ciuem deserere patiar. Si sciens fallo, tū me, Iupiter optime maxime, domum, familiam, remq́ꝫ meam pessimus leo afficiat. In hæc uerba, L. Cæcili, iures expostulo, cæteriq́ꝫ qui adestis. Qui non iurauerit, in se hunc gladium strictum esse sciat.

Argumentum in CVI.

Hoc cum tertio superiore coniunctum est. Mili tes Romani *qui ex minoribus castris consilio eorū qui erant in minoribus, exhortatione insuper* P. Sē*pronij* Tuditani, *cum ipso erumpere noluerant, in potestatem hostium simul cum castris uenerunt.* Ex *ijs decem paulopóst iureiurando adigit* Annibal, *si mißi* Romam *non redimerentur, ad hostem reditu ros.* Ita Romam *adactos eos mittit, ut aurum in redemptionem suam impetrarent.* Propositum *autē fuit precium in capita, equiti quingeni quadrigati nummi, pediti triceni, seruo centum.* Profecti, *ita causam suam apud patres egerunt.*

Captiuorum Cannensi clade Romanorum *ad patres oratio.* CVI.

PAtres conscripti, nemo uestrûm ignorat, nulli unquam ciuitati uiliores fuisse captiuos, quàm nostræ. Cæterum, nisi nobis plus

plus iusto nostra placet causa, non alij unquã minus negligendi uobis, quàm nos, in hostiũ potestatem uenerunt. Non enim in acie per timorem arma tradidimus, sed quum propè ad noctem superstantes cumulis cæsorum corporum, prælium extraxissemus, in castra recepimus nos, diei reliquum ac noctem insequentẽ fessi labore ac uulneribus uallum sumus tutati. Postero die quum circunsessi ab exercitu uictore, aqua arceremur, nec ulla alia iam per cõfertos hostes erumpendi spes esset, nec esse nefas duceremus, quinquaginta milibus hominũ ex acie nostra trucidatis, aliquem ex Cannensi pugna Romanum militem restare: tunc demum pacti precium, quo redempti dimitteremur, arma in quibus nihil iam auxilij erat, hosti tradidimus. Maiores nostros quoque acceperamus se à Gallis auro redemisse, & patres nostros asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamẽ captiuorũ redimendorũ gratia Tarentum misisse. Atqui in Italia cũ Gallis, & ad Heracleam cum Pyrrho, utraque non tam clade infamis, quàm pauore & fuga pugna fuit. Cannenses campos acerui Romanorũ corporũ tegũt, nec supersumus pugnæ, nisi in quibus trucidandis & ferrum & uires hostem defecerunt. Sunt etiam de nostris quidã qui nõ in acie quidem refugerunt, sed præsidio castris relicti, quũ castra traderentur, in potestatem hostium uene

runt

runt. Haud equidē ullius ciuis aut cōmilitonis fortunæ aut conditioni inuideo. Nec premēdo aliū, me extulisse uelim uideri, ne illis quidem (nisi pernicitatis pedum & cursus aliquod præmium est) qui plerique inermes ex acie fugientes non prius, quàm Venusiæ aut Canusij constiterunt, se nobis merito prætulerunt, gloriatique sunt in se plus quàm in nobis præsidij Reip. esse. Sed illis ut bonis & fortibus uiris militibusque utemini, & nobis iam promptioribus pro patria, quod beneficio uestro redempti, atque in patriam restituti fuerimus. Delectum ex omni ætate & fortuna habetis, octo milia seruorum armari audio: non minor numerus noster est, nec maiori precio redimi possumus, quàm hi emūtur. Nam si conferam nos cum illis, iniuriam Romano nomini faciam. Illud etiam in tali cōsilio uobis animaduertendum, P. C censeam: si tam duri oris esse uelitis, quod nullo nostro merito faciatis, cui nos hosti relicturi sitis, Pyrrho uidelicet, qui nos hospitum numero habuit captiuos, an barbaro ac Pœno, qui utrum auarior an crudelior sit, uix æstimari potest? Si uideatis catenas, squalorem, deformitatemque ciuium uestrorum: non minus profectò uos ea species moueat, quàm si ex altera parte cernatis stratas Cannensibus campis legiones uestras. Intueri potestis solicitudinem & lachrymas in uestibu-

lo

lo curiæ ſtantium cognatorum noſtrorum, expectantiumq́ʒ reſponſum ueſtrum? Quũ ij pro nobis, proq́ʒ ijs qui abſunt, ita ſuſpenſi, ac ſoliciti ſint: quem cenſetis animum ipſorum eſſe, quorum in diſcrimine uita libertasq́ʒ eſt? Si mediusfidius ipſe in nos mitis Annibal contra naturam ſuam eſſe uelit, nihil tamen nobis uita opus eſſe cenſeamus, quum indigni ut à uobis redimeremur, uiſi ſumus. Rediere Romam quondam remiſſi à Pyrrho ſine precio, capti, ſed rediere cum legatis primoribus ciuitatis ad redimendos ſeſe miſſis: redeam ego in patriam trecentis nummis nunc æſtimatus ciuis? Suum quiſqʒ habet animum, P.C. ſcio in diſcrimine eſſe uitam corpusq́ʒ meum: magis me famæ periculum mouet, ne à uobis damnati ac repulſi abeamus. Neqʒ enim uos homines precio pepercisse credent.

Patres conſcripti.) Ratio eſt petendi auxilij in redemptionem ab hoſtibus. Exordium ſumitur à re ipſa. Viliores.) Vilius æſtimatos.

Niſi nobis.) quod dici ſolet: niſi nimium affecti ſumus materiæ, & negotio. Non enim in acie.) Narrare hinc ingreditur. Per confertos.) denſos. Reſtare.) ſupereſſe. Maiores noſtros.) Suũ factũ à ſimili defendunt. Nec premẽdo.) de primendo

primendo, eleuando. Ne illis quidem.) Ita in dâdi casu Illis legam, ut referatur ad uerbum Videri. Alij codices habent Illi, quæ dictio, non uideo qui stare poßit. Delectum.) Ab opportuno. Si uideatis.) Hypotyposis est ad mouendos affectus potentißima. Stantium cognatorum.) Romanorum s. qui suos redimi optabant. Quum ij.) A minore. Si mediusfidius.) A consequentibus uideri potest duci argumentum. Rediere Romam.) Exemplum ab impari in re simili. Redeam ego.) Ita legendum puto, non ergo: ut personæ ex aduerso pugnent. Nam se confert cum ijs qui capti sunt à Pyrrho priore bello Punico. Infra suo loco qui dicantur æstimati, qui redempti, præcipiemus. Suum quisq;.) Pertinet hoc ad ipsum illud de quo sententiam suam peregit, scilicet non rediturum Romam, etiam si Annibal sine precio remissurus esset, ubi rediisset. Perindeq; id ualet ac si dicat: Cæteri quod hac de re fieri placeat, uiderint, ego sic in animum induxi. Repulsi abeamus.) Alij libri habent Habeamur: mihi magis ad rem pertinere uidetur, abeamus.

Argumentum in CVII.

Hoc cum priore oratione coniunctum est. Posteaquam captiui dicendi finem fecerunt, extemplo ab ea turba quæ in uestibulo curiæ stabat, clamor flebilis

flebilis ſublatus eſt, orabãtq́; ut ſibi liberos, fratres, cognatos redderent patres. Tũ ſenatus ea de re haberi cœptus, quo quum alijs captiuos redimendos de publico, alijs de priuato, alijs ex ærario dandam pecuniã mutuò referentibus, uariaretur ſententijs, tum demum T. Manlius Torquatus rogatus ſententiã, unus nullo pacto redimendos eſſe ita ſuaſit.

T. *Manlij Torquati, ne captiui redimerentur, oratio.* CVII.

SI tantummodo poſtulaſſent legati pro ijs qui in hoſtium poteſtate ſunt, ut redimerentur, ſine ullius inſectatione eorum breui ſententiam peregiſſem. Quid enim aliud, quàm admonendi eſſetis, ut morem traditum à patribus, neceſſario ad rem militarem exemplo ſeruaretis? Nunc autẽ cum prope gloriati ſint, quod ſe hoſtib. dediderint, præferriq́; nõ captis modo in acie ab hoſtib. ſed etiam ijs, qui Venuſiam Canuſiumq́; peruenerunt, atq; ipſi C. Terentio conſuli, æquum cenſuerint: nihil uos eorum P. C. quæ illic acta ſunt, ignorare patiar. Atq; utinam hæc, quæ apud uos acturus ſum, Canuſij apud ipſum exercitum agerem, optimum teſtem ignauiæ cuiuſq;, & uirtutis: aut unus hic ſaltem adeſſet P. Sempronius, quem ſi iſti ducem ſecuti eſſent, milites hodie in caſtris Romanis, non captiui in hoſtium poteſtate eſſent: & quum feſſis pugnando hoſti-

 bus,

bus, tum uictoria lætis,& ipsis plerisq; regressis in castra sua noctem ad erumpendum liberam habuissent, & septena armatorum hominum milia erumpere etiam inter confertos hostes potuissent. Neque enim per se ipsi hoc facere conati sunt,neq; alium sequi uoluerunt. Nocte prope tota P. Sempronius Tuditanus non destitit admonere, adhortariq; eos, dum paucitas hostium circa castra,dum quies ac silentium esset, dum nox inceptum tegeret, se ducem sequerētur, ante lucem peruenire in tuta loca, in sociorum urbes posse. Sicut auorum memoria P.Decius tribunus militum in Samnio,sicut nobis adolescentibus,priori Punico bello Calpurnius Flamma trecentis uoluntarijs, quū ad tumulum eos capiendum, situm inter medios hostes, duceret,dixit: Moriamur milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circunuentas legiones.Si hoc nec P.Sempronius diceret,nec uiros quidem, nec Romanos uos duceret, si nemo tantæ uirtutis existeret comes: uiam non ad gloriam magis,quàm ad salutem ferentem demonstrat, ducem se in patriam, ad parentes,ad coniuges,ac liberos facit,ut seruemini, deest uobis animus. Quid si moriendum pro patria esset,faceretis? quinquaginta millia ciuium sociorumq; circa uos eo ipso die cæsa iacent. Si tot exempla uirtutis non mouent,nihil unquam mouebit, si tanta clades uobis uilem uitam nō fecit,

cit, nulla faciet. Et liberi atq; incolumes deside rate patriam, imò desiderate dum patria est, dũ ciues eius estis, serò nunc desideratis, diminuti capite, abalienati iure ciuiũ, serui Carthaginensium facti. Precio redituri estis eò, unde ignauia ac nequitia abistis? P. Sempronium ciuem uestrum non audistis arma capere, ac se iubentem sequi: Annibalem paulo pòst audistis, castra prodi, & arma tradi iubentem. Quam ego ignauiam istorum accuso, quum scelus possim accusare? Non enim modo sequi recusarunt bene monentem, sed obsistere ac retinere conati sunt, ni strictis gladijs uiri fortissimi inerteis summouissent. Prius, inquã, P. Sempronio per ciuium agmen, quàm per hostiũ fuit erumpendum. Hos ciues patria desideret, quorum si cæteri similes fuissent, neminem hodie ex ijs, qui ad Cannas pugnauerunt, ciuem haberet? Ex militibus septem armatorum sexcenti extiterunt, qui erumpere auderent, qui in patriam liberi atque armati redirent, neq; ijs quadraginta milia hostium obstitere. Quàm tutum iter duarum propè legionum agmini futurum censetis fuisse? Haberetis hodie uiginti milia armatorum Canusij, fortia, fidelia, P. C. nunc autem quemadmodum boni fidelesq; (nam fortes, ne ipsi quidem dixerint) ciues esse possunt? nisi quis credere potest fuisse, qui erũpentibus

quin erumperent, obsistere conati sint: aut non inuidere cum incolumitati, tum gloriæ illorum per uirtutem partæ, quum sibi timorem ignauiamque seruitutis ignominiosæ causam esse sciant. Maluerunt in tentorijs latentes simul lucem hostemq; expectare, quum silentio noctis erumpendi occasio esset. Atenim ad erumpendum è castris defuit animus, ad tutanda fortiter castra animum habuerunt, dies ac noctes aliquot obsessi, armati se ipsi tutati uallo sunt. Tandem ultima ausi passiq;, quum omnia subsidia uitæ deessent, affectisq; fame uiribus, arma iam sustinere nequirent, necessitatibus magis humanis quàm armis uicti sunt. Orto sole hostis ad uallum accessit: ante secundam horam nullam fortunam certaminis experti, tradiderunt arma, ac seipsos. Hæc uobis ipsorum per biduum militia fuit. Quum acie stare, ac pugnare decuerat, tum in castra refugerũt: quum pro uallo pugnandum erat, castra tradiderunt, neque in acie, neque in castris utiles. Vos redimam? quum erumpere castris oportet, cunctamini, ac manetis: quum manere, & castra tutari armis necesse est, & castra & arma, & uos ipsos traditis hosti. Ego non magis istos redimendos, P. C. censeo, quàm illos dedendos Annibali, qui per medios hostes è castris eruperunt, ac per summam uirtutem se patriæ restituerũt.

Si

Si tantummodo.) Disſuaſio in id quæſita, ne captiui redimerentur. Exorditur à ſententia aduerſariorum captiuorum. *Sine ullius inſectatione.)* reprehenſione, uituperatione. *Sicut auorum.)* Iam uide quemadmodum auos appellet, qui ſecunda ante ipſum ætate uixerunt. Ornatè dicitur patrum, auorumq́; , atq; maiorum memoria, pro ætate, temporé ue ſiue ſeculo ſuperiore, atq; deinceps eo prioribus. P. Decius.) Extat VII. ab Vrbe condita huius Decij tribunimil. ad milites exhortatio, qua eos ad erumpendum nocte per medios hoſtes adhortatur. *Si hoc nec* P. *Sempronius.)* Ab hoc tantũ loco uidetur refutare. Ab inutili totus hic locus ducitur. Diminuti *capite.)* id eſt, qui in hoſtium poteſtatem ueniſtis. Diminutus capite quis, autore Feſto, non una ratione dicitur. Nam & qui ciuitate mutatus eſt, & qui ex alia familia in aliam adoptatus eſt, & qui alteri mancipio datus eſt, & qui in hoſtium poteſtatem uenit, & cui aqua igniq́; interdictum eſt, diminutus capite appellatur. Eſt autem capitis diminutio, ut docet Iuſtinianus, prioris ſtatus commutatio: quam tribus modis accidere poſſe ait, in quos ea ipſa, quæ ex Feſto adduximus, cadunt. Abalienati *iure ciuium.)* qui ceßiſtis iure ciuium. Abalienari ea dicũtur, quæ à noſtro dominio ad alienum tranſeuut. Id fieri dupliciter Cicero

in Topicis tradit, aut nexu, aut iuris cessione. Ita qui serui fiunt, & in hostium potestatem ueniunt, abalienantur iure ciuium, quod iure ciuium cedant, desinantq; priuilegijs, ut uulgo loquimur, ciuium gaudere. Hæc tria, quæ se consequuntur, priorum trium contraria sunt. Nam & qui diminutus est capite, incolumis non est: & qui iure ciuiũ abalienatus, ciuis non est: & qui seruus Carthaginensiũ factus, liber esse desijt. P. Sempronium.) Antitheton. Quid enim.) ab illicito. Ex milibus.) A facili & minore probat eis liberã fuisse erũpendi potestatem. Nunc autem.) Ab impossibili argumentum multis orationibus ducitur. Quemadmodum hic sumitur interrogatiuè pro quomodo. Nisi quis.) Ironia. At enim.) Præsumptio. Affectisq; fame.) exhaustis, prope absumptis. Vos redimam?) Ita uos libentius legam, q̃ quos, ut captiuos rogare uideatur, quibus statim continuando auersionem respondet. Quum erumpere.) Contraposito constat perturbationem officiorum.

EX III. SECVNDI BELLI PVNICI, QVI XXIII.

Argumentum in CVIII.

Pacuuius Calauius Capuæ in summo magistratu erat, quum res Romana male ad Thrasimenum gesta est. Is populum Campanum senatui iam diu infestum

infestum ratus id agitare, ut senatoribus trucidatis, si uenirent hostes Romanorum, Annibali Capuam traderet: hoc populi consilium senatui declarat, omnesq; tandem eò duxit, ut si se in ipsius potestatem permitterent, facilè ab insidijs se posse liberari arbitrarentur. Permissos in curiam claudit, conuocat populum, cui rem ita exposuit.

Pacuuij Calauij Campani ad populum Campanum concio. CVIII.

QVod sæpe optastis, Campani, ut supplicij sumendi uobis ex improbo ac detestabili senatu potestas esset, eam nunc non per tumultum expugnantes domos singulorũ quas præsidijs clientium seruorumq́ tuentur, cum summo uestro periculo, sed tutam habetis, ac liberam. Clausos omnes in curiam accipite, solos, inermes: nec quicquam raptim aut fortè temerè egeritis. De singulorum capite uobis ius sententiæ dicendæ faciã, ut quas quisq; emeritus est pœnas pendat. Sed ante omnia ita uos iræ indulgere oportet, ut potiorẽ ira salutẽ atq; utilitatem uestrã habeatis. Etenim hos, ut opinor, odistis senatores: nam senatũ omnino nõ habere nõ uultis: quippe aut rex (quod abominandũ) aut quod unũ liberæ ciuitatis consiliũ est) senatus habendus est. Itaq; duæ res simul agendæ sunt uobis, ut & ueterẽ senatum tollatis,

& nouum cooptetis. Citari singulos senatores iubebo, de quorum capite uos consulam: quod de quoque censueritis, fiet. Sed prius in eius locũ, uirum fortem ac strenuum nouum senatorem cooptabitis, quàm de noxio suppliciũ sumatur.

Quod sæpe optastis) *Nũciatoria est admixta suasioni. Exorditur à uotis eorũ apud quos agit. Vnũ illud notandum, quòd contra omnino Calauius sentiebat, quàm loquebatur. Versuta enim arte ipsum illud agebat, ut simul & populi & senatus gratiam iniret, atque emereretur, non ut senatum euerteret, quem seruare cõstituerat, sicuti seruauit.* *Vt supplicij.*) *Sumere supplicium ex siue de aliquo, est eũ punire, atque pœnis afficere.* *Tuentur.*) *custodiũt, & defendunt.* *Raptim.*) *præpropere.* *Tollatis.*) *antiquetis, aboleatis.* *De quorum capite uos consulam.*) *id est, de quorum uita quæram quid statuere uelitis.* *Censueritis.*) *statueritis.* *Cooptabitis.*) *eligetis in senatorem, substituetis.*

Argumentum in CIX.

Post Cannensem cladem Romani à Campanis sperni contemniq; cœpti sunt, ut illud ostensuri fuerint, nisi prohibiti fuissent, eorum præsertim memoria, qui à Romanis mißi erant per Siculas urbes in præsidia, in quibus Campani erant nobilißimi. Horum igitur parentes ægrè impetrãt ut legati ad Varronem

ronem consulem Canusiũ, quò ipse ex fuga sese receperat, mitteretur. Profecti Venusiæ consulem cũ paucis inueniunt, ubi senatum populumq; Campanum ægreferre nũciant, quod ita infeliciter ad Cannas res gesta esset: ita placere, ut quicquid bello usui esset, benignè ac comiter subministretur. Varro pòst in hanc sententiam legatis respondit.

Varronis consulis ad legatos Campanorum responsum. CIX.

MOrem magis loquendi cum socijs seruastis, Campani, iubentes quæ ad bellũ essent opus imperare, quàm cõuenienter ad præsentem fortunæ nostræ statum locuti estis. Quid enim nobis ad Cannas relictum est, ut, quasi aliquid habeamus, id quod deest, expleri à socijs uelimus? pedites uobis imperemus, tanquam equites habeamus? pecuniã deesse dicamus, tanquam ea tantum desit? Nihil ne quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna: legiones, equitatus, arma, signa, equi, uiriq;, pecunia, cõmeatus aut in acie, aut in ruinis postero die amissis castris perierunt, itaque non iuuetis nos in bello oportet, Campani, sed cum Pœnis bellum pro nobis suscipiatis. Veniat in mentem, ut trepidos quondam maiores uestros intra mœnia compulsos, nec Samnitem modo hostem, sed etiam Sidicinum pauentes,

receptos in fidem apud Satriculam defenderimus: cœptumq́ propter uos cum Samnitibus bellum, per centum propè annos, uariante fortuna euētum, tulerimus. Adijcite ad hæc, quod fœdus æquum dedimus, quod leges nostras, quod ad extremum (id quod ante Cannensem certè cladem maximum fuit) ciuitatem nostrā magnæ parti uestrûm dedimus, communicauimusque uobiscum. Itaque communem uos hanc cladē, quæ accepta est, credere, Campani oportet, communem patriam tuendam arbitrari esse. Non cum Samnite aut Ethrusco res est, ut quum à nobis ablatū sit, in Italia tamen imperium maneat: Pœnus hostis ne Africæ quidem indigena ab ultimis terrarum oris freto Oceani, Herculisq́ columnis, expertem omnis iuris & conditionis & linguæ propè humanæ militem trahit. Hunc natura immitem, moribusque ferum, insuper dux ipse efferauit, pontibus ac molibus ex humanorum corporum strue faciendis: & (quod proloqui etiam piget) uesci humanis corporibus docendo. Hos infandis pastos epulis, quos contingere etiam nefas sit, uidere atque habere dominos, & ex Africa & à Carthagine iura petere, & Italiā Numidarum & Maurorum pati prouinciam esse, cui non genito modo in Italia detestabile sit? Pulchrum erit, Campani, prolapsum clade Romanum imperiū, uestra fide, uestris uiribus retentum

tum ac recuperatum esse. Triginta milia peditum, quatuor equitũ arbitror ex Cãpania uos scripsisse, iã pecuniæ affatim esse, frumẽtiq́; qui si parẽ fortunæ uestrę fidẽ habetis, nec Annibal se uicisse sentiet, nec Romani se uictos esse.

Morem magis.) Ratio est *implorandi auxilij in rebus afflictis aduersus hostes. A' sententia legatorum, & miserabili conditione exorditur. Intra genus deliberatiuũ consistit.* Itaq; nõ iuuetis) *Propositio est eorũ de quibus deliberaturus est, ex narratiuncula collecta.* Veniat in mentem.) *Hinc confirmare ingreditur. Ab æquo argumentum ducitur.* Non cum Samnite.) *Ab impio, indigno, & quodammodo à difficili.* Pulchrum erit.) *à spe et commodis.* Triginta milia.) *Ab opportuno.*

Argumentum in C X. C X I. & C X I I.

Annibal autoritate atq; diligentia Pacuuij Calauij, de quo paulo antè diximus, Capuam in fidem acceperat. Is Vrbem ingressus, se apud Calauiũ cœnare uelle pronunciat: cui cõuiuio tres modo Campanos adhibuit, in quib. Perolla filius Pacuuij, qui aliquãto antè patris deprecatione ac precibus Annibali placatis erat. Hic Perolla hilariter cæteris epulantibus, unus tristis, nec dominorum inuitatione uinci potuit, nec ipsius Annibalis, ut curis amotis & seclusis lætus cõuiuaretur. Ac quum fortè

ante

ante noctem Pacuuius ex conuiuio egressus, in hortum, qui posticis ædium partibus subiectus erat, secederet: patrem filius Perolla secutus, ita ut sequitur, consilium suum de interficiendo Annibale declarauit. Pater ex filio quum ea audiuisset, uelut si iam interesset indigno atq; detestabili facinori, filiũ ut deinde sequitur, ab indignitate & atrocitate facinoris flebiliter deterrebat. Filius inde precibus atq; lachrymis patris uictus, facinus conceptum se non editurum promisit.

Verba Perollæ ad Pacuuium Calauium patrem de interficiendo Annibale. CX.

CONsilium affero, pater, quo nõ ueniam solum peccati quo defecimus ad Annibalẽ, impetrare ab Romanis, sed in multo maiore & dignitate & gratia simus Campani, quàm fuimus unquam. (Quum mirabundus pater, quidnam id esset consilij quæreret: toga reiecta ab humero, latus succinctum gladio nudat) Iam ego (inquit) sanguine Annibalis sanciam Romanum fœdus. Te id primum scire uolui, si fortè adesse, dum facinus patratur malles.

Pacuuij Calauij dehortatio à facinore ad filium. CXI.

PEr ego te, fili, quæcunq; iura liberos iungunt parentibus, precor, quæsoq;, ne ante ocu-

te oculos patris facere &pati omnia infanda ue lis. Paucæ horæ sunt, intra quas iurantes per quicquid Deorum est, dextras dextræ iungentes fidem obstrinximus, ut sacratis de mensis essemus. Digressi à colloquio extēplò in eum armamur? Surgis ab hospitali mensa, ad quam tertius Campanorū adhibitus es ab Annibale, eam ipsam mensam cruētare uis hospitis san guine? Annibalem pater filio meo potui placare, filium Annibali nō possum? Sed si nihil sancti, non fides, non religio, non pietas, audeantur infanda, si non perniciem nobis cum scelerè afferunt. Vnus aggressurus es Annibalem? quid illa turba tot liberorum seruorumq́ꝫ? quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dextræ? torpescent ne in amentia illa? Vultum ipsius Annibalis, quem armati exercitus tremūt, quem horret popolus Rom. tu sustinebis? Et si alia auxilia desunt, meipsum ferire, corpus meū opponentem pro corpore Annibalis, sustinebis? Atqui per meum pectus petendus ille tibi, atq; transfigendus est. Sed deterreri hic sine te potius, quàm illic uinci: ualeant preces apud te meæ, sicut pro te hodie ualuerunt.

Per ego te.) *Ratio est dehortandi, atq; deterrendi à concepto facinore, mire elegans & facunda. Iam inde à principio abrupto dehortatur à pio, tū*

ab

ab æquo & iusto. .. Per ego te.) *Hyperbaton est, ubi uerbum longius contrahitur.* Ipsa, *in uotis præsertim magnam habet gratiam.* Cruentare uis.) *respergere.* Annibalem pater.) *A' maiore ducitur, aut certè auxesis est.* Hic *uide quàm facinus augeat, uocum quæ indignitatem augeant, exaggeratione.* Hoc *multum & ad permouendos affectus ualet.* Vnus aggressurus.) *A' difficili & impossibili.* Vnus, *solus.* Intenti omnium oculi.) *coniecti, solicitè ac diligenter te intuentes.* Nam *intendere significat nonnunquam, autore* Marcello, *solicitè ac diligenter intueri, animaduertere atq; obseruare.*

Opponentem.) *obijcientem, &, ut ita dicã, ante ipsum ponentem.* Sine te.) *patere, & permitte.* Valeant preces.) *efficaces sint, poßint & impetrent quod peto, faciant te exorabilem.*

Perollæ ad Pacuuium patrem responsum. C X I I.

EGo quidem quam patriæ debeo pietatẽ, exoluã patri. Tuam doleo uicem, cui ter proditæ patriæ sustinendum crimen est: semel, quum defectionem inisti ab Romanis: iterum, quũ pacis cum Annibale fuisti autor: tertium hodie, quũ restituẽdæ Romanis Capuæ mora atq; impedimentũ tu es. O patria, ferrum quo pro te armatus hanc arcem defendere uolebam, hosti minimè parcens, quando parens ex-

extorquet, recipe.

Argumentum in CXIII.

Magius Decius Capuæ inter alios cẽſebat præſidium Annibalis Capuam recipiendũ non eſſe, aut receptũ eijciendum, aut certè interficiendũ, ut ita nobili facinore Romanis Campani ſe reſtituerent. Perlatũ id erat in caſtra ad Annibalẽ, & iam eum in caſtra acciri iuſſerat, quum negantẽ eum cõprehendi, & ad ſe adduci iubet. At repẽte mutato conſilio, prius quàm adduci poſſet, alium præmittit, qui prætori nunciaret, & moneret ne Decium duceret, ſe enim poſtero die Capuæ affuturum. Eo ipſo die Annibali ingreſſuro Capuam, unus Decius cum ſuis obuiam non eſt egreſſus. Poſtero die ſenatu dato, Decium inter alia ad ſe adduci iubet. Comprehenſus, quum dicere cauſam iuſſus, negaret lege fœderis id cogi poſſe: tum iniectis catenis ante lictorem duci iuſſus eſt. Ipſe quoad capite aperto fuit, dum ducitur, ita ad circumfuſam multitudinẽ uociferabatur.

Verba Magij Decij ad circumfuſam multitudinem. CXIII.

HAbetis libertatem, Campani, quam petiſtis. Foro medio, luce clara, uidentibus uobis, nulli Campanorum ſecundus, uinctus ad mortem rapior. Quid uiolentius Capua capta fieret? Ite obuiam Annibali, ex-

exornate urbem, diemq́ꝫ aduentus eius cõsecrate, ut hunc triumphum de ciue uestro spectetis.

Argumentum in CXIIII. & CXV.

Mago Amilcaris filius Carthaginem profectus, senatu dato, quæ ad Cannas gesta erant, expositis, ob uictoriam Dijs sacrum autoritate Annibalis haberi iusserat. Himilco ex hoc tam læto nuncio nactus occasionem Hannonis alterius factionis principis eludendi & reprehendendi, ita eum aggressus est. Hanno deinde respondet.

Himilconis Barchinæ factionis uiri in Hannonem uerba. CXIIII.

QVid est? Hanno: etiam nunc pœnitet belli suscepti aduersus Romanos? Iube dedi Annibalem, ueta in tam prosperis rebus gratias Dijs immortalibus agi: audiamus Romanum senatorẽ in Carthaginensiũ curia.

Etiã nunc pœnitet.) Quicquid uelut criminũ in Hannonem congerit, ab eo iactata sunt quadã concione, quæ prima est huius decados. Iube dedi.) Ironia est, qua similes imperantibus sumus. Alludit ad id quod censuerat Hanno, Annibalẽ scilicet autorem belli contra fœdus dedendum esse.

Hannonis ad ea responsum. CXV.

TAcuissem hodie, P. C. ne quid in communi omnium gaudio, minus lætum quod esset uobis, loquerer. Nunc interroganti sena-

ſenatori, pœniteat'ne me adhuc ſuſcepti aduerſus Romanos belli? ſi reticeam, aut ſuperbus, aut obnoxius uidear, quorum alterum eſt hominis alienæ libertatis obliti, alterum ſuæ. Reſpondeam Himilconi, non deſiiſſe pœnitere me belli, neque deſiturum ante inuictum noſtrum Imperatorem incuſare, quàm finitum aliqua tolerabili conditione bellum uidero. Nec mihi pacis antiquæ deſiderium ulla res, quàm pax noua finiet. Itaque iſta, quæ Mago modo iactauit, Himilconi, cæteris'que Annibalis ſatellitibus iam læta ſunt: mihi poſſunt læta eſſe, quia res bello bene geſtæ, ſi uolumus fortuna uti, pacem nobis æquiorem dabunt. Nam ſi prætermittimus hoc tempus, quo magis dare, quàm accipere poſſumus uideri pacem: uereor ne hęc quoque lætitia luxurietur nobis, ac uana euadat, quæ tamen nunc quoque qualis eſt? Occidi exercitus hoſtiũ: mittite milites mihi. Quid aliud rogares, ſi eſſes uictus? Hoſtium cepi bina caſtra, prædæ uidelicet plena, & commeatuum: frumentum & pecuniam date. Quid aliud, inquam, ſi ſpoliatus, ſi exutus caſtris eſſes, peteres? Et ne omnia ipſe mirer, (mihi quoque quoniam reſpondi Himilconi, interrogare ius fas'que eſt) uelim, ſeu Himilco, ſeu Mago reſpondeat, quum ad internecionem Romani imperii pugnatum ad Cannas ſit, conſtet'que in defectionẽ totam Italiam iſſe: primum, ecquis

Latini nominis populus defecerit ad nos? deinde, ecquis homo ex quinq; & triginta tribubus ad Annibalem transfugerit? (Quum utrunque Mago negasset) Hostium quidem ergo Romæ adhuc multum superest, sed multitudo ea quid animorum, quid'ue spei habeat, scire uelim. (Quum id nescire se Mago diceret) Nihil facilius scitu est. Ecquos legatos ad Annibalē Romani miserunt de pace? ecquam denique mentionem pacis Romæ factam esse, allatū ad uos est? (Quum id quoque negasset) Bellum igitur tam integrum habemus, quàm habuimus qua die Annibal in Italiam est ingressus. Quàm uaria uictoria priore Punico bello fuerit, pleriq; qui meminerimus, superſumus. Nunquam terra mariq; magis prosperæ res nostræ uisæ sunt, quàm ante consules C. Luctatium, & A. Posthumium fuerunt. Luctatio & Posthumio consulib. deuicti ad Aegadis insulā sumus. Quòd si (id quod Dij omen auertant) nunc quoque fortuna aliquid uariauerit, tum pacem speratis quum uincimur, quam nunc quum uincimus, dat nemo? Ego si quis de pace consulet, seu deferenda hostibus, seu accipienda, habeo quid sententiæ dicam. Si de ijs, quæ Mago postulat, refertis: nec uictoribus mitti attinere puto, & frustrantibus nos falsa atque inani uictoria, multo minus censeo mittenda esse.

Tacuiſſem.) Ratio hinc peti poteſt auertendæ atque reijciendæ uictoriæ uanæ, ob quam plerique ceu integram, ingentem lætitiam concipiant. A' re incidente, nempe lætitia publica, & aduerſarij ſententia exorditur. Aut obnoxius.) Obnoxius hic eum ſignificat, cui ab eo, qui ipſius criminis conſcius eſt, incommodari poteſt. eum ſubiectum uulgo dicimus. Ita fit, ut obnoxius nihil ferè proloqui audeat, quod eius cui obnoxius eſt, ſiue facti conſcij ſtomachum mouere poßit. Quorum alterum.) ſuperbia. Alienæ.) aliorum, quòd alij præſertim liberi quod uelint, liberè dicant. Alterum ſuæ.) eßе obnoxium ſcilicet. Nam qui obnoxij ſunt alicui, quodammodo ſerui ſunt eius cui obnoxij ſunt, quum liberè quod uelint, loqui non audeant.

Quid aliud.) A' ſigno conſequentium oſtendit uictoriam & lætitiam uanam. Primum, ecquis) Interrogationibus uelut inductione quadam bellũ integrum, id eſt, nec affectum, nec confectum eſſe monſtrat. Quàm uaria.) A' ſimili. Seu deferenda.) offerenda, proponẽda, ferenda, danda. Deferenda magis una uox uidetur. Refertis.) in deliberationem ponitis.

Argumentum in CXVI.

Marcellus Nolam urbem quum teneret præſidijs, in agrum Hirpinum & Samnitiũ Caudinorũ

excursiones faciendo, ferro et igni omnia uastabat. Iis cladibus uterq; populus adductus legatos ad Annibalem conquestum iniurias mittit. Priores Samnites ita iniurias exposuerunt.

Samnitium legatorum ad Annibalem, ut ferret opem aduersus Romanos, *querelæ.* CXVI.

HOstes populi Romani, Annibal, fuimus, primum per nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ uires nos tutari poterant. Postea quàm ijs parũ fidebamus, Pyrrho regi nos adiunximus: à quo relicti, pacem necessariam accepimus: fuimusq́; in ea per annos propè quinquaginta ad id tempus, quo in Italiam uenisti. Tua nos non magis uirtus, fortunaq́;, quàm unica comitas ac benignitas erga ciues nostros, quos captos ad nos remisisti, ita conciliauit tibi, ut te saluo atque incolumi amico, non modo populum Romanũ, sed ne Deos quidem iratos (si dici fas est) timeremus. At hercule non solum incolumi atq; uictore, sed præsente te, quum ploratum propè coniugum ac liberorum nostrorum exaudire, & flagrantia tecta posses conspicere, ita sumus aliquoties hac æstate deuastati, ut M. Marcellus non Annibal uicisse ad Cannas uideatur, glorienturq́; Romani, te ad unum modo ictum uigentem, ue-

luti iaculo emiſſo torpere. Per centum propè annos cum populo Romano bellum geſsimus, nullo externo adiuti nec duce, nec exercitu, niſi quòd per biennium Pyrrhus noſtro magis milite ſuas auxit uires, quàm uiribus ſuis nos defendit. Non ego ſequundis noſtris rebus gloriabor, duos cõſules ac duos conſulares exercitus à nobis ſub iugum miſſos, & ſi qua alia aut læta aut glorioſa nobis euenerunt: quæ aſpera aduerſa'que tunc acciderunt, minore indignatione referre poſſumus, quàm quæ hodie eueniunt. Magni dictatores cum magiſtris equitum, bini conſules, cum binis conſularib. exercitibus ingrediebantur fines noſtros. Antè exploratò, & ſubſidijs poſitis, & ſub ſignis ad populandum ducebant, nunc propè unius, & parui ad tuendam Nolam præſidij præda ſumus. Iam ne manipulatim quidem, ſed latronũ modo percurſant totis finibus noſtris, negligentius, quàm ſi in Romano agro uagarentur. Cauſa autem hæc eſt, quod neque tu defendis: & noſtra iuuentus, quæ ſi domi eſſet, tutaretur, omnis ſub ſignis militat tuis. Nec te, nec exercitum tuum norim, niſi à quo tot Romanas acies fuſas ſtratas'que ſciam, ei facilè eſſe ducam opprimere populatores noſtros, uagos, ſine ſignis, palantes quò quemque trahit quamuis uana prædæ ſpes. Numidarum paucorum illi quidem præda erunt, præſidium'que miſſum

nobis erit, & Nolæ ademeris: si modo quos ut socios haberes dignos duxisti, haud indignos iudicas, quod in fidem receptos tuearis.

Hostes populi.) *Petitio est auxilij in aduersis rebus. Exordium sumitur à persona eorum, qui petunt.* *Tua nos.)* *A' benignitate spes concipitur.* *At Hercule.)* *Ab indigno.* *Magni dictatores.)* *Antitheton.* *Nec te, nec exer.)* *A' facili.*

EX IIII. SECVNDI BELLI PVNICI, QVI XXIIII.

Argumentum in CXIIII.

Fabius in finem anni Romam rediens, comitia consularia edixerat, quibus prærogatiuæ iuniorū T. Octacilium, qui eius Fabij sororis filiam habebat uxorem, & M. Aemilium consules dixerunt. Quod ubi Fabius intellexit, hac concione suadebat, nec Octacilio rerum & imperij summam deferendam esse, nec consulem eum habendum: uidendum autem, cui bellū mandari posset aduersus Annibalem.

Fabij Maximi ad populum concio de deligendo Imperatore. CXVII.

SI aut pacem in Italia, aut bellum cum eo hoste haberemus, in quo negligentiæ aut errori locus esset, qui uestris studijs, quæ in campum ad mandandos, quibus uelitis, honores affertis, moram ullam offerret, is mihi pa

rum

rum meminisse uideretur uestræ libertatis. Sed quum in hoc bello, cum hoc hoste, nunquam ab ullo duce sine ingenti nostra clade erratum sit, eadem uos cura, qua armati in aciem descenditis, inire suffragium ad creandos consules decet, & sibi sic quemque dicere, Annibali Imperatori parem consulem nomino. Hoc anno ad Capuam, Iubellio Taureæ Cāpano summo equiti prouocanti, summus Romanus eques Asellus Claudius oppositus, aduersus Gallum, quondam prouocantem in ponte Anienis, Manlium fidentem & animo & uiribus misere maiores nostri. Ob eandem causam haud multis annis post fuisse nō negauerim, cur M. Valerio non diffideretur aduersus similiter prouocantem arma capienti Gallum ad certamen. Quemadmodū pedites equitesq́ optamus, ut ualidiores: si minus, ut pares hosti habeamus, ita duci hostium parem Imperatorē quęramus. Quum qui est summus in ciuitate dux, eum legimus, tum repēte lectus, in annum creatus, aduersus ueterem ac perpetuum Imperatorem comparabitur, nullis neque temporis neque iuris inclusum angustijs, quo minus ita omnia gerat, administretq́, ut tempora postulabūt belli: nobis autem in apparatu ipso, ac tantū inchoantibus res, annus circūagitur. Quoniam quales uiros creare uos consules deceat, satis est dictū: restat ut pauca de ęis in quos prærogatiuæ

fauor inclinauit, dicam. M. Aemilius Regulus flamen eſt Quirinalis, quem neque mittere à ſacris, neque retinere poſſumus, ut non Deûm aut belli deſeramus curam. Octacilius, ſororis meæ filiam uxorem, atque ex ea liberos habet. Cæterum non ea ueſtra in me maioresq́ meos merita ſunt, ut non potiorem priuatis neceſsitudinibus Rempub. habeam. Quilibet nautarum uectorumque tranquillo mari gubernare poteſt, ubi ſæua orta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur uento nauis, tum uiro & gubernatore opus eſt. Non tranquillo nauigamus, ſed iam aliquot procellis ſubmerſi penè ſumus. Itaq; quis ad gubernacula ſedeat, ſumma cura prouidendum, ac præcauẽdum nobis eſt. In minori re experti T. Octacili operam tuam ſumus: haud ſanè, cur ad maiora tibi fidamus, documenti quicquam dediſti. Claſſem hoc anno, cui tu præfuiſti, trium rerum cauſa parauimus, ut Africę oram popularetur, ut tuta nobis Italiæ littora eſſent: ante omnia ne ſupplementum cum ſtipendio commeatuq́; ab Carthagine Annibali tranſportaretur. Create conſulem T. Octacilium, non dico, ſi omnia hæc, ſed ſi aliquid eorum Reipub. præſtitit. Sin autem te claſſem obtinente, etiam uelut placato mari, quęlibet Annibali tuta atque integra ab domo uenerũt, ſi ora Italiæ infeſtior hoc anno, quàm Africæ fuit, quid dicere potes, cur te potiſsimũ

ducem

ducem Annibali hosti opponant? Si consul esses, dictatorem dicendum exemplo maiorum nostrorũ censeremus: neq; tu id indignari posses, aliquẽ in ciuitate Romana meliorẽ bello haberi, quàm te. Magis nullius interest, quàm tua, T. Octacili, nõ imponi ceruicib. tuis onus, sub quo cõcidas. Ego magnopere suadeo, eodẽ animo, quo si stantib. uobis in aciẽ armatis, repẽte deligẽdi duo Imperatores essent, quorũ ductu atq; auspicio dimicaretis: hodie quoq; consules creetis, quibus sacramenta liberi nostri dicant, ad quorũ edictum conueniant, sub quorũ tutela atq; cura militẽt. Lacus Thrasimenus, & Cannæ, triste ad recordationẽ exemplar, at ad præcauendum simile utiles, documento sunt.

Si aut pacem.) Intra deliberationem consistit. Deliberatur, qualis dux præfici debeat bello quod cum Annibale gerebatur. Exorditur *à belli ducisq; hostium genere.* Qui *uestris studijs.)* Vocat *hic studia, suffragia ipsa, siue fauores quibus creantur magistratus.* Ad *mandandos.) committendos, deferendos.* Morã *ullam offerret.) moraretur, atque impediret, siue traheret.* Annibali *imperatori.)* Prop*ositio est quædam eius rei de qua deliberatur.* Hoc *anno ad* Capuam.) Hin *confirmare incipit à pari.* Eum *legerimus.) delegerimus.* Inchoantibus.) I*nchoo uerbum, informe quiddam,*

 rude,

rude, impolitum, & imperfectum denotat. Hinc opus inchoatum appellamus rude & indigestum.

Quoniam quales.) Transitio per se satis cognita. Prærogatiuæ fauor.) Docui supra Romanum populum in classes quinque à Seruio Tullio distributum esse, quarum quælibet plures centurias continebat. Quo tempore, ut autor est Liuius primo ab Vrbe condita, institutum est ab eodem Seruio rege, ut quum ad eam diem instituto Romuli omnes eadem ui, eodemq; iure promiscue suffragia ferrent atque inirent, deinceps gradus ita fierent, ut equites omnium primi uocarentur ad suffragiū, inde primæ claßis centuriæ peditum. Ibi si uariaretur sententijs, tum ad secundæ claßis centurias descenderetur, ab eaq; nunquam infra ferè iretur, ut ad infimos perueniretur. Deinde duplicato tribuum numero, factum est ut iuniorum centuriæ ferrent suffragia. Ac illud constat, eum ordinem postea seruatum eße, ut cum sorte centuriæ omnes in suffragia educerentur, ut cuiuslibet claßis centuriæ sorte ad suffragium educebantur, ita primæ rogari sententiam solerent. Quæ sorte primo eductæ rogabātur sententiam, quem magistratū dicere uellent: eæ prærogatiuæ dicebantur, quòd primæ rogarentur, haberentq; ius dicendi quem uellent. T. Liuius quarto secundi belli Punici: Eo die (inquit) quum

quum ſors prærogatiuæ ante iuniorũ exiſſet, eáq; Octacilium & M. Aemilium Regulum conſules diceret. Ita hoc loco *prærogatiua ſumetur pro iure illo primò rogandi, aut pro ijs, qui ius ſiue priuilegium illud ſorte habent.* A' qua appellatione *factum eſt, ut exceſſus in aliquo cuiuslibet rei præ alijs, prærogatiua dicatur.* In minore re.) A' *geſtis rebus ſuadet* Octacilium *ei bello non eſſe præficiendum.*

Ego *magnopere.*) Peroratio. Quibus *ſacramenta.*) Fortaßis *non ſacramenta, ſed ſacramento legendũ eſt, ſicut alibi* IIII. *ab* Vrbe *condita:* Hoc *inquit, decreto conſul armatus, quum paucis appellantibus tribunũ collum torſiſſet, metu cæteri ſacramento dixere.* Eſt *autem dicere ſacramento, dicare ac deſtinare militiæ iuriſiurãdi ſacratione interpoſita.* Nã *ſacramentũ ſupra ex* Feſto Pompeio *ſignificare docui, quicquid iuriſiurandi ſacratione interpoſita geritur.* Dicere *uerò, pro dicare aliquando ſumi,* Nonius *ex hac* Virgiliana *ſententia docet:* Iunoni *infernæ dictus ſacer. &* Budæus *ſic accipi poſſe apud* Liuiũ, *teſtis eſt.* Hæc *mihi magis placet lectio, et ita reſtituẽdũ hũc locũ puto. Si cui altera placebit, dicere ſacramẽta, erit promittere è repub. & fide ſua iuriſiurandi ſacratione interpoſita ſe militaturũ.* Nam Nonius *ex multorũ ſententia oſtendit dicere ſignificare promittere.*

Argu-

Argumentum in CVIII.

Ad Beneuentũ T. *Gracchus in castris legiones magna ex parte Volonum seruorum habebat, inter quos quũ fortè quæri audiret, quando libertate donarentur, missis ad senatum hac de re literis, quibus eorum fortitudinem laudabat, impetrauit, ut quod è republica uideretur, faceret. Quod quum ab ipso referente audirent, liberos item se facturum, qui egregiè pugnassent, dicentem: nihil malebant, id est, quàm in hostem pugnare, adeo libertatis dulcedo eos mordebat. Quum uerò eorum quatuor milia segnius cum hoste congressa, metu pœnæ collem, qui non procul à castris aberat cepissent, postero tamẽ die inde accitos cum cæteris libertate donauit. Concione inde aduocata, ita eos qui secessissent, se mulctaturum pronunciauit.*

T. *Gracchi ad milites concio.*

CXIII.

PRiusquam omnes iure libertatis æquassem, neminẽ nota strenui aut ignaui militis notasse uolui. Nunc exoluta iam fide publica, ne discrimen omne uirtutis ignauiæq; pereat, nomina eorũ, qui detrectatę pugnæ memores secessionẽ paulo antè fecerũt, referri ad me iubebo, citatosq; singulos iureiurando adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter, quàm stantes cibum potumq;, quoad stipendia fa-

facient, capturos esse. Hanc mulctam ita æquo animo feretis, si reputabitis nulla ignauiæ nota leuiore uos designari potuisse.

Nota strenui.) Ex hoc loco facilè apparet notare nota, uerbum esse communis significationis. *Ne discrimen.)* separatio, diuisio, differentia nulla sit inter uirtutem & ignauiam. *Detrectatæ pugnæ.)* uitatæ, neglectæ. *Iureiurando.)* Iureiurando adigere sic dicitur, ut sacramento adigere, id est, iurisiurandi formulam concipere, quæ iuraturo dictetur, ita ut in ea uerba iurare cogatur. *Hanc mulctam.)* Festus Pompeius autor est mulctā Oscè, Latinè pœnā dici. Pœnam autem propriè appellari pecuniam eam, quæ ob delictum soluitur. Hinc eodem autore propriè ij pendêre pœnas dicuntur, qui pecuniam ob delictum dissoluunt, quod Romæ prius quàm signatum esset æs, eo penso uterentur. Hoc loco mulcta & ad alia transfertur. Vulgo emendam dicimus.

Argumentum in CXIX.

L. Pinarius Aennæ præsidij Romanorum præfectus, præsidium Murgantiæ ab incolis proditum, oppressumq́; audiens, diligēter uidebat, ne Aennenses quoque præsidium, cuius erat præfectus, prodere atque opprimere possent. Iamq́; nonnihil de proditione cum Himilcone pacta audiebat, quum reposcen-

poſcentibus Aennenſibus claues portarum ciuitatis, pertinaciter negat ſe daturum. Ii quum nulla ratione peruincere ſe poſſe uiderent ut redderentur, uindictam aliquam ſuæ libertatis ſe quæſituros denunciant. Tum Pinarius ſibi concilium dari populi poſtulat, ut ſciret utrum paucorum, an uniuerſæ ciuitatis ea denunciata forent. Conſenſu itaque omnium concio in poſterum diem edicitur. Ipſe ex eo colloquio in arcem receptus, ita ſuorum animos in diem poſterum comparat.

L. Pinarij *præfecti præſidij* Romanorũ *Aennæ ad ſuos exhortatio.* CXIX.

Credo ego uos audiſſe, milites, quemadmodum prꝭſidia Romana ab Siculis circunuenta & oppreſſa ſint per hos dies. Eã uos fraudẽ Deûm primò benignitate, dein ueſtra ipſi uirtute dies noctesq́ꝫ perſtando ac peruigilando in armis, uitaſtis: utinam reliquũ tempus nec patiendo infanda, nec faciendo tra duci poſsit. Hæc occulta fraude cautio eſt, qua quia adhuc minus cuiquam ſucceſsit, apertè ac propalã claues portarũ repoſcunt. Quas ſimul ut tradiderimus, Carthaginenſiũ extẽplo Aenna erit, fœdiusq́ꝫ hic trucidabimur, quàm Murgantiæ præſidiũ interfectũ eſt. Noctem unã ægrè ad conſultandũ ſumpſi, qua uos certiores periculi inſtantis facerẽ. Orta luce concionẽ ha

bituri

bituri ſunt ad criminandũ me, concitandũq; in uos populum. Itaq; craſtino die aut ueſtro, aut Aennenſiũ ſanguine Aenna inundabitur, nec præoccupati, peculij, nec occupãtes periculi quicquam habebitis: qui prior ſtrinxerit ferrũ, eius uictoria erit. Intẽti ergo omnes armatiq; ſignũ expectabitis: ego in concione ero, & tempus, quoad omnia inſtructa ſint, loquendo altercãdoq; traham. Quũ toga ſignũ dedero, tum undiq; clamore ſublato, turbã inuadite, ac ſternite omnia ferro, & cauete ne quiſquã ex ijs ſuperſit, à quibus aut uis aut fraus timeri poſsit. Vos Ceres mater, ac Proſerpina, precor, cæteriq; ſuperi inferiq; Dij, qui hanc urbẽ, hos ſacratos lacus lucosq; colitis, ut ita nobis uolẽtes propitij adſitis, ſi uitandæ, nõ ferendæ fraudis cauſa hoc cõſilij capimus. Pluribus uos, milites, hortarer, ſi cum armatis dimicatio futura eſſet, inermes, incautos ad ſatietatem trucidabitis. Et conſulis caſtra in propinquo ſunt, ne quid ab Himilcone & Carthaginenſibus timeri poſsit.

Credo ego uos.) Ratio eſt adhortandi ad uitandam proditionem inſtantem. Principium comparatur à ſimili re incidente. Præſidia.) milites ad cuſtodiam & defenſionem deſtinatos. Circũuenta) decepta, fraude capta. Traduci.) tranſigi, conſici, conſumi. Aegrè.) difficulter, uix licuit ſumere.

Con-

Concitandumq́;.)commouendum. Signum dedero.) pro quo dicimus barbarè, toga signum fecero. Sternite omnia.)pro demittite,deijcite.

EX V. SECVNDI BELLI PVNICI, QVI XXV.

Argumentum in CXX.

Milites eos,qui Cannensi cladi superfuerãt,senatus in Siciliam ad militandum, quoad Punicũ bellum finitum esset redituros Romam,relegauerat. Ii dum cum P. Lentulo militant, ab eo impetrant, ut primores equitum centurionumq́; in hyberna ad M.Marcellum mitterentur, qui de conditione atq; fortuna conquererentur. Ex ijs unus potestate dicendi facta,in hæc uerba causam suam egit.

Relegatorum militum ad M.Marcellum de mutatione conditionis oratio. CXX.

COnsulem te,M.Marcelle, in Italiam adissemus,quum primum de nobis,etsi non iniquum, certè triste senatusconsultum factum est: nisi hoc sperassemus, in prouinciam nos morte regum turbatam ad graue bellum aduersus Siculos simul Pœnosq́; mitti, & sanguine nostro uulneribusque magistratibus satisfacturos esse: sicut patrum memoria, qui capti à Pyrrho ad Heracleam erant, aduersus Pyr-

Pyrrhum ipſum pugnantes ſatisfecerunt. Quã quam quod ob meritum noſtrũ ſuccenſuiſtis, P. C. nobis, aut ſuccenſetis? Ambos mihi conſu les, & uniuerſum ſenatum intueri uideor, quũ te, M. Marcelle, intueor: quem ſi ad Cannas cõ ſulem habuiſſemus, melior & Reſp. & noſtra fortuna eſſet. Sine, quæſo, prius quàm de conditione noſtra queror, noxam cuius arguimur, nos purgare. Si non Deûm ira, nec fato, cuius lege immobilis rerum humanarum ordo ſeritur, ſed culpa perijmus ad Cannas, cuius tandem ea culpa fuit? militum, an imperatorum? Equidem miles nihil unquam dicam de impe ratore eo, cui præſertim ſciam gratias à ſenatu actas, quòd nõ deſperauerit de Repub. cui poſt fugam actam ſit per annos omnes prorogatũ imperium. Cæteros item ex reliquijs cladis eius, quos tribunos militum habuimus, honores petere & gerere, & prouincias obtinere audiuimus. An uobis ueſtriſq; liberis ignoſcitis facile, P. C. in hæc uilia capita ſæuitis? & conſuli primoribuſq; alijs ciuitatis fugere, quũ ſpes alia nulla eſſet, turpe non fuit: milites utiq; mo rituros in aciem miſiſtis? Ad Alliam propè om nis exercitus fugit: ad furcas Caudinas ne expertus quidem certamen, arma tradidit hoſti (ut alias pudendas clades exercituum taceam) tamen tantum abfuit ab eo, ut ulla ignominia ijs exercitibus inureretur, ut ea urbs Roma per

eum exercitum qui ab Allia Veios transfugerat, recuperaretur. Et Caudinæ legiones, quę sine armis redierant Romam, armatę remissę in Samnium, eundem illum hostem sub iugū miserunt, qui hac sua ignominia lætatus fuerat. Cannensem uerò quisquam exercitum fugæ aut pauoris insimulare potest, ubi plus quinquaginta milia hominum ceciderunt? unde cõsul cum equitibus quinquaginta fugit? Vnde nemo superest, nisi quem hostis cædendo fessus reliquit? Quum captiuis redemptio negabatur, nos uulgò homines laudabant, quòd Reip. nos seruassemus, quòd ad consulem Venusiam redissemus, & speciem iusti exercitus fecissemus. Nunc deteriore conditione sumus, quàm apud patres nostros fuerãt captiui, quippe illis arma tãtũ atq; ordo militãdi, locusq; in quo tẽderẽt, in castris est mutatus, quẽ tamẽ semel nauata Reip. opera, & uno felici prælio recuperarunt. Nemo eorũ relegatus in exiliũ est, nemini spes emerẽdi stipẽdia est adẽpta: hostis deniq; est datus, cũ quo dimicantes, aut uitã semel aut ignominiã finirẽt. Nos (quib. nisi quòd cõmisimus ut quisquã ex Cannensi acie miles Ro. superesset, nihil obijci potest) nõ solũ à patria procul, Italiaq;, sed ab hoste etiã relegati sum⁹, ubi senescamus in exilio: ne qua spes ne qua occasio abolendæ ignominiæ, ne qua placãdæ ciuiũ iræ, ne qua deniq; bene moriendi sit. Neq;

ignominiæ finem, nec uirtutis præmium petimus, modo experiri animum, & uirtutem exercere liceat. Laborem & periculum petimus, ut uirorum, ut militum officio fungamur. Bellũ in Siciliam iam alterum annum ingenti dimicatione geritur: urbes alias Pœnus, alias Romanus expugnat. Peditum & equitum acies concurrunt, ad Syracusas terra mariq; res geritur: clamores pugnantium, crepitumq; armorum exaudimus resides ipsi & segnes, tanquam nec arma, nec manus habeamus. Seruorum legionibus T. Sempronius consul toties iam cũ hoste signis collatis pugnauit: operæprecium habent libertatem, ciuitatemq;. Prò seruis saltem ad hoc bellum emptis nobis simul congredi cũ hoste liceat, & pugnando quærere libertatem. Vis tu mari, uis terra, uis acie, uis uiribus oppugnandis experiri uirtutem? Asperrima quæq; ad laborem periculumq; deposcimus: ut quod ad Cannas faciundum fuit, quàmprimum fiat: quoniam quicquid postea uiximus, id omne destinatum ignominiæ est.

Consulem te.) Petitio est in id comparata, ut misera cõditio ea indignorũ in tolerabiliorẽ mutetur. Exorditur à re ipsa, & persona eorũ q petũt. Sine quæso.) patere, permitte. Diuisio. Si non deũm.) Syllogismo hypothetico nec cõsulũ nec militũ qui

ex pugna excesserant, culpa, Cannensem cladē contigisse longa oratione colligit. Equidem miles.) Iam à consequentibus uitio magistratuum non euenisse probat. De imperatore.) Terentio Varrone. Prorogatum.) *diffusum, protractum.* Honores petere.) *magistratus ambire, pro quo dicimus brigare.* Et prouincias.) Prouinciæ, regiones appellabantur iuris Romanorum, *sic dictæ, quod populus, inquit* Festus, Ro. *eas prouicit, id est ante uicit.* Magistratibus *primò sorte obueniebant, deinde decretæ suæ cuiq; à senatu. Quibus aut obuenissent, aut fuissent decretæ (his enim uocabulis à* Liuio *cæterisq; hæc ipsa tradita comperies) ij obtinere, quòd imperium in eas, opinor, haberent dicebantur.* An uobis.) Ab *iniquo & iniusto.* Ad Alliam.) Exemplis *ostendit, ita crudeliter de se consulendum non fuisse.* Cannensem uerò.) Alteram *disiuncti partem hic probare uidetur.* Quū captiuis.) Totus *hic locus amplificatione constat per comparationem.* Redēptio negabatur.) Hoc *loco illud notandum, quòd & olim si qui bello caperentur, hostes ut uolebant, certa pecunia æstimabant captiuorum capita, qua persoluta in patriam liberi restituebantur.* Vulgò *dicimus ransonare pro æstimare, ransonari pro æstimari: ransonatus pro æstimatus.* T. Liuius *supra in concione captiuorum*

uorum Redeam ego in patriam trecentis nummis nunc æstimatus ciuis? id est ransonatus. Ita æstimati, si æs persoluerent, dicebātur se redimere: hoc est ut uulgò dicimus soluere ransonum, siue ransonā. Hinc redemptio, uel pecunia illa qua redimebantur (dicitur uulgò ransonum, siue ransona) uel manumißio, siue uindicatio à seruitute. Hinc facile est comperire, æris summam in redemptionem uel datam uel negatam esse. Modo.) dummodo. Seruorum legio.) Ab opportuno. T. Sempronius.) Gracchus erat Sempronius. Hoc facile intelligi potest, si cui concionem CXVIII. legere placeat cū argumento. Vis tu mari.) A' uirtute, et diligentia. Destinatū.) asscriptum, imputatum.

Argumentum in CXXI.

Syracusani Hippocrate interfecto, Epicide ab Syracusis intercluso, occisis item præfectis Eucidis: tempus uenisse rati Romanis se reconciliandi, legatos de deditione ad Marcellum mittunt. Legati rem ita apud Marcellum egerunt.

Syracusanorum ad Marcellum de deditione oratio. CXXI.

NEque primo Syracusani à uobis defecimus, sed Hieronymus, neq; tam in uos impius, quàm in nos: nec postea pacem tyranni cæde compositam, Syracusanus quis-

quam, sed satellites regij Hippocrates atque Epicides oppressis nobis hinc metu, hinc fraude, turbauerũt: nec quisquam dicere potest, aliquã do nobis libertatis tẽpus fuisse, quod pacis uobiscum non fuerit. Nunc certe cæde eorum qui oppressas tenebant Syracusas, quum primum arbitrij nostri esse cœpimns, extẽplo uenimus ad tradenda arma, dedendos nos, urbem, mœnia: nullam recusandam fortunam, quæ imposita à uobis fuerit. Gloriam captæ nobilissimæ pulcherrimæque urbis Græcarum Dij tibi dederunt, Marcelle: quicquid unquam terra marique memorandum gessimus, id tui triumphi titulo accedit. Famæ ne credi malis, quanta urbs abs te capta sit, quàm posteris quoque eam spectaculo esse. Quò, quisquis terra, quisquis mari uenerit, nunc nostra de Atheniensibus Carthaginensibusque trophæa, nunc tua de nobis ostendat, incolumesque Syracusas familiæ uestræ, sub clientela nominis Marcellorum tutelaque habendas tradas, precor: ne plus apud uos Hieronymi, quàm Hieronis memoria momenti faciat. diutius ille multo amicus fuit, quàm hic hostis, & illius etiam benefacta præsensistis, huius amentia ad perniciem ipsius tantum ualuit.

Neque primo.) *Ratio se dedendi periculo instante, ubi præsertim qui se dedunt, defecisse ab ijs quibus se permittũt, credũtur. Suspicio defectionis inde*

inde à principio diluitur. Defecimus.) *desciuimus, transiuimus ad hostes, mutauimus fidem.* Tyranni cæde.) *quæ hac lege pacta erat, si tyrannus* Hieronymus *cæsus fuisset.* Arbitrij nostri.) *nostri iuris, compotes nostri.* Famæ ne credi.) Ne *particula enclitica non est, sed prohibendi uim subit.*

Argumentum in CXXII.

L. *Martius eques Romanus erat, sub Cn. Scipionis disciplina multis annis edoctus, ad quē cæsis duobus Scipionibus milites sine duce imperij summam detulerant. Is Asdrubalem uenire ad delendas exercitus Romani reliquias quum audiret, milites alios alia uoce Scipionum mortem deplorantes increpans, quòd non aliter quàm mulierum ritu flerent, ita inflammauit, ut armis sumptis in hostem incomposite præ fiducia uenientem uelut rabie accēsi incurrerent. Ac eoipso concursu iam eorum impreßiones atq; impetus hostis non sustinens, fuga elabebatur, quum Martius suos insequentes remoratur dato signo receptui. Hostes hac fuga nihilo diligentiores, intentioresq́;, reliquias tantum duorum exercituum deletorum rati, nec stationes in castris habebant, nec uigiliarum ordines. Quæ ubi Martio explorata fuerunt, tum demum init consilium noctu in castra hostium*

irrumpendi: uocataq́; concione, ita militũ animos præparauit.

L. Martij ad suos exhortatio. CXXII.

VEl mea erga imperatores nostros uiuos mortuosq́ pietas, uel præsens omniũ ueſtrûm, milites, fortuna fidem cuiuis facere poteſt, mihi hoc imperium ut amplum iudicio ueſtro, ita re ipſa graue ac ſolicitum eſſe. Quo enim tempore, niſi metus mœrorem obſtupefaceret, uix ita cõpos mei eſſem, ut aliqua ſolatia inuenire ægro animo poſſem, cogor ueſtram omnium uicem (quod difficillimum in luctu eſt) unus conſolari: & ne tum quidem ubi quonam modo has reliquias duorum exercituum patriæ conſeruare poſſim, cogitãdum eſt, auertere animum ab aſſiduo mœrore libet. Præſto eſt enim acerbà memoria, & Scipiones me ambo dies noctesq́ curis inſomnijsq́ agitant, & éxcitant ſæpe ſomno, neu ſe, neu inuictos per octo annos in his terris milites ſuos, commilitones ueſtros, neu Remp. patiar inultam: & ſuam diſciplinam, ſuaq́ inſtituta ſequi iubent: & ut imperijs uiuorum obedientior nemo me uno fuerit, ita poſt mortem ſuam quodquaq́ in re facturos illos fuiſſe maxime cenſeam, id optimum ducere uos quoq́ uelim milites, non lamentis lachrymisq́ tanquam extinctos proſequi, uiuunt enim, uigentq́ fama re-

rum gestarum. Sed quotiescunque occurret memoria illorum, uelut si adhortantes signumque dantes uideatis eos, ita prælia inite: nec alia profectò species hesterno die oculis animisque uestris oblata, memorabile illud edidit prælium, quo documentum dedistis hostibus, non cum Scipionibus extinctum esse nomen Romanũ: & cuius populi uis atque uirtus non obruta sit Cannensi clade, ex omni profectò sæuitia fortunæ emersuram esse. Nunc qui tantum ausi estis sponte uestra, experiri libet quantum audeatis duce uestro autore. Non enim hesterno die, quum signum receptui dedi sequentibus effuse uobis turbatum hostem, frangere audaciam uestram, sed differre in maiorem gloriam atque opportunitatem uolui: ut postmodũ præparati incautos, armati inermes atque etiam sopitos per occasionem aggredi possetis. Nec huius occasionis spem, milites, forte temere, sed ex re ipsa cõceptam habeo. A' uobis quoque profectò si quis quærat, quonã modo pauci à multis, uicti à uictoribus castra tutati sitis: nihil aliud respondeatis, quàm idipsum, timentes uos omnia & operibus firmata habuisse, & ipsos paratos instructosque fuisse. Et ita se res habet, ad id, quod ne timeatur, fortuna facit, minime tuti sunt homines: quia quod neglexeris, incautum atque apertum habeas. Nihil omnium nũc minus metuunt hostes, quàm ne obsessi mo-

do ipsi atq; oppugnati, castra sua ultro oppugnemus. Audeamus quod credi non potest au suros nos: eo ipso quod difficillimum uidetur, facillimum erit. Tertia uigilia noctis silenti agmine ducam uos, exploratum habeo, non uigiliarum ordinem, non stationes iustas esse. clamor in portis auditus, primus impetus castra ceperit. Tum inter tot torpidos somno, pauentesq; ad necopinatum tumultum, & inermes in cubilibus suis oppressos illa cædes edatur, à qua uos hesterno die reuocatos ægre ferebatis. Scio audax uideri consilium, sed in rebus asperis & tenuibus fortissima quæq; consilia tutissima sunt: quia si in occasionis momento, cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequicquam mox omissam queraris. Vnus exercitus in propinquo est, duo haud procul absunt: nunc aggredientibus par aliqua opportunitas est, & iam tentastis uestras atq; illorum uires. Si diem proferimus, & hesternæ eruptionis fama contenti desierimus, periculũ est ne omnes duces omnesq; copiæ conueniant. Tres deinde duces, tres exercitus sustinebimus hostiũ, quos Cn. Scipio incolumi exercitu non sustinuit. Vt diuidẽdo copias periere duces nostri, ita separati ac diuisi opprimi possunt hostes. Alia belli gerẽdi uia nulla est, proinde nihil præter noctis proximæ opportunitatẽ expectemus. Ite, Dijs bene iuuãtibus corpora curate

te, ut integri uigentesq́ eodem animo in castra hostium irrumpatis, quo uestra tutati estis.

Exhortatio ad irruptionem in hostes incautos, admixta consolationi. Exorditur *à difficultate imperij quod sibi delatum erat.* Fidem cuiuis *facere.) persuadere, & , quod uulgò dicimus, facere ad intelligendum, seu facere ad credendum.*

Compos *mei.) haberem ius in me, quod uulgò dicitur, uix mei dominus essem.* Vnus. *) solus.* Auertere *animum.) reuocare, abducere, retrahere.* Nec *alia.)* A' *laude militum.* Documentum *dedistis.) ostendistis, docuistis hostes, & quod uulgò dicimus, monstrastis.* Extin*ctum esse.) deletum, perijsse.* Non *enim.)* Di*luit præsumptione, quod militum animos frangere & debilitare poterat.* Signum *receptui dedi.)* Q*uemadmodum inituris prælium, signum dari pugnæ solet, ita quum excedendum esse uidet imperator, signo quodam dato excedere milites iubet.* Hoc *est quod signum receptui dare hic dicit, quod dici solet sonare ad retractum.* Concep*tam.) præuisam, & in animo destinatam.* Et *ita res habet.)* P*aradoxum uidetur.* E*xploratum habeo.)* A' *facili.* S*cio audax.)* A*nthypophora, cui sententia est admixta.* A*rgumentũ autem ab opportuno multis orationibus continuatur.* Q*uia*

si

si in occasionis.) Hoc pertinet ad primum aphorismum Hippocratis, quo occasionem præcipitem esse tradit. *Si diem proferimus) extrahimus, differimus.* A necessario & difficili. *Incolumi.) integro, saluo.* Vt integri.) recẽtes, recreati, refecti.

EX LIBRO SEXTO SECVNDI BELLI PVnici, qui XXVI.

Argumentum in CXXIII.

Annibal quum nec Capuam propter obsidionẽ Romanorum uenire posset, nec hostes congredi uellent: consilium Romæ obsidendæ, quod iamdiu animo conceperat, perficere placuit. Interim longa obsidione defatigati Campani, maxime transfugarum supplicio, consilium inibant dedendæ Romanis Capuæ. Ac quum hac de re sententiam omnes rogarentur, Vibius Virius, qui autor fuerat defectionis ab Romanis, rogatus sententiam, ita Campanorum animos à deditione auertere conabatur.

Vibij Virij Campani ad Campanos, ne se dederent Rom. concio. CXXIII.

531 QVid uos eam deditionem fore censetis, qua quondam, ut aduersus Samnites auxilium impetraremus, nos nostraq́; omnia Romanis dedimus? Iam è memoria ex

cessit

cessit, quo tempore, & in qua fortuna à populo Romano defecerimus? Iam quemadmodũ in defectione præsidium quod poterat emitti, per cruciatum & ad contumeliã necauerimus? quoties in obsidenteis quàm inimici eruperimus, castra oppugnauerimus? Annibalem uocauerimus ad opprimendos eos? hoc, quod recentissimum est, ad oppugnandam Romam hinc eum miserimus? Age contrà, quæ illi infestè in nos fecerint, repetite: ut ex eo, quid speretis, habeatis. Quum hostis alienigena in Italia esset, & Annibal hostis, & cuncta bello arderẽt omissis omnibus, omisso ipso Annibale, ambos consules, & duos consulares exercitus ad Capuam oppugnandam miserunt. Alterum annum circũuallatos, inclusosq; nos fame macerant, & ipsi nobiscum ultima pericula, grauissimos labores perpessi, circa uallum ac fossas sæpe trucidati, & prope ad extremum castris exuti. Sed omitto hæc. Vetus atque usitata res est, in oppugnãda hostium urbe labores ac pericula pati, illud iræ atq; odij execrabilis indicium est. Annibal ingentibus copijs peditum equitumq; castra oppugnauit, & ex parte cepit: tanto periculo nihil moti sunt ab obsidione. Profectus trans Vulturnum peussit Calenũ agrum; nihil tanta sociorũ clade auocati sunt. Ad ipsam urbem Romam infesta signa ferri iussit: eam quoq; tẽpestatem imminentẽ spre-

uerunt

uerunt. Transgressus Anienem, tria milia passuum ab Vrbe castra posuit, postremo ad mœnia ipsa & ad portas accessit. Romam se ademptu-rum eis, nisi ommitterent Capuam, ostendit, et non omiserũt. Feras bestias cæco impetu ac rabie concitatas, si ad cubilia & catulos earum ire pergas, ad opem suis ferendam auertas. Romanos Roma circunsessa, coniuges, liberi quorũ ploratus hic quoq; propè exaudiebantur: aræ, foci, Deorum delubra, sepulchra maiorum uulsa, temerata atq; uiolata, à Capua non auerterunt, tanta auiditas supplicij expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis. Nec iniuria forsitan, nos quoq; idem fecissemus, si data fortuna esset. Itaq; quando aliter Dijs immortalibus uisum est: quum mortem ne recusare quidem debeam, cruciatus, cõtumeliasq; quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte præterquàm honesta, etiã leui possum: non uidebor apud Claudium & Q. Fuluium uictoria insolenti subnixos: neq; uinctus per urbem Romam triumphi spectaculum trahar, ut deinde in carcerem, aut ad palum deligatus, lacerato uirgis tergo, ceruicem securi Romanæ subijciam: nec dirui incendiq; patriam uidebo, nec rapi ad stuprum matronas Campanas, uirginesq;, & ingenuos pueros. Albam, unde ipsi oriundi erant, è fundamentis proruerunt, ne stirpis, ne memoria originum suarum

exta-

extaret: nedum eos Capuæ parsuros credam, cui infestiores, quàm Carthagini sunt. Itaque quibus uestrûm antè fato cedere, quàm hæc tot & tã acerba uideant, in animo est: ijs apud me hodie epulæ instructæ paratæq; sunt, satiatis uino ciboq;, poculum idem quod mihi datum fuerit, circumferetur. Ea potio corpus à cruciatu, animum à contumelijs, oculos, aures à uidēdis audiēdisq; omnibus acerbis indignisq;, quę manent uictos, uindicabit. Postea parati erunt qui magno rogo in propatulo ædium accenso corpora exanima inijciant. Hæc una uia & honesta & libera ad mortem, & ipsi uirtutem mirabuntur hostes, & Annibal fortes socios sciet à se desertos ac proditos esse.

Quid uos.) *Dissuasio est deditionis faciendæ, ubi ab ijs qui se dedere uolunt, mala in ijs fuerunt, quibus deditio est facienda. Ante principium & alia iactata à* Liuio *referuntur.* Iam è memoria excessit.) *obliti estis, non recordamini. Ab antecedentibus.* Age contrà.) A' *malis dissuadet, quæ* Campanis *à* Romanis *extiterunt.* Illud iræ.) A' *consequentibus iram infestissimam* Romanorum *in Cāpanos demonstrat.* Feras bestias.) Exemplum *à minore, siue amplificatio per comparationem.* Deorum delubra.) Delubra *hic, opinor, uocat fustes delibratos, id est decorticatos,*

quos

quos, inquit Festus, pro Deo antiqui uenerabãtur.
Itaq; quando.) Nunc à malis quæ ex deditione secutura erant, dehortatur. Effugere.) uitare. Præterquam honesta.) Puto legendum præterquàm quod. Id enim particula Etiã indicare uidetur. Etiam leui.) tolerabili, facili, quæ sine magno malo irrepit. Subnixos.) fretos, confisos.
Matronas.) Matronam Gellius appellat, quæ quum in matrimonium cum uiro conuenerit, in eo matrimonio manet, etiam si nondum nati sint liberi. Plura forte infra eo loco quo de matrefamilias, & de matrona, dicentur. Albam, unde.) A' maiore probat non fore ut Capuæ Romani parcant.
Itaq; quibus.) Peroratio, qua consilium suum, quod attinet ad illa ipsa mala uitanda, exponit. Fato cedere.) oppetere mortem. Quæ manẽt.) futura sunt, expectant.

Argumentum in CXXIIII.

Missi erant Romã à Syracusanis oratores, qui de iniurijs illatis à Marcello, quum Syracusas cepit, conquererentur. Intromissi in senatum, inter alia etiam illud obijciebant, quòd Syracusas ui & armis, quàm deditione capere maluisset: principes ea causa ad se missos sæpe auersatus, re infecta remisisset, captam urbem spoliasset, mœnia domosq; diripuisset, bona singulis ademisset. De his questi

Mar-

Marcello præsente, quum iussi abirent, à Marcello reuocati sunt, quibus præsentibus, ita ut sequitur, se defendit.

M. Marcelli ad P. C. *defensio, seu recriminatio.* CXXIIII.

NOn adeo maiestatis populi Rom. imperijq; huius oblitus sum, P. C. ut si de meo crimine ambigeretur, consul dicturus causam accusantibus Græcis fuerim. Sed non quid ego fecerim, in disquisitionem uenit: sed quid isti pati debuerint, qui si non fuerunt hostes, nihil interest nunc, an uiuo Hierone Syracusas uiolauerim. Sin autem desciuerunt, legatos nostros ferro atq; armis petierũt, urbem ac mœnia clauserunt, exercitumq; Carthaginẽsium aduersus nos tutari sunt: quis passos esse hostilia, quum fecerint, indignatur? Tradentes urbem principes Syracusanorũ auersatus sum? Sosin & Mericum Hispanum, quibus tantam rem crederem, potiores habui? Non estis extremi Syracusanorum, quippe qui alijs humilitatẽ obijciatis. Quis est uestrûm, qui se mihi portas aperturum, qui armatos milites meos in urbem accepturum promiserit? Odistis & execramini eos qui fecerunt, & ne hic quidem contumelijs in eos dicendis parcitis, tantum abest ut & ipsi tale quicquam facturi fueritis. Ipsa humilitas eorum, P. C. quam isti obijciunt, maxi-

mo argumento est, me neminem qui nauatam operam Reip. nostræ uelit, auersatum esse: & antè quàm obsiderem Syracusas, nunc legatis mittendis, nunc ad colloquium eundo, tentaui pacem: & postea quàm neq; legatos uiolandi uerecundia erat, nec mihi ipsi congresso ad portas cum principibus responsum dabatur, multis terra mariq; exhaustis laboribus, tandem ui atque armis Syracusas cepi. Quę captis acciderint, apud Annibalē & Carthaginēses uictosq; iustius quàm apud uictoris populi Ro. senatū quererētur. Ego, P. C. Syracusas spoliatas si negaturus essem, nūquam spolijs earum urbem Romam exornarem. Quæ autem singulis uictor aut ademi, aut dedi, cum belli iure, tum ex cuiusq; merito satis scio me fecisse. Ea uos rata habeatis, P. C. necne, magis Reipub. interest quàm mea. Mea quippe fides exoluta est, ad Remp. pertinet, ne acta mea rescindēdo, alios in posterū segniores duces faciatis. Et quoniā coràm & Siculorum & mea uerba audistis, P. C. simul templo excedemus, ut me absente liberius consuli senatus possit.

Non adeò.) *Defensio est, siue recriminatio, in qua exordium petitur à rei persona, & forma accusationis.* Dicturus causam.) *Quid esset causam dicere, supra demonstraui: qua eadem in significatione*

tione etiamsi & hoc loco sumi poßit, uide tamen ne accipi poßit pro iudicium subire, culpasq; & fraudes actorum in magistratu præstare. Sed non.) Quid eo iudicio ueniat in controuersiam, exponit. Status huius causæ est qualitatis, utrum iure illa ipsa paßi sint Syracusani. Nam coniecturalis uideri posset, nisi factum confessum esset. In disquisitionem uenit.) Disquisitio uel Budæo interprete hic dicitur iudiciũ per opiniones, ut nunc loquimur, quum singuli de facto sententiã rogantur, id est quæritur opinio singulorum.
Qui si hostes.) Ab antecedentibus ostendit ea Syracusanis patienda fuisse, de quibus querebantur.
Odistis.) A' consequentibus diluit crimen obiectum. Parcitis.) abstinetis, temperatis, omittitis contumelijs impetere. Et antè quàm.) Ostendit Syracusas ita capi æquum fuisse, ab impio et indigno. Congreßo ad portas.) collocuto, ut uulgò dicitur, in portis, siue iuxta portas. Apud Annibalem.) quod uulgò dicitur, ad Annibalem, siue Annibali quererentur. Quod & de uerbis accusandi suprà admonui. Ego P.C.) A' consequentibus demonstrat se nunquam putaße fore ut uiolatio Syracusarum sibi uitio uerteretur. Tum ex cuiusq; merito.) Quod uulgò dicimus, secundum uniuscuiusq; meritum, aut demeritum. Aliàs omittit præ-

positionem. Meriti autem uocabulũ (ut id interim moneam) apud Liuium & cæteros probatos autores id quoq; continet, quod nos demeritum uulgò dicimus: atq; mereor, quod barbare dicunt demereor, id est facinus admittere & audere cui pœna debeatur. Ea uos rata.) fixa, firma, certa. Fides exoluta.) Fidem exoluere nunc significat præstare & efficere quòd promissum est, nunc quod dicimus de onerare conscientiam: qua significatione hic, opinor, sumitur. Nã fidem sumi posse pro conscientia, illud documentum dare potest, quòd sæpe legitur apud Liuium: Quæ è Rep. fide uestra uidebuntur, facite. Rescindendo.) antiquando, abolendo, & quod uulgò dicimus annullando & condemnando quæ egi: sed referantur in fastos & commentarios.

Coràm.) aduerbium est, itaq; nota grauis accentus signaui: significatq; in conspectu, in præsentia, siue quod uulgò dicimus præsentialiter.

Argumentum in CXXV.

P. Scipio is, cuius pater atq; patruus in Hispania interfecti fuerant, omnium centuriarum tribuum'ue consensu ante quartum & uigesimum annũ ad bellum Hispanicum imperator delectus erat. Iam uerò ad id tempus uetus exercitus patris atque patrui in Hispania manserat, ad quem Tarracone primo uere ueniens, quum Iberũ traiecturus esset,

ita

ita eius exercitus animos ad bellum præparauit.

P. Scipionis ad ueteres milites concio. 95.

NEmo ante me nouus imperator militibus suis prius quàm eorũ opera usus esset, gratias agere iure ac merito potuit, me uobis prius quàm prouinciam aut castra uiderem, obligauit fortuna: primum, quòd ea pietate erga patrem patruumq; meum uiuos mortuosq; fuistis: deinde, quod amissam tanta clade prouinciæ possessionem, integram & populo Ro. & successori mihi uirtute uestra obtinuistis. Sed quum iam benignitate Deûm id paremus, atq; agamus, nõ ut ipsi maneamus in Hispania, sed ne Pœni maneant, nec ut pro ripa Iberi stantes arceamus trãsitum hostis, sed ut ultro transeamus, transferamusq; bellum, uereor ne cui uestrûm maius id audaciusq; consiliũ quàm aut pro memoria cladium nuper acceptarum, ut pro ætate mea uideatur. Aduersæ pugnæ in Hispania, nullius in animo quàm meo minus obliterari possunt: quippe cui pater et patruus intra xxx dierũ spaciũ, ut aliud super aliud cumularetur familię nostrę funus, interfecti sunt. Sed ut familiaris penè orbitas ac solitudo frangit animum, ita publica cum fortuna tum uirtus desperare de summa rerum prohibet, eo fato, quo donata nobis sors est, ut magnis omnibus bellis uicti uicerimus. Vetera omitto, Por

ſenam, Gallos, Samnites, à Punicis bellis incipi am. Quot claſſes, quot duces, quot exercitus priore bello amiſſi ſunt? Iã quid hoc bello memorem? omnibus aut ipſe adfui cladibus, aut quibus abfui, maximè unus omnium eas ſenſi. Trebia, Traſimenus, Cannæ, quid aliud ſunt, quàm monumenta occiſorum exercituum, cõſulumq́ꝫ Romanorum? Adde defectionem Italiæ, Siciliæ, maioris partis Sardiniæ: adde ultimum terrorem ac pauorem, caſtra Punica inter Anienem & mœnia Romana poſita, & uiſum propè in portis uictorem Annibalẽ. In hac ruina rerum ſtetit una integra atqꝫ immobilis uirtus populi Romani, hæc omnia ſtrata humi erexit ac ſuſtulit. Vos omniũ primi, milites, poſt Cannenſem cladem uadenti Aſdrubali ad Alpes Italiãq́ꝫ (qui ſi ſe cũ fratre coniunxiſſet, nullum iam nomen eſſet populi Rom.) ductu auſpicioq́ꝫ patris mei obſtitiſtis, & hæ ſecundæ res illas aduerſas ſuſtinuerũt. Nũc benignitate Deûm omnia ſequunda, proſpera, indies lætiora ac meliora in Italia Siciliaq́ꝫ geruntur. In Sicilia Syracuſæ, Agrigentum captum, pulſi tota inſula hoſtes, receptaq́ꝫ prouincia in ditionem populi Ro. eſt. In Italia Arpi recepti, Capua capta, iter omne ab urbe Roma trepida fuga emenſus Annibal, in extremum angulum agri Brutii compulſus, nihil iam magis precatur Deos, quàm ut incolumi cedere atqꝫ abire ex hoſtium

terra liceat. Quid igitur minus conueniat, mili tes, quàm quum aliæ super alias clades cumula rentur, ac Dij propè ipsi cũ Annibale starent, uos hic cum parentibus meis (æquentur enim ipsi etiam honore nominis) sustinuisse labantẽ fortunam populi Romani: nunc eosdem, quia illic omnia secunda lætaq; sunt, animis defice re? Nuper quoq; quę acciderunt, utinam tam si ne meo luctu, quàm uestro transissent. Nunc Dij immortales imperij Rom. præsides, qui cẽ turijs omnibus ut mihi imperium iuberent da ri, fuere autores, ijdẽ augurijs, auspicijs, & per nocturnos etiam uisus omnia læta & prospe- ra portendunt. Animus quoq; meus, animus mihi ad hoc tempus uates, præsagit nostrã Hi- spaniam esse breui tempore, hinc omne Puni- cum nomen maria terrasq; fœda fuga imple- turum. Quod mens sua sponte diuinat, idem subijcit ratio haud fallax. Vexati ab ijs socij, no stram fidem per legatos implorant. Tres duces discrepantes, propè ut defecerint alij ab alijs, trifariam exercitus in diuersissimas regiones di straxere. Eadem in uiros ingruit fortuna, quæ nuper nos afflixit. Nam & deseruntur à socijs, ut prius ab Celtiberis nos: & deduxerunt ex- ercitus, quæ patri patruoq; meo causa exitij fuit: nec discordia intestina coire eos in u- num sinet, neque singuli nobis resistere pote- runt. Vos modo, milites, fauete nomini Sci-

pionum, soboli imperatorum uestrorum, uelut accisis recrescenti stirpibus. Agite, ueteres milites, nouum exercitũ, nouumq́ ducem traducite Iberum, traducite in terras cum multis fortibus factis sæpe à uobis peragratas: breui faciã, ut quemadmodum nũc noscitatis in me patris patruiq́ similitudinem oris uultusq́, & liniamenta corporis: ita ingenij, fidei, uirtutisq́ exẽplum ac effigiem uobis reddã, ut reuixisse, aut renatũ sibi quisq; Scipionem imperatorẽ dicat.

Nemo ante me.) *Exhortatio est ad bellum transferendum. Exordium sumitur à persona eius qui dicit, & ab incidente re.* Sed quum iam.) *Propositio est eius rei, ad quam exhortari uelit militum animos.* Id paremus, atq; agamus.) *instruamus, conemur, efficiamus, & curemus.* Pro ripa.) *in ripa, uel iuxta ripam.* Arceamus.) *prohibeamus ne transire poßint.* Vereor ne cui.) *Occulta quadam arte id occupat, quod à re qua suadebatur, militum animos auertere potuisset. Longa postea serie illud ipsum ita diluit, ut hoc ipso magis accendi debere uideantur.* Aliud super aliud.) *Id Liuio est peculiare, ut quum res duas plures'ue eiusdem præsertim generis continenter, aut breui interuallo euenisse dicturus est, aliam super aliã contigisse scribat. Alibi fortaßis plura de hoc genere admonebimus.* Sed ut familiaris.) *Ex hoc loco multis ex-*

emplis

emplis ostensurus est iam tum rem Romanam à cladibus omniũ maximis semper erectam esse. Vos omnium primi.) A' laude militum. Nunc benignitate.) A' sequundis rebus. Quid igitur.) A' minore. Nunc Dij.) A' Deorum responsis et augurijs. Vexati ab ijs.) A' spe, facili, & opportuno. Nostram fidem.) auxilium petunt. Ingruit.) sæuit. Deduxerunt.) diuiserunt, separauerunt. Quæ patri.) P. & Cn. Scipiones bifariã copias diuiserant, ita rati fore, ut totius Hispaniæ bellum amplecterentur. Quæ fuit causa, ut hostes militum paucitate adducti, eos ultro aggrederẽtur, quibus prælijs triginta dierũ spacio interfecti sunt. Vos modo.) tantum. Peroratio. Lineamenta corporis.) figuram, protractiones. Vobis reddam.) exprimam, referam, repræsentem.

Argumentum in CXXVI.

Traiecto Ibero P. Scipio Carthaginem nouam oppugnare statuerat: iamq; ab ea non ita longum iter aberat, quum inscijs omnibus, præter unum Lælium quò proficisci pararet: concione aduocata ad oppugnationem urbis ita milites exhortatus est.

P. Scipionis ad milites concio. CXXVI. 536

AD urbem unam oppugnandam si quis uos adductos credit, is magis operis uestri, quàm emolumenti rationem exa-

ctam, milites, habet. Oppugnabitis enim uerè mœnia unius urbis, sed in una urbe uniuersam ceperitis Hispaniam. Hic sunt obsides omnium nobilium Regum, Populorumque: qui simul in potestate uestra erunt, extemplo omnia quæ nunc sub Carthaginensibus sunt, in ditionem nostram tradent. Hic pecunia omnis hostium, sine qua neque illi gerere bellum possunt, quippe qui mercenarios exercitus alant, & quę nobis maximo usui ad conciliandos animos barbarorum erit. Hic tormenta, arma, omnis apparatus belli est, qui simul uos instruet, et hostes nudabit. Potiemur præterea cum pucherrima opulentissimaque urbe, tum opportunissima portu egregio, unde terra marique quæ belli usus poscunt, suppeditentur: quæ quum magna ipsi habebimus, tum dempserimus hostibus multo maiora. Hæc illis arx, hæc horreum, ærarium, armamentarium, hæc omnium rerũ receptaculum est: hinc rectus ex Africa cursus est, hæc una inter Pyrenæum & Gades statio, hinc omnis Hispania imminet Africæ. Sed quoniam uos instructos & ordinatos cognosco, ad Carthaginem nouam oppugnandam totis uiribus & bono animo transeamus.

Ad urbẽ unam.) Exhortatio ad oppugnationẽ urbis nobilißimæ. Exorditur à re ipsa. A spe modo adhor-

adhortatur. Mercenarios.)mercede conductos. Omnis apparatus.) quæcunq; ad bellũ sunt opus, bello sunt necessaria. Potiemur] præterea.) Ab usu & opportunitate urbis, ubi Carthago scite describitur. Aerarium.) Aerarium à fisco hac re differt, quod ærarium pecuniam publicam & imperij significat, fiscus autem imperatoris, Author Budæus. Aerarium etiam repositorium & receptaculum eius pecuniæ dicitur: uulgo ærarium appellamus nunc thesaurum, nunc truncum. Armamentarium.) locus est armis nauticisq; instrumentis reponendis destinatus. Hinc rectus.) Huc potius legendũ est, quàm aut hinc, aut huic: ut dicatur cursus esse rectus ex Africa Carthaginem. Instructos.)paratos.

Argumentum in CXXVI.

Hoc ad priorẽ orationẽ pertinet. Capta Carthagine noua, quũ inter recẽsendos obsides nomina ciuitatũ acciperet Scipio, mißis nuncijs admonebat obsidũ parẽtes, ut ad suos quisq; recipiẽdos Carthaginẽ uenirẽt. Adducta ad eum tum fuit adulta uirgo eximiæ atq; spectatæ formæ, ex qua percontatus ipse patriã & parẽtes, quũ acciperet eam desponsatam Luceio adolescenti Celtiberorũ principi, extemplo parentes, sponsumq; acciri iubet. Vbi primum sponsus uenit, hoc eum sermone alloquitur.

P. Sci-

P. Scipionis uerba ad Luceium Celtiberorum principem, quando ei sponsam reddidit. CXXVII.

IVuenis iuuenem appello, minor sit inter nos huius sermonis uerecundia. Ego, quũ sponsa tua uocata à militibus nostris ad me deducta esset, audiremq́; eam tibi cordi esse & forma faceret fidem; quia ipse, si frui liceret, ludo ætatis præsertim illecto, & læto legitimoq́; amore, & non Resp. animum nostrum occupasset, ueniam mihi dari sponsam impensius amanti uellem: tuo, cuius sponsa est, amori faueo. Fuit sponsa tua apud me, eadem, qua apud soceros tuos, parentesq́; suos, uerecũdia. seruata est tibi, ut inuiolatum, & dignum me teq́; dari tibi donum posset. Hanc mercedẽ unam pro eo mnnere paciscor, amicus populi Rom. sis; & si me uirum bonũ credis esse, qualem patrem patruumq́; meũ iam antè hæ gentes norant, scias multos nostri similes in ciuitate Romana esse, nec ullum in terris populum hodie dici posse, quem minus tibi hostẽ tuisq́; esse uelis, aut amicum malis.

EX LIBRO SEPTIMO SECVNDI BELLI PVnici, qui XXVII.

Argumentum in CXXVIII.

Canusinos Annibal ad defectionem solicitans,

quum

quum Marcellum aduersus se contendere audiret, tum castra inde mouere cœpit. Marcellus eum breui interuallo consecutus, tandem nihil magis quàm iustum prælium detrectantem, ad id quod uitabat certamen traxit. Vesperi congressos, æquo Marte nox diremit. Postero die utrinq; concursum est: fusi Romani primum, deinde fugati cæsis milibus duobus & septingentis. Ex ea pugna qui restiterant, in castra receptos Marcellus ita obiurgauit.

M. Marcelli ad suos concio. CXXVIII. 537

DIis immortalibus, ut in tali re, laudes gratesq; ago, quod uictor hostis, cum tanto pauore incidentibus uobis in uallum portasq;, nõ ipsa castra est aggressus. Deseruissetis profectò eodem terrore castra, quo omisistis pugnam. Qui pauor hic, qui terror? quæ repente, qui, & cum quibus pugnaretis, obliuio animos cepit? Nempe iidem sunt ii hostes, quos uincendo, & uictos sequendo, priore æstate absumpsistis: quibus dies noctesq; fugientibus, per hos dies institistis, quos leuibus prælijs fugastis: quos hesterno die nec iter facere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea quibus gloriari potestis: & cuius ipsius pudere ac pœnitere uos oportet, referam, nempe æquis manibus hesterna die diremistis pugnam. Quid hæc nox, quid hæc dies abstulit? Vestræ his copiæ

piæ imminutæ sunt, an illorum auctæ? Non equidē mihi cum exercitu meo loqui uideor, nec cum Romanis militibus, corpora tantū atque arma eadem sunt. An si eosdem animos habuissetis, terga uestra uidisset hostis, signa alicui manipulo aut cohorti abstulisset? Non adhuc cæsis Romanis legionibus gloriabatur, uos illi hodierno die primum fugati exercitus dedistis decus.

Dijs immortalibus.) Increpat Marcellus milites, quod fugiendo hosti cessissent. A' gratiarum actione pro periculo, quod quum ex fuga illa secuturum uideretur, non ceciderat, exorditur. Qui pauor hic.) A' circunstantijs neglectis obiurgat.

Priore æstate.) superiore, proxima, quod barbari dicunt, ultimate præterita. Institistis.) Instare, modo imminere, ut alibi dixit, periculo instanti: nunc urgere, premere, impellere significat, ut hoc loco. Vulgo in hac significatione dicimus ducere de prope aliquem, pro quo dicendū, instare alicui. Præcipit Fabius, ne præceptor à principijs puero instet. Sunt & argumenta, quibus acerrimè instatur, cuiusmodi sunt demonstrationes, & si qua sunt alia, quæ refelli non possunt. Leuibus prælijs.) Leuia prælia dicuntur, quibus non totus toti exercitus, sed pars per occasionem pari sine legitima forma opponitur. Dicuntur & certamina leuia,

nia, & pugnæ leues. Aequis manibus.) æquo Marte, quum essetis hostibus pares. Diremistis.) abstulistis, subtraxistis pugnandi copiam, turbastis legitimam pugnandi rationem, aut omisistis.

Argumentum in CXXIX.

Hoc cū proximo coniunctū est. Milites quū iure se à Marcello obiurgatos intelligerent, clamore sublato precabantur atq; orabant, ut eius modò pugnæ gratiam faceret, ita ubi uellet, militum suorum animos experturum. Tum Marcellus in aciem eos se educturum postero die dicit, ubi uictores potius quàm uicti ueniam impetrarent. Postero die, ut iussi erant, armati conueniunt. Quod ubi ad Annibalem allatū est, tum in hæc uerba suos præparauit.

Annibalis ad suos uerba. CXXIX.

CVm eo nimirū hoste res est, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam potest. Seu uicit, ferociter instat uictis: seu uictus est, instaurat cum uictoribus certamen.

EX LIBRO OCTAVO SECVNDI BELLI PVnici, qui XXVIII.

Argumentum in CXXX.

Sucrone ad præsidium octo milia militū relicta erant. Ii nimia primum licētia ex diutino otio collecta, deinde audita morte (incertis autoribus) Scipionis

pionis imperatoris, seditionem mouent. Ac primũ tribunos quum uiderent non modo in sententiam suam non descendere uelle, sed ijs quæ conabantur, obuiam ire, ex castris fugant. Tum ad principes seditionis gregarios milites C. Albium Calenum, & C. Actium Vmbrium, communi consensu imperij summam deferunt: qui tribunitijs ornamentis non contenti, summi etiam magistratus insignia, ut fasces, ut secures assumunt. Non ita multo pòst nũcij certi & uiuere Scipionem et ualere afferunt: quæ res ita omnium animos discruciabat, ut iam imperatores ipsi sua insignia exhorrerent: uulgus tantũ iactaret id factum esse, quòd non ad diem ipsum stipendia data & impensa essent. Carthaginem deinde interiectis aliquot diebus seditiosi omnes ingreßi, postero die uocati ad concionem à Scipione, hac concione reprehensi sunt, duces & autores capitali supplicio damnati.

538

P. Scipionis ad milites concio. CXXX.

NVnquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer, credidi: nõ quod uerba unquã potius, quàm res exercuerim, sed quia propè à pueritia in castris habitus, assueueram militaribus ingenijs. Apud uos quemadmodũ loquar, nec consiliũ, nec oratio suppeditat: quos ne quo nomine quidem

dem appellare debeam, ſcio: Ciues? qui à patria ueſtra deſciuiſtis? An milites? qui imperium auſpiciumq́; abnuiſtis, ſacramenti religionem rupiſtis? Hoſtes? corpora, ora, ueſtitum, habitum ciuium agnoſco: facta, dicta, cõſilia, animos hoſtium uideo. Quid enim uos, niſi quod Illergetes & Lacetani, aut optaſtis aliud, aut ſperaſtis? Et illi tamen Mandonium atque Indibilem regiæ nobilitatis uiros duces furoris ſecuti ſunt, uos auſpicium & imperium ad Vmbrium Actium & Calenũ Albium detuliſtis. Negate uos id omnes feciſſe, aut factum uoluiſſe, milites: paucorum eum furorem atque amentiam eſſe libenter credam negantibus. Nec enim ea ſunt commiſſa, quæ uulgata in omnem exercitum ſine piaculis ingentibus expiari poſsint. Inuitus ea tanquam uulnera attingo, ſed niſi tacta tractataq́; ſanari non poſſunt. Equidẽ pulſis Hiſpania Carthaginenſibus, nullum locum tota prouincia, nullos homines credebã eſſe, ubi uita inuiſa eſſet mea, ſic me non ſolum aduerſus ſocios geſſeram, ſed etiam aduerſus hoſtes. In caſtris meis (heu quantum me opinio fefellit) fama mortis meæ non accepta ſolum, ſed etiã expectata eſt: nõ quod ego uulgari facinus per omnes uelim: (Equidem ſi totum exercitũ meũ mortem mihi optare crederem, hic ſtatim ante oculos ueſtros morerer, nec me uita iuuaret inuiſa ciuibus & militibus meis) ſed multitudo

omnis, ſicut natura maris, per ſe immobilis eſt, ut uenti & auræ cient, ita aut tranquillum, aut procellæ in uobis ſunt: & cauſa atq; origo omnis furoris penes autores eſt, uos cõtagione inſaniſtis. Quin mihi ne hodie quidẽ ſcire uidemini, quò amentiæ progreſsi ſitis, quid facinoris in me, quid in patriã, parentesq́; ac liberos ueſtros, quid in Deos ſacramenti teſtes, quid aduerſus auſpicia, ſub quib. militatis, quid aduerſus morem militiæ, diſciplinamq́; maiorũ, quid aduerſus ſummi imperij maieſtatem auſi ſitis. De meipſo taceo, temerè potius, quàm auide crediderítis, is deniq; ego ſim, cuius imperij tædere exercitũ minimè mirandũ ſit. Patria quid de uobis meruerat? quã cum Macedonio & Indibili conſociando conſilia, prodebatis? Quid pop. Romanus? cuius imperiũ ablatũ ab tribunis ſuffragio populi creatis, ad homines priuatos detuliſtis? quum eo ipſo nõ contenti, ſi pro tribunis illos haberetis, faſces Imperatoris ueſtri ad eos, quibus ſeruus cui imperarent, nunquam fuerat, Romanus exercitus detuliſtis. In prætorio tetenderunt Albius & Actius, claſsicum apud eos cecinit, ſignum ab ijs petitũ eſt, ſederunt in tribunali proconſulis P. Scipionis, lictor apparuit, ſummouente eo inceſſerunt, faſces cum ſecuribus prælati ſunt. Lapides pluere, & fulmina iaci de cœlo, & inſuetos fœtus animalia edere, uos portenta eſſe putatis? Hoc

eſt

est portentum, quod nullis hostijs, nullis supplicationibus sine sanguine eorum, qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit. Atque ego quanquam nullum scelus rationem habet, tamen ut in re nefaria, quæ mens, quod consilium uestrum fuerit, scire uelim. Rhegiũ quondam in præsidium missa legio, interfectis per scelus principibus ciuitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit, propter quod facinus tota legio, milia hominũ quatuor, in foro Romano securi percussi sunt. Sed illi tamen non actium Vmbrium, semilixam, nominis etiam abominandi ducem, sed Decium Iubellium tribunum militum secuti sunt, nec cum Pyrrho, nec cum Samnitibus aut Lucanis hostibus populi Rom. se coniunxerant, uos cum Mandonio & Indibili consilia communicastis, & arma consociaturi fuistis. Illi sicut Campani Capuam Tuscis ueteribus cultoribus ademptam, Mamertini in Sicilia Messanam: sic tum Rhegium habituri perpetuam sedem erant, nec populum Romanum, nec socios populi Romani ultro lacessituri bello. Sucronem'ne uos domicilium habituri eratis? Vbi si uos decedens confecta prouincia Imperator relinquerem, Deûm hominumq; fidem implorare debebatis, quod non rediretis ad coniuges, liberosq; uestros. Sed horum quoq; memoriã sicut patriæ, meiq;, eieceratis ex animis uestris. Viam

consilij scelerati, sed non ad ultimum dementis, exequi uolo. Me'ne uiuo, & cætero incolumi exercitu, cum quo ego die uno Carthaginē cepi, cum quo quatuor imperatores, quatuor exercitus Carthaginensiū fudi, fugaui, Hispania expuli, uos octo milia hominum, maioris certè omnes precij, quàm Albius & Vmbrius sunt, quibus uos subiecistis, Hispaniam prouinciam populo Rom. erepturi eratis? Amolior & amoueo nomen meum, nihil ultra facilè creditam mortem meam à uobis uiolatus sim: quid si ego morerer? mecum expiratura Respub. mecū casurum imperium populi Rom. erat? Ne istud Iupiter optimus maximus sinat, Vrbem auspicatò Dijs autoribus in æternum cōditam, huic fragili & mortali corpori æqualem esse. Flaminio, Paulo Aemilio, Graccho, Posthumio Albino, M. Marcello, T. Q. Crispino, C. Fuluio, Scipionibus meis, tot tam pręclaris imperatoribus uno bello absumptis superstes est populus Romanus, eritq; mille alijs nunc ferro, nunc morbo morientib. meo unius funere elata respub. esset? Vosipsi hic in Hispania patre & patruo meo duobus imperatoribus interfectis, Septimium Martiū ducem uobis aduersus exultantes recenti uictoria Pœnos delegistis, & (sic loquor tanquam sine duce Hispaniæ futuræ fuerint) M. Syllanus eodem iure, eodem imperio mecum in prouinciam missus, L. Scipio frater

meus,

meus, & C. Lælius legati, uindices maiestatis imperij deessent? Vtrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an causa comparari poterat? Quibus si omnibus superiores essetis, arma contra patriam, contra ciues uestros ferretis? Africam Italiæ, Carthaginem urbi Romę imperare uelletis? Quam ob noxam patrię? Coriolanum quondam damnatio iniusta, miserum & indignum exilium, ut iret ad oppugnandam patriam, impulit, reuocauit tamen publico parricidio priuata pietas. Vos, qui dolor, quæ ira incitauit? Stipendium'ne diebus paucis Imperatore ægro serius numeratum, satis digna causa fuit, cur patriæ indiceretis bellũ? cur ad Illergetes descisceretis à populo Romano? cur nihil diuinarũ humanarũ'ue rerum inuiolatum uobis esset? Insanistis profectò, milites, nec maior in corpus meũ uis morbi, quàm in uestras mentes inuasit. Horret animus referre quid crediderint homines, quid sperauerint, quid optauerint: auferat omnia irrita obliuio, si potest: si non, utcunque silentium tegat. Non negauerim tristem atrocemq; uobis uisam orationem meam. Quanto creditis facta uestra atrociora esse, quàm dicta mea? & me, quæ fecistis, pati æquum censetis, uos ne dici quidem omnia æqua animo feretis. Sed ne ea quidẽ ipsa ultra exprobrabũtur, utinam tam facilè uos obliuiscamini eorũ, quàm ego obliuiscar. Itaq;

quod ad uos uniuersos attinet, si erroris pœnitet, satis superq; pœnarum habeo. Albius Calenus, & Actius Vmbrius, & cęteri nefariæ seditionis autores sanguine luent, quod admiserunt. Vobis supplicij eorũ spectaculũ non modo nõ acerbum, sed lætũ etiam, si sana mens redijt, debet esse. De nullis enim, quàm de uobis infestius aut inimicius consuluerunt.

Nunquam mihi.) Obiurgatio est acris & uehemens, unde licebit petere rationem eos increpandi & accusandi, qui aduersus Remp. & magistratũ etiã summũ ausi fuerint facinus. Ab indignitate atque atrocitate rei exorditur. Exercuerim.) coluerim, uersatus sim magis in uerborũ ratione, q̃ rerũ. Ciues? qui.) Totus hic locus à diuisione ducitur. Interrogatio est per indignationẽ, qua dißimilitudo personarũ ostẽditur, atq; eo ipso, Fabio autore, in antitheton cadit. Sacramenti religionẽ) Quod esset sacramentũ sacramentiq; religio militantibus, Liuius secundo, & uigesimo libro in hæc uerba ostendit. Milites tũc, quod nunquã antea factũ erat, iureiurando à tribunis militũ adacti iussu consulũ conuẽturos, neq; iniussu abituros. Nam ad eã diem nihil præter sacramentũ fuerat: & ubi ad decuriatum & centuriatum conuenissent, sua uoluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites coniura-

iurabāt, ſeſe fugæ aut formidinis cauſa non abituros, neq; ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi, aut petendi, aut hoſtis feriēdi, aut ciuis ſeruandi cauſa. Id ex uoluntario inter ipſos fœdere à tribunis ad legitimam iuriſiurandi adactionem translatum. Hæc Liuius. Milites autem Scipionis hoc ipſo religionem ſacramenti ruperunt, atque ſoluerunt, quod ab tribunis ad milites gregarios imperium tranſtuliſſent, nec imperio tribunorum parêre, & ſub ductu eorum militare uoluiſſent. Quid enim.) À maiore exemplum. Mandonium atque.) Ii erant Hiſpani, qui quum animis deſtinaſſent regnum ſibi Hiſpaniæ deberi, ſi modo Carthaginenſes inde expellerentur, eaq́; res parum procederet: Lacetanis, Celtiberiæq́; iuuenibus concitatis, ſociorum populi Romani agros incurſionibus peruaſtabant.

Inuitus ea.) Anthypophora. Similitudo à uulneribus. Aduerſus ſocios geſſeram.) eum me ſocijs præbuerā, præſtiteram, exhibuerā. Hîc aduerſus in bonū accipitur pro erga. Expectata) optata, cupita. Vulgari.) ſerpere, ſpargi: nō omnes eius facinoris cōſcios dicere uelim. Nec me uita iuuaret.) iucūda uita nō eſſet, nō iucundū eſſet uiuere. Iuuo hîc perſonale eſt, ſignificatq́; iucūditatē afferre, ſeu uoluptate afficere: unde iucundū naſcitur, ſæpius in uoce imperſonali uſurpatur. Sed multitudo.)

Hic ſcitè pingit & deſcribit ingenium multitudinis. Penes autores.)in autores,& ut loquimur, inuentores: facinoris competit, ijs à quibus huius mali origo uenit,aſcribitur,imputatur:aut certè in ijs ſubſiſtit & manet. Vos contagione.) Contagio morbus eſt, aut uitium, quod conſuetudine ac conuerſatione contrahitur. Quin mihi.)Metabole eſt, qua congeruntur crimina omnia caput ipſum conſecuta,quo atrocior res & indignior appareat. deinde ſingula perſequitur. Quò amentiæ progreßi.)in quam amentiā,ſiue, ut loquimur, beſtialitatem & ſtoliditatem proceſſeritis,ueneritis. Sacramenti teſtes.) quod ceu conceptis uerbis iuraſſent,quo iureiurando, ut cæteris quoq;,ſententia Theologorum,& iuriſperitorum, Dij teſtes eorum,quæ ſe facturos iurarant, conuocati eſſent. Nam iuſiurandum affirmatio eſt religioſa aut negatio,ſacræ rei atteſtatione interpoſita, facta. Nam iuramentum nuſquam apud autorem probatum inueniri poſſe puto. De me ipſo.) Hic locus maiuſcula litera notari debet,unde uniuerſa ſigillatim exaggerare incipit. Is deniq; ego ſim.) fingar ego is eſſe. Quid de uobis meruerat.) Hic ſumitur in malum: quod uulgo dicimus, quid erga uos demeruerat? Totus hic locus exaggeratione cōſtat. Detuliſtis.)tranſtuliſtis,obtuliſtis. Romanus exer

citus.)

citus.) uos ſcilicet, qui eſtis Romanus exercitus. Euocatio eſt. In prætorio.) in tabernaculo prætoris, id eſt, Imperatoris. Is enim cui exercitus parebat, & Imperator & prætor dicebatur. In tribunali.) Tribunal, autore Pædiano, ſedes erat quæ propriè ad iudices referebatur, ſed eos duntaxat, qui iudicijs maioribus præerant, modo in ſellis curulibus non ſederent. Subſellia uerò ad iudices minorum iudiciorum referebantur. Hoc loco tribunal ſumitur pro ſede ea, ex qua Imperator concionem ad milites habebat. Proconſulis.) Proconſul erat, qui in prouincia conſulis uice fungebatur. Ac tempus fuit, ſicut quartam Decada Liuij legenti conſtare poteſt, quum qui annum conſulatũ geſſiſſent, inſequenti proconſules in prouincijs manerent. Plura, qui uolet, Feneſtella ſuppeditabit. Inſuetos fœtus.) inſolitos, qui præter communem naturam eduntur. Lapides.) A' minore. Nullis hoſtijs.) uictimis. Hoſtia enim dicitur, quicquid poſtquam mortuum occiſumq́; erat, immolabatur: ab hoſtiendo, id eſt, feriendo dicta, quod feriri ſoleret ſaxo, aut qua alia re. Nullis ſupplicationibus) proceßionibus, quas uocant. Decernebantur autem in duos uſus, & lætitiæ publicæ gratia, quum imperatores de hoſtibus triumphum inſperatũ tuliſſent: & expiandi facinoris aut mali ominis, aliorumq́;

eius generis gratia. Expiari.) purgari, deleri.

Rationem habet.) à ratione proficiſcitur, aut cauſam habet, qua defendi poßit. Nam ratio nũc dicitur portio illa nobis à Deo data, qua quid ſequendum, quid'ue fugiendum ſit, diſcernimus, quæ mens aliàs, aliàs intellectus ab Ariſtotele appellatur, nũc pro iudicio mentis ſanæ ſumitur: nunc ratio eſt, ut Quintilianus exponit, qua quod factũ eſſe conſtat, defenditur, quomodo hic ſumi uidetur. Rhegiũ quondam) Amplificatio per comparationem. Id factum eſſe ante primum bellum Punicum, ex epitome L. Flori in XV. ab Vrbe condita facilè intelligi poteſt. Semilixã.) gregarium militẽ. Lixa, autore Feſto, dicebatur, qui exercitũ ſequebatur quæſtus gratia, ita dictus, quod extra ordinẽ ſit militiæ, uel à Lica, qui Herculẽ ſecutus eſt. uel à liguriẽdo quæſtum. Semilixã hic per contemptũ appellat. Me ne uiuo.) Amplificatione prr comparationẽ totus hic locus conſtat. Aequalẽ eſſe.) quæ non diutius ſtet atq; maneat, q̃ hoc corpus. Vno bello.) ſecundo Punico. Coriolanũ.) Ab impari, & maiore.

Argumentum in CXXXI.

Secundum bellum Punicum ſuſceptũ erat nomine Saguntinorũ, quorum oppidum quum Annibal ſumma ui oppugnaret, mißis Romam oratoribus auxilium ſocij aduerſus Pœnos petiuerunt. Anni-

bali uerò, quum legationibus factis eo nomine multis, nihilominus in oppugnando perstaret, autoritate senatus bellum fuit indictum. Ita quicquid gestũ, quantuncunq; cladium & incommodorũ acceptũ erat, nomine ac causa ipsorum acceptũ. Itaq; ne ingrati meritò ac iure uideri diciq; possent, in sequundis rebus suis & Romanorũ legatos Romam mittunt, qui pro tot beneficijs gratias agerent, gratularenturq; bellum illud feliciter tãdem successisse. Ii in senatum introducti, sic locuti sunt.

Saguntinorum ad P. C. *in senatu oratio.* CXXXI.

ETsi nihil ultrà malorum est, P. C. quàm quod passi sumus, ut ad ultimum fidem uobis præstaremus, tamen ea uestra merita imperatorumq; uestrorũ erga nos fuerunt, ut nos cladium nostrarũ non pœniteat. Bellum propter nos suscepistis, susceptumq; quartum decimum annum tam pertinaciter geritis, ut sæpe ad ultimum discrimen & ipsi ueneritis, & populum Carthaginensem adduxeritis. Quũ in Italia tam atrox bellum, & Annibalem hostẽ haberetis, consules cum exercitu in Hispaniam uelut ad colligendas reliquias naufragij nostri misistis. P. & Cn. Cornelij, ex quo in prouinciam uenerunt, nullo tempore destiterunt, quæ nobis sequunda, quæq; aduersa hostibus nostris

nostris essent, facere. Iam omnium primum oppidum nobis restituerunt, per omnem Hispaniam ciues nostros uenundatos, dimissis qui conquirerent, ex seruitute in libertatem restituerunt. Cum iam propè esset, ut optabilē eam ex miserrima fortunam haberemus, P. & Cn. Cornelij imperatores uestri luctuosius nobis propè, quàm uobis perierūt. Tum uerò ad hoc retracti ex distantibus locis in sedem antiquam uidebamur, ut iterū periremus, et alterum excidium patriæ uideremus, nec ad perniciem nostram Carthaginensi utiq;, aut duce aut exercitu opus esse, ab Turdetanis ueterrimis hostib. qui prioris quoq; excidij nobis causa fuerant, extingui posse: quum ex insperato repente nobis misistis hunc P. Scipionem: quem, fortunatissimi omnium Saguntinorum uidemur, quia consulem declaratum uidemus: ac uidisse nos ciuibus nostris renunciaturi sumus, spem, opē, salutemq; nostram, qui quum plurimas hostiū uestrorum in Hispania cepisset urbes, ubiq; ex captorum numero exceptos Saguntinos in patriam remisit. Postremo Turdetaniam adeo infestā nobis, ut illa gente incolumi stare Saguntum non posset, ita bello afflixit, ut non modo nobis (absit uerbo inuidia) sed ne posteris quidem timenda nostris esset. Deletam urbem cernimus eorum, quorum in gratiam Saguntum deleuerat Annibal. Vectigal ex agro eorum ca

pimus,

pimus, quod nobis non tam fructu iucundius est, quàm ultione. Ob hæc, quibus maiora nec sperare nec optare ab Dijs immortalibus poteramus, gratias actū nos decem legatos Saguntinus senatus populusq; ad uos misit, simul gratulatum, quod ita res per hos annos in Hispania atq; in Italia gessistis, ut Hispaniam nō Ibero amne tenus, sed quà terrarum ultimas finit Oceanus, domitam armis habeatis: Italiæ, nisi quatenus uallum castrorū cingit, nihil reliqueritis Pœno. Ioui optimo maximo, præsidi Capitolinæ arcis non grates tantū ob hæc agere iussi sumus, sed donum hoc etiam, si uos permitteretis, coronam auream in Capitolium uictorię ergô ferre. Id uti permittatis, quæsumus, utiq;, si uobis ita uideretur, quæ nobis imperatores uestri commoda tribuerunt, ea rata atq; perpetua autoritate uestra faciatis.

Etsi nihil.) *Ratio agendi gratias pro beneficijs collatis, & gratulandi ob res prosperè gestas.* Ex*ordium sumitur à misera conditione à qua liberati erant. Duplici ratione agere gratias possumus: uel à principio statim uerbum gratiarum actionis subijcientes, tum beneficia enumeraturi, quæ modis omnibus amplificare licebit, uelut à circūstantijs: uel contrà, meritis eorum in nos exaggeratis, ad postremum gratias ob ea agere poterimus. hanc posteriorem hic Liuius seruat.* *Ad ultimū fidem uobis.*)

usq;

usque ad ultimum periculum, in extremo etiam discrimine, siue ad postremum & tandē exolueremus quæ conuenerāt inter nos. Bellum propter nos) Enumeratio *meritorum populi* Rom. *erga Saguntinos.* Exaggerat *beneficia à circunstantijs temporis, modi, agentis, ut imperatorum fortißimorum, obiecti, ut aduersus acerrimos hostes.* Consulem *declaratū.) qui iā omniū consensu cōsul nominabatur. Stare Saguntū.) manere.* Quorū *gratiā.) propter quos. Victoriæ ergò.)* Festus Pompeius *autor est uocē ergò quū productè legitur, id significare, quod gratia, ut gratia pro causa sumatur.* Itaque *discriminis gratia nota grauis accētus notaui.*

Argumentū *in* 132. *et* 133.

Quum *in senatu de prouincijs referretur, communis omnium fama erat,* Africam *nouam prouinciam etiam extra sortem* P. Scipioni *destinatam esse.* Ac Scipio *ipse iam consulem se declaratum non ad gerendum modo, sed ad perficiendum quoq; bellum iactabat, quum* Q. Fabius Maximus *rogatus sententiam, in hæc uerba* Scipioni *decernendā non esse* Africam *suadere cœpit.*

542 Q. Fabij Maximi *oratio, ne* Scipioni Africa *prouincia decerneretur.* CXXXII.

SCio multis ueſtrum uideri, P. C. rem actā hodierna die agi, & fruſtra habiturum oratio-

rationem, qui tanquã de integra re, de Africa prouincia ſententiã dixerit. Ego autẽ primùm illud ignoro, quemadmodũ certa iam prouincia Africa cõſulis uiri fortis ac ſtrenui ſit, quam nec ſenatus cenſuit in hunc annum prouinciam eſſe, nec populus iuſsit, deinde, ſi eſt, conſulem peccare arbitror, qui de re tranſacta ſimulando ſe referre, ſenatum ludibrio habet, non ſenatorem modo, qui de quo conſulitur, ſuo loco dicit ſententiam. Atque ego certum habeo diſſentienti mihi ab iſta feſtinatione in Africam traijciendi, duarum rerum ſubeundam opinionem eſſe: unius, inſitæ ingenio meo cunctationis, quam metum, pigritiamque homines adoleſcentes ſanè appellent, dum me nõ pœniteat, adhuc aliorum ſpecioſiora primo aſpectu conſilia ſemper uiſa, mea uſu meliora. alterius, obtrectationis atq; inuidiæ aduerſum creſcentem in dies gloriam fortiſsimi conſulis. A' qua ſuſpicione ſi me neque uita acta, & mores mei, neque dictatura cum quinque conſulatibus, tantumq́; glorię belli domiq́; partum uindicat, ut propius faſtidium eius ſim, quàm deſiderium, ætas ſaltem liberet. Quæ enim mihi æmulatio cum eo eſſe poteſt, qui ne filio quidem meo æqualis ſit? Me dictatorem, quum uigerem adhuc uiribus, & in curſu maximarum rerum eſſem, recuſantem nemo aut in ſenatu aut apud populum audiuit, quo minus inſectanti

me

me magistro equitum (quod fando nunquam antè auditum erat) imperium æquaretur meũ rebus, quàm uerbis assequi malui, ut qui aliorùm iudicio mihi cõparatus erat, sua mox confessione me sibi præferret, nedum ego perfunctus honoribus certamina mihi atq; æmulationem cum adolescente florentissimo proponã: uidelicet ut mihi iam uiuendo, non solum rebus gerendis fesso, si huic negata fuerit, Africa prouincia decernatur: cum ea gloria, quæ parta est, uiuendum atq; moriendũ est. Vincere ego prohibui Annibalem, ut à uobis, quorum nũc uigent uires, etiam uinci posset. Illud te mihi ignoscere, P. Corneli, æquum erit, si, quum in meipso nunquam pluris famã hominũ, quàm Rempub. fecerim, ne tuam quidem gloriã bono publico præponam. Quanquã si aut bellũ nullum in Italia, aut is hostis esset, ex quo nihil gloriæ quæreretur, qui te in Italia retineret, etsi id bono publico faceret, simul cum bello materiam glorię tuæ ire ereptum uideri posset. Quũ uerò Annibal hostis incolumi exercitu quartũdecimum annum Italiam obsideat, pœnitebit te, P. Corneli gloriæ tuæ, si hostem eum, qui tot funerum, tot cladium nobis causa fuit, tu consul Italia expuleris? & sicut penes C. Luctatiũ prioris Punici perpetrati belli titulus fuit, ita penes te huius fuerit? nisi aut Amilcar Annibali dux est præferendus, aut illud bellum huic, aut

uicto-

uictoria illa maior clariorq́ꝫ quàm hæc (modò contingat ut te consule uincamus) futura est. Ab Drepano atqꝫ Eryce detraxisse Amilcarem, quàm Italia expulisse Pœnos atqꝫ Annibalem malis? Ne tu quidem (etsi magis partam, quàm speratam gloriam amplecteris) Hispania potius quàm Italia bello liberata gloriatus fueris. Nondum is est Annibal, quem non magis timuisse uideatur, quàm contempsisse, qui aliud bellum maluerit. Quin igitur ad hoc accingeris, nec per istos circuitus, ut quum in Africã traieceris, secuturum te illuc Annibalem speres potius, quàm recto hinc itinere, ubi Annibal est, eò bellum intendis? Egregiam istam palmã belli Punici peracti petis? Hoc & natura prius est, tua quũ defenderis, aliena ire oppugnatũ. Pax antè in Italia, quàm bellum in Africa sit: & nobis prius decedat timor, quàm ultro alijs inferatur. Si utrunqꝫ tuo ductu auspicioq́ꝫ id fieri potest: Annibale hic uicto, illic Carthaginem expugna. Si alterutra uictoria uobis consulibus relinquenda est: prior cum maior clariorq́ꝫ, tum causa etiam insequentis fuerit. Nam nunc quidem præterquam quod & in Italia & in Africa duos diuersos exercitus alere ærarium nõ potest: præterquã quod unde classes tueamur, unde commeatibus sufficiamus præbendis, nihil reliqui est: periculi tandem quantum adeatur, quem fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio

bellum in Africa geret. Quid, si (quod omnes Dij omen auertant, & dicere etiam reformida animus, sed quæ acciderunt, accidere possunt) & uictor Annibal ire ad urbem pergat: tum demum te consulem ex Africa, sicut Q. Fuluium à Capua, accersemus? Quid quod in Africa quoque Mars communis belli erit? Domus tibi tua pater patruusq; intra xxx dies cum exercitibus cæsi documēto sint, ubi per aliquot annos maximis rebus terra mariq; gerendis amplissimū nomē apud exteras gētes pop. Rom. uestræq; familiæ fecerāt. Dies me deficiet, si reges imperatoresq; temere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumq; suorū, enumerare uelim. Athenienses, prudentissima ciuitas, bello domi relicto, autore æquè impigro atq; nobili iuuene, magna classe in Siciliā transmisso, una nauali pugna florentē Remp. suam in perpetuū afflixerunt. Externa et nimis antiqua repeto. Africa eadem ista, & M. Attilius, insigne utriusq; fortunæ exemplum, nobis documento sint. Næ tibi, P. Corneli, quū ex alto Africā conspexeris, ludus & iocus fuisse Hispaniæ tuæ uidebuntur. Quid enim simile? Pacato mari præter oram Italiæ Galliæq; uectus, Emporias in urbem sociorum classem appulisti: & expositos milites per tutissima omnia ad socios & amicos populi Rom. Tarraco-

nem

nem duxisti. Ab Tarracone deinde inter præsidia Romana circa Iberum exercitus patris patruiq; tui post amissos imperatores ferociores ipsa calamitate facti: dux tumultuarius quidem ille L. Martius, & militari suffragio ad tempus lectus, cæterum si nobilitas ac iusti honores adornarēt, claris imperatoribus qualibet arte belli par: oppugnata per summum otium Carthago, nullo trium Punicorum exercituum socios defendente. Cætera, neq; ea eleuo, nullo tamē modo Africo bello comparanda, ubi non portus ullus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non ciuitas socia, non rex amicus, non cōsistendi usquam locus, nō procedendi: quacūq; circunspexeris, hostilia omnia atq; infesta. An Syphaci, Numidisq; credis? Satis sit semel creditum. Non semper temeritas est felix. Et fraus fidem in paruis sibi præstruit, ut quū operæprecium sit, cum mercede magna fallat. Non hostes patrem patruumq; tuū armis prius, quàm Celtiberi socij fraude circunuenerunt: nec tantum tibi ipsi à Magone & Asdrubale hostiū ducibus, quantū ab Indibili & Mandonio in fidē acceptis periculi fuit. Numidis tu credere potes defectionem militum tuorum expertus? Et Syphax & Masinissa se, quàm Carthaginēses, malūt potētes in Africa esse: Carthaginēses, quàm quenquam alium. Nunc illos æmulatio inter

ſeſe, & omnes cauſæ certaminũ acuunt, quòd metus externus procul eſt. Oſtende Romana arma, exercitum alienigenam: iam uelut ad cõmune reſtinguendum incendium concurrent. Aliter iidem illi Carthaginenſes Hiſpaniam defenderunt: aliter mœnia patriæ, templa Deûm, aras & focos defendent, quum euntes in prælium pauida proſequetur coniunx, & parui liberi occurſabunt. Quid porrò ſi ſatis confiſi Carthaginenſes conſenſu Africæ, fide ſociorum regum, mœnibus ſuis, cum tuo exercitusq́; tui præſidio nudatam Italiam uiderint, ultro ipſi nouum exercitum in Italiam aut ex Africa miſerint, aut Magonem, quem à Balearibus claſſe tranſmiſſa iam præter oram Ligurum Alpinorum uectari cõſtat, Annibali ſe coniungere iuſſerint? Nempe in eodem terrore erimus, in quo nuper fuimus quum Aſdrubal in Italiam tranſcendit: quem tu, qui non ſolum Carthaginem, ſed omnem Africam exercitu tuo es clauſurus, è manibus tuis in Italiam emiſiſti. Victum à te dices? Eo quidem minus uellem, & id tua, non Reip. ſolum cauſa, iter datum uicto in Italiam eſſe. Patere nos omnia quæ proſpera tibi & populi Rom. imperio euenere, tuo conſilio aſſignare, aduerſa caſibus incertis belli & fortunæ legare: quo melior & fortior es, eo magis talem præſidem ſibi patria atq; uniuerſa Italia retinet. Non potes ne ipſe quidem diſſimulare, ubi An

nibal

nibal ſit,ibi caput atque arcem huius belli eſſe quippe qui præ te feras eam tibi cauſam eſſe traijciendi in Africam,ut Annibalem eò trahas. Siue igitur hic,ſiue illic, cum Annibale eſt tibi futura res. Vtrum ergo tandem firmior eris in Africa ſolus,an iſtic, tuo collegæq; tui exercitu coniuncto? Ne Claudius quidem & Liuius cõſules tam recẽti exemplo , quantum id interſit, documento ſunt? Quid? Annibalem utrum tãdem extremus angulus Brutij agri fruſtra iam diu poſcentem ab domo auxilia,an propinqua Carthago,& tota ſocia Africa potentiorem armis uiriſq; faciet? Quod iſtud conſilium eſt, ibi malle decernere,ubi tuæ dimidio minores copiæ ſint,hoſtiũ multo maiores,quàm ubi duobus exercitibus aduerſus unũ tot prælijs & tã diuturna & graui militia feſſum, pugnandum ſit? Quàm compar conſilium tuũ parentis tui conſilio ſit,reputa.Ille conſul profectus in Hiſpaniam,ut Annibali ab Alpibus deſcendenti occurreret,in Italiam ex prouincia redijt,tu, quũ Annibal in Italia ſit, relinquere Italiam paras, non quia Reip. id utile , ſed quia tibi amplũ & glorioſum cenſes eſſe: ſicut quum prouincia & exercitu relicto,ſine lege,ſine ſenatuſconſulto duabus manibus populi Rom. imperator fortunam publicam & maieſtatem imperij, quæ tum in tuo capite periclitabantur , commiſiſti. Ego P. Cornelium,P.C.Reip.nobiſq;, non ſibi

ipsi priuatim creatum consulem existimo, exercitusq́ ad custodiam urbis atq; Italiæ scriptos esse, non quos regio more per superbiam consules quò terrarum uelint, traijciant.

Scio multis.) Dissuasio in id adhibita et comparata, ne P. Scipioni Africa prouincia decernatur. Exorditur ab opinione, qua iam certa prouincia Scipionis ferebatur. De integra re.) *nondum definita, agitata, transacta.* In hunc annum.) *pro hoc anno, ut loquimur.* De re transacta.) *simulando se rem definitam proponere agitandam.*

Atq; ego.) *Iam occupat & diluit quæ suspicionem mouere potuissent.* Dum me.) *dummodo.* Vt propius fastidium.) *Comparatiuo propius accusatiuum iunxit, quemadmodum superlatiuo proximè Salustius in bello Iugurthino: Proximè Hispaniam Mauri sunt. Vt particula ad tantum pertinet.* Aequaretur.) *Supra de hac ipsa re dictum est. Magister equitum fuit Minutius.* Quanquā si aut bellum.) *Corrigit Scipionis consilium, ac syllogismo hypothetico colligit gloriam à Scipione bello Italico parari posse, quam peteret. Ac eò tandem progreditur, ut rerum eum peruertere ordinē doceat.* Alterutra.) *utralibet.* Nam nunc.) *À difficili & metu.* Athenienses.) *À pari.* Næ tibi.) *certe. Africanum bellum longe difficilius & pe*

riculo-

riculosius Hispanico *esse ostendit à circunstantijs.*
Sibi præstruit.)id est: qui fraude rem agere uolunt, in paruis præstare solent quod promiserunt, ut quum in maioribus quoq; rebus sibi fides facilius habebitur, tum demum fallant. Qui non solum.)Ironijs *&* risu hic totus locus constat. Patere nos.) permitte, sine. Ironia rursus, qua similes imperantibus sumus. Quod istud.)Consilium Scipionis tanquam temerarium eludit. Quàm cōpar.)Exemplũ à dissimili. Ego, P.C.)cōclusio.

P. Cornelij Scipionis consulis refutatoria oratio. CXXXIII.

547

QVintus Fabius principio orationis P.C. commemorauit in sententia sua posse obtrectationem suspectam esse: cuius ego rei non tam ipse ausim tantum uirum insimulare, quàm ea suspicio (uitio orationis, an rei) haud satis purgata est. Sic enim honores suos & famam rerum gestarum extulit uerbis ad extinguendum inuidiæ crimen, tanquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmuletur: & non ab eo, qui quia super cæteros excellat, quò me quoq; niti nõ dissimulo, me sibi æquari nolit. Sic senem se perfunctum, & me infra ætatẽ filij sui posuit, tanquã nõ longius quàm quantũ uitæ humanæ spaciũ est, cupiditas gloriæ extendatur, maximaq; pars eius

in memoriam ac posteritatem promineat. Maximo cuiq; id accidere animo certum habeo, ut se non cum præsentibus modo, sed cum omnis æui claris uiris compararet. Equidem haud dissimulo, me tuas Q. Fabi laudes non assequi solum uelle, sed (bona uenia tua dixerim) si possim, etiam exuperare. Illud nec tibi in me, nec mihi in minores natu animi sit, ut nolimus quenquam nostri similem euadere ciuem. Id enim non eorũ modo quibus inuiderimus, sed Reip. & penè omnis generis humani detrimẽtum sit. Commemorauit quantum essem periculum aditurus, si in Africam traijcere uelim: ut meam quoque, non solum & Reip. & exercitus uicẽ uideretur ualde solicitus. Vnde hæc repente de me cura exorta? Quum pater patruusq; meus interfecti, quum duo exercitus eorũ propè occidione occisi essent, quum amissæ Hispaniæ, quum quatuor exercitus Pœnorũ, quatuorq; duces omnia metu armisq; tenerẽt, quũ quæsitus ad id bellum imperator, nemo se ostẽderet præter me, nemo profiteri nomen ausus esset, quum mihi quatuor & uiginti annos nato detulisset imperiũ populus Romanus: quid ita tum nemo ætatem meam, uim hostium, difficultatem belli, patris patruiq; recentem cladẽ commemorabat? Vtrum maior aliqua nunc in Africa calamitas accepta est, quàm nunc in Hispania erat? An maiores nũc sunt exercitus in A-

frica

frica,& duces plures melioresq́;, quàm tunc in Hiſpania fuerunt? An ætas mea tunc maturior bello gerendo fuit, quàm nunc eſt? an cum Carthaginenſi hoſte in Hiſpania, quàm in Africa, bellum geri aptius eſt? Facile eſt poſt fuſos fugatosq́; quatuor exercitus Punicos, poſt tot urbes ui captas, aut metu ſubactas in deditionem poſt perdomita omnia uſq; ad Oceanum, tot regulos, tot ſæuas gentes, poſt receptam totam Hiſpaniam, ita ut ueſtigium belli nullum ſit reliquum, eleuare meas res geſtas, tam Hercule, quàm, ſi uictor ex Africa redierim, ea ipſa eleuare, quæ nunc retinendi mei cauſa, ut terribilia eadem uideantur, uerbis extolluntur. Negat aditum eſſe in Africam, negat ullos patêre portus, M. Attilium captum in Africa commemorat, tanquam M. Attilius primo acceſſu ad Africam offenderit: neq; recordatur illi ipſi tam infelici imperatori patuiſſe tamen portus Africę, & res egregias primo anno geſſiſſe, & quantū ad Carthaginenſes duces attinet, inuictum ad ultimum permanſiſſe. Nihil igitur me iſto exēplo terrueris, ſi hoc bello, non priore: ſi nuper, & non annis antè XL iſta clades accepta foret, quin ego minus in Africã Regulo capto, quàm Scipionibus occiſis in Hiſpaniam traijcerem. Nec felicius Xanthippū Lacedæmonium Carthagini, quàm me patriæ meæ ſinerem natum eſſe: creſceretq́; mihi ex eo ipſo fiducia, quod

poſſit in hominis unius uirtute tantum mom̃eti eſſe. At etiam Athenienſes audiendi ſunt, temere in Siciliã omiſſo domi bello tranſgreſſi. Cur ego (quoniã Græcas fabulas enarrare uacat) non Agathoclem potius Syracuſanum regem, quum diu Sicilia Punico bello ureretur, tranſgreſſum in hanc eandem Africam, auertiſſe eò bellum unde uenerat, refers? Sed quid? ultro metum inferre hoſti, & ab ſe remoto periculo, alium in diſcrimen adducere, quale ſit, ueteribus externiſq; exẽplis admonere opus eſt? Maius præſentius'ue ullum exemplum eſſe, quàm Annibal poteſt? Multum intereſt, alienos populari fines, an uri tuos excindiq; uideas. Plus animi eſt inferenti periculum, quàm propulſanti. ad hoc, maior ignotarum rerũ eſt terror. Bona malaq; hoſtium ex propinquo ingreſſus fines aſpicias. Non ſperauerat Annibal fore, ut tot in Italia populi ad ſe deficerẽt, quot defecerunt poſt Cannenſem cladem: quanto minus in Africa quicquam Carthaginenſibus firmum ac ſtabile ſit, infidis ſocijs, grauibus ac ſuperbis dominis? Ad hæc, nos etiam deſerti ab ſocijs, uiribus noſtris Rom. milite ſtetimus. Carthaginenſi nihil ciuilis roboris eſt, mercede paratos milites habent, Afros Numidaſq;, leuiſſima mutandæ fidei ingenia. Hic modò nihil moræ ſit, unà & traieciſſe me audietis, & ardere bello Africam, & molientem
hinc

hinc Annibalem, & obsideri Carthaginem. Lætiores & frequentiores ex Africa expectate nuncios, quàm ex Hispania accipiebatis. Has mihi spes subijcit fortuna populi Romani, Dij fœderis ab hoste uiolati testes, Syphax & Masinissa reges, quorum ego fidei ita inni tar, ut bene tutus à perfidia sim. Multa quæ nunc ex interuallo non apparent, bellum aperiet: & id est uiri, & ducis, non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium. Habebo, Quinte Fabi, parem quidem Annibalem: sed illum potius ego traham, quàm ille me retineat. In sua terra cogam pugnare eum, & Carthago potius præmium uictoriæ erit, quàm semiruta Brutiorum castel la. Ne quid interim, dum traijcio, dum expono exercitum in Africam, dum castra ad Car thaginem promoueo, Respublica hic detrimenti capiat. Quod tu Quinte Fabi, quum uictor tota Italia uolitaret Annibal, potuisti præstare, hoc uide ne contumeliosum sit, con cusso iam & penè fracto Annibale, negare posse P. Licinium consulem uirum fortissimũ præstare, qui ne à sacris absit pontifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ prouinciæ non uenit. Si Hercule nihilo maturius hoc quo ego censeo, modo perficeretur bellum, tamen ad dignitatem populi Romani famamq; apud reges gentesq; externas pertinebat, non

id

ad defendendã modo Italiã, sed ad inferẽda etiã Africæ arma, uideri nobis animũ esse: non hoc credi, uulgarióꝗ, quod Annibal ausus sit, neminem ducem Romanorum audere: & priore Punico bello, tum quum de Sicilia certaretur, toties Africam à nostris exercitibus & classibus oppugnatam: nunc autem quũ de Italia certetur, Africam pacatam esse. Requiescat aliquando tandiu uexata Italia, uratur euasteturóꝗ inuicẽ Africa. Castra Rom. potius Carthaginis portis immineant, quàm nos iterum uallum hostium ex mœnibus nostris uideamus. Africa sit reliqui belli sedes: illuc terror, fugaóꝗ, populatio agrorum, defectio sociorum, cæteræ belli clades, quæ in nos per XIIII annos ingruerunt, uertãtur. Quæ ad Remp. pertinent, & bellum quod instat, & prouincias de quibus agitur, dixisse satis est. Illa longa oratio nec ad uos pertinens sit, si quemadmodum Q. Fabius meas res gestas in Hispania, eleuauit, sic & ego contrà gloriam eius eludere, & meam uerbis extollere uelim. Neutrum faciam, P.C. &, si nulla alia re, modestia certe, & temperamento linguæ adolescens senem uicero: ita & uixi, & res gessi, ut tacitus ea opinione quàm uestra sponte conceptam animis haberetis, facile contentus essem.

Quintus Fabius.) Refutatio seipsa prodit atꝗ indicat, in qua exordium ab aduersarij sententia petitur.

titur. Tanquam mihi.)id eſt,tanquam ab infimis modo æmulatio mihi impendeat. Commemorauit quantum.)Hinc tantum legitima confutatione obiecta diluere incipit. Periculum aditurus.) Adire periculum,uocari in periculum, adduci in periculum, ſe offerre in periculum, & ſe obijcere periculo,pro eodem propè ſumuntur, quod uulgò dicimus ſe ponere in periculum. Quum pater.) Ab antecedente re eiuſdem quidem generis, cæterum longe periculoſiore per amplificationem. Eleuare res.) uerbis extenuare, parua reddere. eius contrariũ eſt uerbis extollere, quo in hac quoq; utitur. Quàm ſi uictor.) Senſus eſt:tam facile eſt eas res meas in Hiſpania geſtas extenuare,quàm facile eſt parua ea efficere, quæ nunc augentur ut prohibear in Africam traijcere, ſi iam uictor ex Africa rediſſem, quemadmodũ ex Hiſpania redij. Significat his,quæ uerbis extolli dicit,ea ipſa quæ ſupra à Fabio adducta ſunt ad exponendam longe maiorem difficultatem belli Africani,quàm Hiſpanici,quod ipſe Scipio confecerat.

Quin ego.) Quin particula pertinet ad uerbũ Terrueris.quo fit, ut corrigendi ſint omnes fere libri,in quibus interrogatiuus hic locus legitur. Ita hic locus explicabitur. Non me terrueris, deterrueris,hoc exemplo,ſcilicet Attilij Reguli, quin minus

ad defendendã modo Italiã, ſed ad inferẽda etiã Africæ arma, uideri nobis animũ eſſe: non hoc credi, uulgariq́;, quod Annibal auſus ſit, neminem ducem Romanorum audere: & priore Punico bello, tum quum de Sicilia certaretur, toties Africam à noſtris exercitibus & claſſibus oppugnatam: nunc autem quũ de Italia certetur, Africam pacatam eſſe. Requieſcat aliquando tandiu uexata Italia, uratur euaſteturq́; inuicẽ Africa. Caſtra Rom. potius Carthaginis portis immineant, quàm nos iterum uallum hoſtium ex mœnibus noſtris uideamus. Africa ſit reliqui belli ſedes: illuc terror, fugaq́;, populatio agrorum, defectio ſociorum, cæteræ belli clades, quæ in nos per XIIII annos ingruerunt, uertãtur. Quæ ad Remp. pertinent, & bellum quod inſtat, & prouincias de quibus agitur, dixiſſe ſatis eſt. Illa longa oratio nec ad uos pertinens ſit, ſi quemadmodum Q. Fabius meas res geſtas in Hiſpania, eleuauit, ſic & ego contrà gloriam eius eludere, & meam uerbis extollere uelim. Neutrum faciam, P.C. &, ſi nulla alia re, modeſtia certe, & temperamento linguæ adoleſcens ſenem uicero: ita & uixi, & res geſſi, ut tacitus ea opinione quàm ueſtra ſponte conceptam animis haberetis, facile contentus eſſem.

Quintus Fabius.) *Refutatio ſeipſa prodit atq; indicat, in qua exordium ab aduerſarij ſententia petitur.*

titur. Tanquam mihi.)id est,tanquam ab infimis modo æmulatio mihi impendeat. Commemorauit quantum.)Hinc tantum legitima confutatione obiecta diluere incipit. Periculum aditurus.) Adire periculum,uocari in periculum, adduci in periculum, se offerre in periculum, & se obijcere periculo,pro eodem propè sumuntur, quod uulgò dicimus se ponere in periculum. Quum pater.) Ab antecedente re eiusdem quidem generis, cæterum longe periculosiore per amplificationem. Eleuare res.) uerbis extenuare, parua reddere. eius contrariũ est uerbis extollere, quo in hac quoq; utitur. Quàm si uictor.) Sensus est: tam facile est eas res meas in Hispania gestas extenuare, quàm facile est parua ea efficere, quæ nunc augentur ut prohibear in Africam traijcere, si iam uictor ex Africa redissem, quemadmodũ ex Hispania redij. Significat his, quæ uerbis extolli dicit, ea ipsa quæ supra à Fabio adducta sunt ad exponendam longe maiorem difficultatem belli Africani, quàm Hispanici, quod ipse Scipio confecerat.

Quin ego.) Quin particula pertinet ad uerbũ Terrueris. quo fit, ut corrigendi sint omnes fere libri, in quibus interrogatiuus hic locus legitur. Ita hic locus explicabitur. Non me terrueris, deterrueris, hoc exemplo, scilicet Attilij Reguli, quin mi-
nus

mus traijcerem, classe ueherer, mortuo Attilio, id est, exemplum Attilij non magis me prohibiturum esset in Africam eo capto traijcere, quàm in Hispaniam occisis Scipionibus prohibitus sum traijcere.

Cur ergo.) Vide quàm astutè exemplum à Fabio contra se adductum, alio contrario & eludat, et refutet. Sed quid ultro.) Hoc referri debet ad exemplum Atheniensium & Attilij. In discrimen.) in periculum uocare. Ad hæc; nos.) Antitheton. Hic modo.) tantum. Non deesse fortunæ.) non prætermittere aut omittere occasionem quæ se offerat. Traham.) in Africam. Quàm me retineat.) In Italia remoretur. Dum expono.) explico, educo. Quod Annibal.) transferre s. bellum in regiones à patria longinquas. Illa longa.) Inuisum reddit Fabium à parte orationis insolentiore. Contrà.) e cõtrario. nã est aduerbiũ, nec ad ipsum particula gloriã pertinet. Itaq; discriminis gratia graui accẽtu notaui, ut notandũ semper cẽseo.

EX LIBRO NONO SECVNDI BELLI PVnici, qui XXIX.

Argumentum in CXXXIIII.

Q. Pleminius legatus erat, quem P. Scipio Messanam traijciens militibus ad præsidium Locrorum præfecerat. Is statim, atq; milites, nulla seruata disciplina

ciplina militari, nullo more maiorum, uoluptates modo, uoluptatumq; illectamenta consectari cœperunt, ita ut iam nullum adeo fœdum atq; infandũ facinus reperiri posset, quod non auderent. Vt uirgines, coniuges, adolescentes inuitis etiam parentibus ad fœdam libidinem explendam raptos prætercam, non templis Deûm abstinebant. Thesauri erant Proserpinæ, ad eã diem, nisi à Pyrrho qui uiolatæ religionis pœnas acerrimas dederat, intacti: eos diripuerunt, totumq; fanum spoliarunt. Locrenses itaq; quum se à Romanis plura pati uiderẽt quàm à Carthaginensibus unquam uoluissent: mittunt Romam legatos decem, qui in senatum introducti ita iniurias exposuerunt.

Locrensium in senatu querelæ. 134.

SCio quanti æstimentur nostræ apud uos querelę, P.C. plurimũ in eo momenti esse, si probè sciatis & quomodo proditi Locri Annibali sint, & quomodo pulso Annibalis præsidio, restituti in uestrã ditionem. Quippe si & culpa defectionis procul à publico consilio absit, & reditum in uestram ditionem appareat non uoluntate solum, sed etiam ope ac uirtute nostra, magis indignemini, bonis ac fideli bus socijs tam atroces atque indignas iniurias ab legato uestro, militibus'que fieri. Sed ego

ego causam utriusq; defectionis nostræ in aliud tempus differendam arbitror esse, duarum rerum gratia: unius, ut corã Pub. Scipione, qui Locros recepit, quiq; omniũ nobis recte perperãq; factorũ est testis, agatur: alterius, quod qualescunq; sumus, tamen hæc quæ passi sumus, pati non debuimus. Non possumus dissimulare P.C. nos quum præsidium Punicum in arce nostra haberemus, multa fœda & indigna à præfecto præsidij Amilcare, & ab Numidis Afrisq; passos esse: sed quid illa sunt, collata cũ ijs quæ hodie patimur? Cũ bona uenia quæso audiatis P.C. quod inuitus eloquar. In discrimine est nunc humanũ genus, utrũ uos, an Carthaginenses principes orbis terrarũ uideantur. Sed si ex ijs quæ Locrenses aut ab illis passi sumus, aut à uestro præsidio nũc quàm maxime patimur, æstimandũ Rom. ac Punicũ imperium sit, nemo non illos sibi, quàm uos, dominos præoptet. Et tamẽ uidete quemadmodum Locrenses in uos animati sint, quum à Carthaginensibus iniurias multo minores acciperemus, ad uestrum imperatorem confugimus: quum à uestro præsidio plus quàm hostilia patimur, nusquam aliò quàm ad uos querelas detulimus. Aut uos respicietis perditas res nostras, P.C. aut ne ab Dijs quidem immortalibus, quod precemur, quicquam superest. Q. Pleminius legatus missus est cum præsidio ad

recipi-

recipiendos à Carthaginēſibus Locros, & cum eodem ibi relictus eſt præſidio. In hoc legato ueſtro (dant enim animū ad loquendū liberè ultimæ miſeriç) nec hominis quicquā eſt, P. C. prçter figurā & ſpeciem, neq; Romani ciuis prçter habitum ueſtitumq́; & ſonum Latinæ linguæ, peſtis, ac bellua immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia diuidimur, ad perniciē nauigantiū circunſediſſe fabulæ ferunt. Ac ſi ſcelus libidinemq́; & auaritiā ſolus ipſe exercere in ſocios ueſtros ſatis haberet, unā profundā quidem uoraginē tamen patientia noſtra expleremus. Nūc omnes centuriones militesq́; ueſtros (adeo in promiſcuo licentiā atq; improbitatem eſſe uoluit) Pleminios fecit, omnes rapiunt, ſpoliant, uerberant, uulnerant, occidūt, cōſtuprant matronas, fiūt in uirgines ingenuas raptus ex cōplexu parentum, puerosq́;, quotidie capitur urbs noſtra, quotidie diripitur, dies noctesq́; paſsim omnia mulierū puerorūq́;, qui rapiuntur atq; aſportantur, ploratibus ſonant. Miretur, qui ſciat, quomodo aut nos ad patiendum ſufficiamus, aut illos qui faciunt, nondum tantarum iniuriarū ſatietas ceperit. Neq; ego exequi poſſum, nec uobis opus eſt audire ſingula, quæ paſsi ſumus, communiter omnia amplectar. Nego domū ullam Locris, nego quenquā hominem expertem iniuriæ eſſe, nego ullū genus ſceleris, libidinis ac auaritiç ſupereſſe, quod

ego causam utriusque defectionis nostræ in aliud tempus differendam arbitror esse, duarum rerum gratia: unius, ut corã Pub. Scipione, qui Locros recepit, quiq; omniũ nobis recte perperãq; factorũ est testis, agatur: alterius, quòd qualescunq; sumus, tamen hæc quæ passi sumus, pati non debuimus. Non possumus dissimulare P.C. nos quum præsidium Punicum in arce nostra haberemus, multa fœda & indigna à præfecto præsidij Amilcare, & ab Numidis Afrisq; passos esse: sed quid illa sunt, collata cũ ijs quæ hodie patimur? Cũ bona uenia quæso audiatis P.C. quod inuitus eloquar. In discrimine est nunc humanũ genus, utrũ uos, an Carthaginenses principes orbis terrarũ uideantur. Sed si ex ijs quæ Locrenses aut ab illis passi sumus, aut à uestro præsidio nũc quàm maxime patimur, æstimandũ Rom. ac Punicũ imperium sit, nemo non illos sibi, quàm uos, dominos præoptet. Et tamẽ uidete quemadmodum Locrenses in uos animati sint, quum à Carthaginensibus iniurias multo minores acciperemus, ad uestrum imperatorem confugimus: quum à uestro præsidio plus quàm hostilia patimur, nusquam aliò quàm ad uos querelas detulimus. Aut uos respicietis perditas res nostras, P.C. aut ne ab Dijs quidem immortalibus, quod precemur, quicquam superest. Q. Pleminius legatus missus est cum præsidio ad

recipi-

recipiendos à Carthaginēſibus Locros, & cum eodem ibi relictus eſt præſidio. In hoc legato ueſtro (dant enim animū ad loquendū liberè ultimæ miseriç) nec hominis quicquā eſt, P. C. prçter figurā & ſpeciem, neq; Romani ciuis prçter habitum ueſtitúmq;, & ſonum Latinæ linguæ, peſtis, ac bellua immanis, qualem fretum quondam, quo ab Sicilia diuidimur, ad perniciē nauigantiū circunſediſſe fabulæ ferunt. Ac ſi ſcelus libidinemq; & auaritiā ſolus ipſe exercere in ſocios ueſtros ſatis haberet, unā profundā quidem uoraginē tamen patientia noſtra expleremus. Nūc omnes centuriones militesq; ueſtros (adeo in promiſcuo licentiā atq; improbitatem eſſe uoluit) Pleminios fecit, omnes rapiunt, ſpoliant, uerberant, uulnerant, occidūt, cōſtuprant matronas, fiūt in uirgines ingenuas raptus ex cōplexu parentum, puerosq;, quotidie capitur urbs noſtra, quotidie diripitur, dies noctesq; paſsim omnia mulierū puerorūq;, qui rapiuntur atq; aſportantur, ploratibus ſonant. Miretur, qui ſciat, quomodo aut nos ad patiendum ſufficiamus, aut illos qui faciunt, nondum tantarum iniuriarū ſatietas ceperit. Neq; ego exequi poſſum, nec uobis opus eſt audire ſingula, quæ paſsi ſumus, communiter omnia amplectar. Nego domū ullam Locris, nego quenquā hominem expertem iniuriæ eſſe, nego ullū genus ſceleris, libidinis ac auaritiç ſupereſſe, quod

in eorũ ullo, qui pati potuerit, prætermiſsũ ſit. Vix ratio iniri poteſt, uter caſus ciuitatis ſit dete ſtabilior, quũ hoſtes bello urbẽ cepere, an quũ exitialis tyrannus ui atq; armis oppreſsit. Omnia quæ captæ urbes patiũtur, paſsi ſumus, & nunc quàm maximè patimur, P.C. omnia quę crudeliſsimi atq; importuniſsimi tyrãni ſcelera in oppreſſos ciues edũt, Plem. in nos liberosq́; noſtros cõiugesq́; edidit. Vnum eſt de quo nominatim & nos queri religio infixa animis cogat, & uos audire, & exoluere Remp. ueſtrã religione (ſi ita uobis uidebitur) uelimus, P.C. Vidimus enim, cũ quanta ceremonia, non ueſtros ſolũ colatis Deos, ſed etiã externos accipiatis. Fanũ eſt apud nos Proſerpinæ, de cuius ſanctitate tẽpli credo aliquã famã ad uos perueniſſe Pyrrhi bello, qui quũ ex Sicilia rediẽs Locros claſſe præteruеheretur, inter alia fœda, quæ propter fidem noſtrã erga uos, in ciuitatẽ noſtrã facinora edidit, theſauros quoq; Proſerpinæ intactos ad eam diẽ, ſpoliauit, atq; ita pecunia in naues impoſita, ipſe terra eſt profectus. Quid ergo euenit? P.C. Claſsis poſtero die fœdiſsima tẽpeſtate lacerata, omnesq́; naues quæ ſacram pecuniã habebãt, in littora noſtra eiectæ ſunt, qua tanta clade edoctus tandẽ Deos eſſe ſuperbiſsimus agnouit rex, pecuniãq; omnẽ conquiſitã in theſauros Proſerpinæ referri iuſsit, nec tamẽ illi unquã poſtea proſperè quicquã euenit, pulſusq́;
Italia,

Italia, ignobili atque inhonesta morte temerè nocte ingressus Argos occubuit. Hæc quũ audisset legatus uester, tribuniq; militũ, & mille alia quæ nõ augendę religionis causa, sed pręsentis Deæ numine sæpe cõperta nobis maioribusq; nostris referebãtur, ausi sunt nihilominus sacrilegas admouere manus intactis illis thesauris, & nefanda seipsos pręda ac domos cõtaminare suas, & milites uestros, quibus per uos fidemq; uestram, P. C. prius quàm eorum scelus expietis, neq; in Italia neq; in Africa quicquã rei gesseritis, ne quid piaculi cõmiserunt, nõ solũ suo sanguine, sed etiã publica clade luãt. Quanquã ne nũc quidẽ P. C. aut in ducib. aut in militib. uestris cessat ira Deę. aliquoties iã inter se signis collatis cõcurrerunt. Dux alterius partis Pleminius, alterius duo tribuni militum erant. Non acrius cum Carthaginensibus, quàm ipsi inter se ferro dimicauerunt, præbuissentq; occasionẽ furore suo Locros recipiendi Annibali, ni accitus à nobis Scipio interuenisset. At hercule milites contactos sacrilegio furor agitat, in ducibus ipsis puniendis nullum Deæ numen apparuit, imò ibi præsens maximè fuit. uirgis cæsi tribuni ab legato sunt, legatus deinde insidijs tribunorũ interceptus, præterquàm quod toto corpore laceratꝰ, naso quoq; auribusq; decisis, exanguis est relictꝰ. Recreatꝰ deinde legatus ex uulnerib. tribunos militũ in uincula coniectos,

dein uerberibus affectos, seruilibusq́ omnibus supplicijs trucidatos cruciãdo occidit, mortuos deinde prohibuit sepeliri. Has Dea pœnas à templi sui spoliatoribus habet, nec antè desinet omnibus eos agitare furijs, quàm reposita sacra pecunia in thesauris fuerit. Maiores quondam nostri graui Crotonensium bello, quia extra urbem templum est, transferre in urbem eam pecuniam uoluerunt, nocte audita ex delubro uox est, abstinerent manus, Deam templa sua defensuram. quia mouendi inde thesauros incussa erat religio, muro circumdare templum uoluerunt. Ad aliquantum iam altitudinis excitata erant mœnia, quum subito collapsa ruina sunt. Sed & nunc & tunc & sæpe aliàs Dea suam sedem suumq́ templum aut tutata est, aut à uiolatoribus grauia piacula exegit. Nostras iniurias nec potest nec posſit alius ulcisci, quàm uos P.C. Ad uos uestramq́ fidem supplices confugimus. Nihil nostra interest, utrum sub illo legato, sub illo præsidio Locros esse sinatis, an irato Annibali & pœnis ad supplicium dedatis. Nõ postulamus, ut extemplo nobis de absente indicta causa credatis, ueniat, coram ipse audiat, ipse diluat: si quicquã sceleris, quod homo in homines edere potest, in nos prætermisit, non recusamus, quin & nos omnia eadem iterũ si pati possumus patiamur, & ille omni diuino humanoq́ liberetur scelere.

Scio

Scio quanti.) Expositio iniuriarum & cladium apud eos, qui ius habent in eos à quibus sunt illatæ, cum petitione uindicandi. Exorditur à re ipsa, & persona eorum, qui clades acceperunt. *Restituti in ditionem.)* recepti in potestatē, ius, fidem. *Non possumus.)* A' minore. Iam uide quàm uerba personis atq; fortunæ conueniāt. *A' præfecto præsidij)* Præfecti appellatio latè patet, adeoq; referri commodè potest ad eū, qui quauis in re atq; ordine primus est, & uelut magister. Hinc præfectus uigilū dicitur, qui & magister uigilū, is uidelicet qui princeps eorum est, qui nocte uigilant, etiā Parisijs, ne quid detrimēti capiat urbs ipsa. Hinc præfectus annonæ, qui curam habet prouidendi, ne frumentum deficiat in urbe, aut serius deuehatur in urbem, & mille alia, quæ sibi quisq; fingere potest, de quibusq; alio loco dicturi sumus. Ita præfectus præsidij dicetur, qui princeps eorū est, qui ad urbis arcisue custodiam destinati sunt. *Animati sint.)* affecti. *Q. Pleminius.)* Ab hoc loco iā narrat. *Vix ratio iniri potest.)* uix ratione reperiri atq; perpendi potest. *Exoluere religione.)* Quid sit exoluere religione, suprà exposui: nempe metum quendam ceu scrupulū de Diuorum cultu mente conceptum adimere. Deonerare conscientiā dicimus. *Habebant.)* continebant. *Indicta causa credatis)* In-

 dicta

dicta causa credere eadem ratione dicitur, qua indicta causa dānare aut dānari. Dānare indicta causa est, pœnæ ac supplicio dedere atq; adiudicare eū q nec auditus est in iudicio, nec se ipse, nec per aliū defendit. Ita credere indicta causa, est criminib. ab aduersario delatis & obiectis fidē adhibere, ubi reus nec ijs respōdit, nec ea refutauit. Vulgo dicimus credere sine audita parte. Hoc prius est, illud posterius.

EX X. SECVNDI BELLI PVNICI, QVI XXX.

Argumentum in CXXXV.

Capto Syphace, Masinissa Cirtham caput regni Syphacis, quò ex fuga magna uis hominum se receperat, ire destinabat. Ac uocatis ad colloquium primoribus ciuitatis, non impetrare antè potuit ut urbem dederent, quàm Syphacem regem uinctum in conspectum dari iußit. Ingressus deinde Cirthā præsidijs ad portas dimißis, ne cui pateret egressus, ipse citato equo ad regiam ire pergebat, quū Sophronisba Syphacis uxor in regiæ uestibulo occurrens, ita cum ipso locuta est.

Verba Sophronisbæ uxoris Syphacis ad Masinissam. CXXXV.

OMnia quidem ut posses in nos, Dij tibi dederunt, uirtusq; & felicitas tua, sed si captiuæ apud dominū uitæ necisq; suæ

uocem

uocem supplicē mittere licet, si genua, si uictricem attingere dextrã, precor, quæsoq́; per maiestatem regiã, in qua paulo antè nos quoq; fuimus, perq́; gentis Numidarũ nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce regiæ Deos, qui te meliorib. ominib. accipiant, quàm Syphacem hinc miserũt, hanc ueniam supplici des, ut ipse quodcunq; feret animus, de captiua statuas, neq; me in cuiusquã Romani superbũ ac crudele arbitrium uenire sinas. Si nihil aliud quàm Syphacis uxor fuissem, tamen Numidæ, atq; in eadem mecum Africa geniti, quàm alienigenæ & externi fidem experiri mallē. Quid Carthaginensi ab Romano, quid filiæ Asdrubalis timendum sit, uides. Si nulla alia re potes, me morte ut uindices ab Romanorũ arbitrio, oro, obtestorq́;.

Hanc ueniam supplici des.) hoc condones & permittas mihi obnixe precanti. Quodcunq; feret.) quicquid dictabit, & suadebit, de captiua constituas, utu oles de captiua uel crudeliter uel benigne consulas. Vt uindices.) liberes, eripias.

Argumentum in CXXXVI.

Introductus ad Scipionē Syphax, quum interrogaretur quid ita se mouisset ad sumēda arma cōtra Romanos, respōderat, uxoris meæ perfidia. Quæ uox in causa fuit, ut P. Scipio plura de hac ipsa

re cognoscere cuperet. Itaq; iactis ultro citroq; multis quæ ad eam rem pertinerent, eò tandem uentum est, ut Syphax ipse uxorem suam prædicaret à Masinissa sic amari, ut iã inter eos de matrimonio conuentum esset. Aegrè tulit ipsum illud Scipio, ac per occasionem in hæc uerba à fœda libidine Masinissam deterrebat.

P. Scipionis ad Masinissam monitio. CXXXVI.

Aliqua te existimo, Masinissa, intuentem in me bona, & principiò in Hispaniam ad iungendam mecum amicitiam uenisse, & postea in Africa teipsum spesq; omnes tuas in fidem meam commisisse. Atqui nulla earum uirtus est, propter quam appetendus tibi uisus sim, in qua ego æque atq; temperantia & continentia libidinum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad cæteras tuas eximias uirtutes, Masinissa, adiecisse uelim. Nam non est (mihi crede) tantum ab hostibus armatis ætati nostræ periculum, quantum ab circunfusis undiq; uoluptatibus. Qui eas sua temperãtia frenauit ac domuit, multo maius decus maioremq; uictoriam sibi peperit, quàm nos Syphace uicto habemus. Quę me absente strenuè ac fortiter fecisti, libenter & commemoraui, & memini. Cætera teipsum reputare tecum, quàm me dicente erubescere, malo. Syphax populi Ro. auspicijs

uictus

uictus captusq́ꝫ est. Itaqꝫ ipse, couiunx, regnũ, agri, oppida, homines qui incolunt, quicquid deniqꝫ Syphacis fuit, prẹda populi Romani est. Et regem, & coniugem, etiamsi non ciuis Carthaginensis esset, etiamsi non patrem eius imperatorẽ hostium uideremus: Romã oporteret mitti, ac senatus populiq́ꝫ Ro. de ea iudiciũ atqꝫ arbitriũ esse, quæ regem nobis sociũ alienasse, atqꝫ in arma coegisse præcipitem dicatur. Vince animum, caue ne deformes multa bona uno uitio, & tot meritorũ gratiã maiore culpa, quàm causa culpæ est, corrumpas.

Aliqua te.) Monitio est, qua P. *Scipio Masinissam suo exemplo à fœda libidine atq; intemperantia conatur auertere.* Exorditur *à bonis quibus ductus* Masiniſsa *secum amicitiam iunxerat.* In me *bona.) siue animi, siue corporis, siue naturæ.* Vulgo *dona naturæ & gratiæ pro bonis naturæ appellari solent.* Atq; *temperantia.)*M. Cicero *secundo et tertio de* Officijs *circa uoluptatum moderationẽ & sedationem, temperantiam atq; continentiã uersari tradit, sed ita, ut ijs perturbationes omnes animi, & rerum omnium modum subijcere uideatur.* Aristoteles *uerò tertio & octauo* Ethicorum *perturbationes non animi quidem, sed corporis tantũ ijsdem subijcit, sed quæ solo gustu tactuq; percipiantur.* Continentem *autem à temperante ita separat,*

ctoria nunciarent, tum demum de pace Annibal co gitare cœpit. Ac per suos Scipioni accito ad colloquium, conditiones pacis ferendas esse ita suasit.

551

Annibalis ad P. Scipionem de pace oratio. CXXXVII.

SI hoc ita fato datũ erat, ut qui primus bellum intuli populo Rom. quiq́ꝫ toties propè in manibus uictoriã habui, is ultro ad pacem petendã uenirem, lætor te mihi sorte potissimum datũ, à quo pacem peterẽ. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudũ hoc fuerit, Annibalem, cui tot de Romanis ducibus uictoriam Dij dedissent, tibi cessisse, teq́ꝫ huic bello uestris plus quàm nostris cladib. insigni finem imposuisse. Hoc quoqꝫ ludibrium fortuna, an casus ediderit, ut cum patre tuo consule ceperim arma, cum eodem primum Romano imperatore signa contulerim, ad filium eius inermis ad pacem petendam ueniam. Optimũ quidem fuerat eam patribus nostris mentem datam ab ijs esse, ut & uos Italiæ, & nos Africæ imperio contenti essemus. Neque enim ne uobis quidem Sicilia atqꝫ Sardinia satis digna precia sunt pro tot classibus, tot exercitibus, tot tamque egregijs amissis ducibus. Sed præterita magis reprehendi possunt, quàm corrigi. Ita aliena appetiuimus, ut de nostris dimicaremus, nec in Italia solum uobis bellum, nobisq́ꝫ

nobisq́ in Africa est, sed & uos in portis uestris propè ac mœnibus signa armaq́ hostium uidistis, & nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudiuimus. Quod igitur nos maximè abominaremur, uos autē ante omnia optaretis, in meliore uestra fortuna de pace agitur, agimusq́ ij, quorum & maximè interest pacem esse, & qui quodcunq; egerimus, ratum ciuitates nostrę habituræ sint. Animo tantum nobis opus est non abhorrente à quietis cōsilijs. Quod ad me attinet, iam ætas senem in patriā reuertentē, unde puer profectus sum, iā secūdę iā aduersæ res ita erudierūt, ut rationē sequi, quàm fortunā malim. Tuam & adolescentiā & perpetuam felicitatem, ferociora utraq; quàm quietis opus est cōsilijs, metuo. Non temerè incerta casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Trasimenū, ad Cannas, id tu hodie es uix dum militari imperio accepto. Omnia audacissimè incipientē nusquā fefellit fortuna. Patris & patrui persecutus mortem, ex calamitate uestræ domus decus insigne uirtutis pietatisq; eximiæ cepisti, amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde Punicis exercitibus pulsis, Consul creatus, quum cæteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, duobus hic exercitibus cæsis, binis eadem hora captis simul incensisq́ castris, Syphace potentissimo rege capto, tot urbibus

regni

regni eius, tot nostri imperij ereptis, me sextum decimum iam annum hærentem in possessione Italiæ detraxisti. Potest uictoriam, inquam, malle, quàm pacem animus? Noui uobis spiritus magis magnos, quàm utiles, & mihi talis aliquando fortuna affulsit. Quòd si in sequundis rebus bonam quoque mentem donarēt Dij, non ea solum quæ euenissent, sed etiam ea quæ euenire possent, reputaremus. Vt omnium obliuiscaris aliorum, satis ego documēti in omnes casus sum, quem modo in castris inter Aniēn & urbem Romam positis, signa inferentem ad mœnia Romana uideras, hic cernas duobus fortissimis uiris fratribus clarissimis imperatoribus orbatum ante mœnia propè obsessæ patriæ, quibus terrui uestram urbem, ea pro mea deprecantem. Maximæ cuique fortunæ minimè credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubijs, tibi ampla ac speciosa danti est pax, nobis petētibus magis necessaria, quàm honesta. Melior tutiorque est certa pax, quàm sperata uictoria, hæc in tua, illa in Deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in unius horæ dederis discrimen; quū tuas uires, tum uim fortunæ, Martemque belli communem propone animo, utrinque ferrum, corpora humana erunt, nusquam minus, quàm in bello euentus respondent. Nō tantū ad id, quod data pace iam habere potes, si prælio uincas, gloriæ adieceris, quantū ademeris,

ris, si quid aduersi eueniat, simul parta ac sperata decora, unius horæ fortuna euertere potest. Omnia in pace iũgenda tuæ potestatis sunt, P. Corneli, tunc ea habenda fortuna erit, quam Dij dederint. Inter pauca felicitatis uirtutisq́ exempla, M. Attilius quondam in hac eadẽ terra fuisse fertur, qui sic uictor pacem petentibus patribus nostris abnuit, sed non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit. Est quidẽ eius, qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis, sed forsitan non indigni simus, qui nobismetipsis mulctam irrogemus, qui nõ recusamus quin omnia propter quæ bellum initum est, uestra sint, Sicilia, Sardinia, Hispania, quicquid insularum toto inter Africam Italiamq́ continetur mari, Carthaginenses inclusi Africę littoribus: uos (quando ita Dijs placuit) externa etiam terra mariq́ uideamus regentes imperia. Haud negauerim, propter non nimis syncerè petitam aut expectatam nuper pacem, suspectam uobis esse Punicam fidem. Multum per quos petita sit, ad fidem tuendæ pacis pertinet, Scipio. uestri quoque (ut audio) patres nõnihil etiã ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerunt pacem. Annibal peto pacem, qui neq́ peterem, nisi utilẽ crederẽ, & propter eandẽ utilitatẽ tuebor eam, propter quã petij. Et quemadmodũ, quod

quod à me bellum cœptum est, ne quẽ eius pœniteret quoad ipsi nõ inuidere Dei, præstiti, ita annitar, ne quẽ pacis per me partę pœniteat.

Si hoc ita fato.) Deliberatio de pace certis legibus componenda. À re ipsa, & persona sua exorditur. Fatum ueteres dixerunt ordinem quendã rerum seriemq́;, quæ ita connexæ erant, ut quælibet alteram necessario sequeretur. Ii necessitate omnia fieri dicebant, quorum sententiam & Cicero uno libro, cui à re ipsa nomen dedit, & Aristoteles in Logicis, Physicis & Metaphysicis refutat. *Optimum quidem.)* Narrare hinc incipit. *Mentem datam.)* eum rationis usum, eum intellectum concessum. *Contenti essemus.)* sufficeret & satis esset nobis imperium. *Quod igitur nobis.)* Propositio est eius rei de qua deliberatur, ex narratione collecta. *De pace agitur.)* tractatur. *Animo tantũ.)* Hactenus proposuit, nunc confirmat. *Vt rationem sequi.)* propositum, consilium, quod dictat & præscribit ratio ipsa approbare. Eam ipsam rationem hoc ipso malle sequi debemus, quòd quæ ab ipsa fiunt, aut semper, aut ferè eodem ordine succedant. At quæ à fortuna ut est causa indefinita & uaria, nunc hoc, nunc illo ductu sine lege perseuerant. *Non temerè)* ferè, fermè unquam, Nunquã inuenias sine negatione. Fabius ei adiecit

Vnquam

Vnquam in primo: Illud uelut præcox ingeniorum genus haud temere unquam peruenit ad frugem. A fortunæ temeritate suadet tota prope oratione, unde partes suadēdi facile colligi possunt, ut utile, necessariū, æquum, iustum, facile. Euentus respondent.) exitus satisfaciūt uotis. Inter tam pauca) Exemplum à pari. Non statuendo.) non imponendo. Est quidē eius.) Hic suadet ab æquo. Nā æquum censeri debet, cum eo facere pacē, qui conditiones non solum non recusat, sed etiam ultro sibi imponit. Mulctā irrogemus) Vide supra quid mulcta uocetur. Longe refert, mulctam quis dicat, an irroget. Nam mulctam dicit, qui eam imponit disceptandam. Liuius v. huius. L. & Sp. Caruilij, quum rem inuisam infamemq; cernerēt, ducentûm milium æris mulctam M. Posthumio dixerūnt. Irrogat autem, qui eam imponit etiamsi discrepationis ratio non habeatur. Nam si is mulctam imponat, à quo non est prouocatio, fieri non potest ut dixisse uideatur. uulgo dicitur ponere in emenda. Quemadmodum quis dicitur irrogare mulctam, ita abrogare, quando mulctam constitutam soluit, item remittere, quum diminuit summam æris. Haud negauerim.) Hoc loco diluit suspicionem, quam de Carthaginēsibus concipere potuerat Scipio, quod paulo ante legati Carthaginenses Romæ suspecti habi-

tire

ti re infecta dimißi essent. Nam quum pacem ijsdẽ prorsus conditionibus peterent, quæ cum C. Luctatio consule priore bello Punico actæ erant, nullam nominatim exprimendo, à senioribusq; senatoribus rogarentur quænam eæ forent, nec per ætatem se posse nominare profiterẽtur, omnes id fraude Punica agi conclamarunt. Ita omnium consensu, senatus autoritate re infecta dimißi. Multũ, per quos.) *Sensus est* Multum pertinet, conducit, ad fidem tuendæ pacis, id est ut fiat fides tuendæ & custodiendæ pacis, per quos petatur, qui qualés ue legati pacem petant. Hoc subiecit, quòd Carthaginenses usi fuißent in legatione hominibus admodũ iuuenibus, cuius generis non temere inest dignitas & autoritas. Et quemadmodum quod à me.) Alij libri corrigendi sunt, in quibus qui pro quod legitur. Præstiti.) effeci, exolui.

Scipionis ad Annibalem responsum.

CXXXVIII.

NOn me fallebat, Annibal, aduentus tui spe Carthaginenses & præsentem induciarũ fidem, & spem pacis turbasse. Neque tu id sanè dissimulas, qui de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas, præter ea quæ iam pridem in nostra potestate sunt. Cæterum sicut tibi curæ est, sentire ciues tuos quanto per te onere leuentur: sic mihi laboran

A dum

554

dum est, ne quæ tunc pepigerunt, hodie subtra cta ex conditionibus pacis, præmia perfidiæ habeantur. Indigni quibus eadem pateat conditio, ut etiam prosit uobis fraus petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum: & tum Mamertinorum sociorum periculum, & nunc Saguntí excidium nobis pia ac iusta induerunt arma. Vos lacessisse & tu ipse fateris, & Dij testes sunt, qui & illius belli exitum secundum ius fasque dederunt, & huius dant, & dabunt. Quod ad me attinet, & humanæ infirmitatis memini, & uim fortunæ reputo, & omnia quæcunque agimus, subiecta esse mille casibus scio. Cęterum quemadmodum superbè & uiolenter me facere fateter, si prius quàm in Africam traiecissem, te tua uoluntate cedentem Italia, & imposito in naues exercitu, ipsum uenientem ad pacem petendam asperniarer: sic nunc, quum propè manu conserta, restitantem ac tergiuersantem in Africam attraxerim, nulla sum tibi uerecundia obstrictus. Proinde si quid ad ea in quæ tum pax conuentura uidebatur (quæ sunt nosti) mulctę nauium cum commeatu per inducias expugnatarum, legatorumque uiolatorum adijcitur, est quod referam ad concilium. Sin illa quoque grauia uidentur, bellum parate, quoniam pacē pati non potuistis.

Argu-

Argumentum in CXXXIX.

Inter alias pacis conditiones Carthaginensibus petentibus pacem à Scipione autoritate senatus datas, id etiam propositum erat, ut in annos quinquaginta, decem milia talentûm argenti pensionibus æquis soluerent. Prima collatio pecuniæ longo bello exhaustis difficilis uidebatur. Itaq; quum ob eam ipsam causam cæteris in curia Carthaginensi mœrentibus atq; flentibus unus Annibal rideret, tum Asdrubal Hœdus ridentem in publico fletu atq; luctu increpauit, quum præsertim earum lachrymarum ipse causa esset. Tum Annibal in hanc sententiam respondit obiurganti, atq; cæteris.

Annibalis ad Carthaginenses, qui reprehenderant quod risisset in communi fletu, oratio. CXXXIX.

SI quemadmodum oris habitus cernitur oculis, sic & animus intus cerni potuisset, facile uobis appareret non læti, sed propè amentis malis cordis hunc quem increpatis risum esse: qui tamen nequaquam adeò est intempestiuus, quàm uestræ istæ absurdæ atque abhorrentes lachrymę sunt. Tunc flesse decuit, quũ adēpta nobis arma, incensæ naues, interdictum externis bellis. illo enim uulnere cõcidimus. Nec esse in uos odio uestro cõsultũ ab Romanis credatis. Nulla magna ciuitas quiescere

potest: si foris hostem non habet, domi inuenit: ut præualida corpora ab externis causis tuta ui dentur, sed suis ipsa uiribus onerantur. Tantū nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad priuatas res pertinet: nec in eis quicquam acrius, quàm pecunię damnum stimulat. Itaque quum spolia uictoriæ Carthagini detrahebantur, quum inermem iam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africæ cerneretis, nemo ingemuit: nunc quia tributum ex priuato conferendum est, tanquam in publico funere comploratis. Quàm uereor, ne propediem sentiatis leuissimo in malo uos hodie lachrymasse.

FINIS CONCIONVM EX TERTIA DECADE sumptarum.

SEQVENTES EX QVARTA SVMPTAE, ET primum ex libro primo, qui XXXI.

Argumentum in CXL.

Peruastabant Atheniensium agros Macedones: quæ fuit causa, ut quū per se resistere Athenienses non possent, Romam de auxilio legatos mitterent. Interim decretæ sunt prouinciæ: Macedonia P.

Sulpitio

Sulpitio consuli decreta. Iam rogatio de bello Macedonico promulgata erat, quum centuriæ omnes eam abrogant suasu præsertim Q. Bebij tribuni plebis, qui incusando patres, bellum ex bello seri & oriri dicebat. Patrum tandem ualuit autoritas, quorum precibus uictus P. Sulpitius cẽturijs deintegro ad comitia ferendæ rogationis causa uocatis, priusquam in suffragia misisset, in hæc uerba bellum Macedonicum suasit.

P. *Sulpitij consulis ad populum de bello in Macedoniam transferendo concio.* CXL.

IGnorare uidemini mihi, Quirites, non utrũ bellum an pacem habeatis, uos consuli (neque enim liberum id uobis permittet Philippus, qui terra mariq; ingens bellum molitur) sed utrum in Macedoniam legiones transportetis, an hostem in Italiam accipiatis. Hoc quantum intersit, si unquam antè aliàs, Punico certè proximo bello experti estis. Quis enim dubitat, quin si Sagũtinis obsessis, fidemq; nostram implorantibus impigrè tulissemus opem, sicut patres nostri Mamertinis tulerant, totum in Hispaniam auersuri bellum fuerimus, quod cunctando cum summa clade nostra in Italiam accepimus? Ne illud quidem dubiũ est, quin hũc ipsum Philippum pactum iam per legatos literasq; cum Annibale in Italiam traijcere, misso

cum classe Leuino, qui ultro ei bellum inferret, in Macedonia continuerimus. & quod tunc fecimus, quum hostem Annibalem in Italia haberemus, id nunc pulso Italia Annibale, deuictis Carthaginẽsibus, cunctamur facere? Patiamur expugnandis Athenis, sicut Sagunto expugnãdo Annibalem passi sumus, segnitiã nostrã experiri regem: non quinto inde mense, quemadmodum ab Sagunto Annibal, sed quinto inde die, quàm ab Corintho soluerit naues, in Italiã perueniet. Ne æquaueritis Annibali Philippũ, ne Carthaginensibus Macedonas: Pyrrho certè æquabitis, dico quantũ uel uir uiro, uel gens genti præstat. Minima accessio semper Epirus regno Macedoniæ fuit, & hodie est. Peloponnesum totã in ditione Philippus habet, Argosq́ ipsos, non uetere fama magis quàm morte Pyrrhi nobilitatos. Nostra nunc compara: quanto magis florentem Italiã, quanto magis integras res saluis ducibus, saluis tot exercitibus, quos Punicum postea bellum absumpsit, aggressus Pyrrhus? tamen concussit, et uictor propè ad ipsam urbem Romam uenit: nec Tarẽtini modo oraq́ illa Italiæ quam Maiorem Græciam uocant, ut linguam, ut nomen secutos crederes, sed Lucanus & Brutius & Samnis à nobis defecerunt. Hæc uos, si Philippus in Italiam transmiserit, quietura, aut mansura in fide creditis? Manserunt enim Punico postea bello. Nũ

quam

quam isti populi, nisi quũ deerit ad quẽ desciscant, ab nobis nõ deficient. Si piguisset uos in Africam traijcere, hodie in Italia Annibalem & Carthaginenses hostes haberetis. Macedonia potius quàm Italia bellũ habeat, hostiũ urbes agriq; ferro atq; igni uastentur. Experti iam sumus, foris nobis, quàm domi, feliciora potentioraq; arma esse. Ite in suffragium, bene iuuantibus Dijs, & quæ patres censuerunt, uos iubete. Huius uobis sententiæ non consul modo autor, sed Dij immortales, qui mihi sacrificanti precantiq; ut hoc bellum mihi, senatui, uobisq; & socijs ac nomini Latino, classibus exercitibusq; nostris bene ac feliciter eueniret, læta omnia prosperaq; portendere.

Ignorare uidemini.) Suasio in id quæsita, ut bellũ in Macedoniã transferatur, non in Italiã accipiatur. Exordiũ petitur à re ipsa, estq; ceu propositio quædã rei eius de qua deliberandũ erat. Hoc quantũ.) Confirmationis principiũ. Quis enim.) Exemplũ à pari. Ne illud.) A' maiore. Cũctamur facere) dubitamus, cessamus. Cũctantur proprie qui rationibus in utranq; partẽ adductis, etiamsi melior altera pars uideatur, tamẽ pigritia, aut quodio tarditatis uitio prohibiti, eam sequi aut prætermittunt aut omittunt. Sumitur & in bonum, sicut antè de Fabij cunctatione constare poßit.

Patiamur.) permittamus. A' metu instanti

ſuadet. Sed quinto inde.) Venuſta & elegans formula: Quinto die quàm ſoluerit, in Italiam perueniet: pro quo uulgò dicimus, quinq; diebus, aut quinto die poſtquàm digreſſus fuerit, in Italiam appellet. Nam in nominibus ordinem numeri ſignificantibus, ut tertio, quarto, quinto, & ita de cæteris generis eiuſdem, item pridie, & poſtridie, ubi ſignificatio uocis poſtquam deprehenditur, ornatè dictionis parte altera detracta, quàm duntaxat exprimitur. Næ æquaueritis.) A' difficili. Quàm morte Pyrrhi.) Pyrrhus enim nocte temerè Argos ingreſſus inter confertiſsimos pugnans ſaxo è muris deuoluto occubuit. Saluis ducibus.) incolumibus, ſuperſtitibus. Liuius ſæpe hoc ipſo uocabulo uti ſolet, nunc pro incolumi atq; ſtante, nunc pro integro atq; inuiolato, ut ſaluis auſpicijs, ſalua religione quicquam fieri non poſſe. Solet item uti uocabulo integri in eandem propè ſignificationem. Nā integrum uocat, quod nulla ex parte corruit: aliàs quod nondum eſt definitum & agitatum, ut alio loco ſuprà dixit: Agite cum collega ut rem integram in aduentum conſulis differat. Hæc parua quidem ſunt, cæterum quæ non ſunt negligenda. Manſura in fide.) Eſſe in fide, & manere in fide, non latè diſcrepant. Is eſt in fide alicuius, qui ſe tradidit in eius cuſtodiam, tutelam, & auxilium, quod uulgò

dicimus

dicimus, ut Budæus noster docet, esse in feudo, uel tenere feudum. Manet autem in fide, qui perstat atq; perseuerat in tutela et defensione alterius, nec ad hostes ab ipso deficit. Fides enim nonnunquam auxilium & tutelam significat. Hinc implorare fidem dicimus, pro requirere auxilium, sed instantia quadam & affectu. Et quæ patres.) *Hic plane uides, quod supra quoq; admonuimus, patres solitos censere & decernere, populum iubere.* Qui mihi sacrificanti.) *Hinc collige ueteres Romanos in dubijs rebus aut malis, quo ea res sibi bene uerteret, Dijs solitos sacra facere: quod hodie nos quoq; facimus.*

Argumentum in CXLI.

Philippus rex Macedonum cum Aetolis fœdus inierat: quos à Romanis contra se quum solicitari audiret, misit legatos tum quum breui eorum concilium futurum esset, qui suaderent ut in Macedonũ potius fide manerent, q̃ Romanis, à quib. tot causæ odiorũ in ipsis esset, se iũgerent. Legati eo in concilio ante Romanos dicere iußi, ita rem exposuerũt.

Legati Macedonum in concilio Aetolorum in Rom. actio. CXLI.

AN imitari Romanorum licentiam, an leuitatem dicam, mauultis? qui quum legatis uestris Romæ responderi ita iussis-

ſent, quid ad nos uenitis Aetoli, ſine quorum autoritate pacem cum Philippo feciſtis? ijdem nũc ut bellũ ſecũ aduerſus Philippum geratis, poſtulant, & antea propter uos, & pro uobis arma ſumpta aduerſus eũ ſimulabant, nũc uos in pace eſſe cũ Philippo prohibẽt. Meſſanæ ut auxilio eſſent, primo in Siciliã conſcenderũt, iterũ ut Syracuſas oppreſſas ab Carthaginẽſibus in libertatẽ eximerent: et Meſſanam, & Syracuſas, & totam Siciliam ipſi habẽt, uectigalemq́ prouinciam ſecuribus & faſcibus ſubiecerũt. Scilicet ſicut uos Naupacti legibus ueſtris per magiſtratus à uobis creatos cõciliũ habetis, ſociũ, hoſtẽq́ liberè quẽ uelitis lecturi, pacẽ ac bellũ arbitrio habituri ueſtro: ſic Siculorũ ciuitatib. Syracuſas aut Meſſanã aut Lilybæũ indicitur conciliũ populi Romani: Romanus conuentus agitur, eò imperio euocati conueniunt: excelſo in ſuggeſtu ſuperba iura reddentem ſtipatũ lictoribus uident: uirgę tergo, ſecures ceruicibus imminent, & quotannis aliũ atq; aliũ dominũ ſortiuntur. Nec id mirari debent aut poſſunt, quũ Italiæ urbes, Rhegiũ, Tarentũ, Capuamq́ finitimas, quarum ruinis creuit res Romana, eiuſdem ſubiectas uideant imperio. Capua quidẽ ſepulchrum & monumentũ Campano populo data, extorri & eiecto ipſo populo, ſuper eſt urbs trunca, ſine ſenatu, ſine plebe, ſine magiſtratibus: prodigium, relicta crudelius habitã

da

da, quàm si deleta foret. Furor est, si alienigenę homines, plus lingua & moribus & legibus, quàm maris terrarumq́ spacio discreti, hæc tenuerint, sperare quicquam eodem statu mansurum, Philippi regnum officere aliquid uideri libertati uestræ: qui quum merito uestro uobis infestus esset, & nihil à uobis ultrà quàm pacē petijt, fidemq́ hodie pacis pactæ desiderat. Assuefacite his terris legiones externas, & iugum accipite: sero ac nequicquam quum dominum Romanum habebitis, socium Philippum quæretis. Aetolos, Acarnanas, Macedones, eiusdem linguæ homines, leues ad tempus ortæ causæ disiungunt, coniunguntq́: cum alienigenis, cū barbaris ęternum omnibus Græcis bellum est, eritq́. Natura enim, quæ perpetua est, non mutabilibus in diem causis hostes sunt. Sed unde cœpit oratio mea, ibi desinet. Hoc eodem loco ijdem homines de eiusdem Philippi pace triennio antè decreuistis, ijsdem improbantibus eā pacem Romanis, qui nunc pactam & compositā turbare uolunt. In qua consultatione nihil fortuna mutauit, cur uos mutetis, non uideo.

An imitari.) *Hoc non est principium totius sermonis, sed tantum unde tributus à* Liuio *est sermo. Actio & dißuasio in id comparata, ne pro* Roma*nis aduersus* Philippum *starent* Aetoli, *sed potius*

in

in fide & societate manerent. Iidem nunc.)*Propositio eius rei uidetur,quàm uelint aduersarij,Macedones autem dissuadent.* Messanæ.)*Atrocia facta Romanorum in plerosq; populos enumerat,ut eorum indignitate deterritos Aetolos in fide retineat. Si quis propius inspiciat, maxime pertinere ad causam putabuntur. Nam eò exempla proponit, ut Aetoli credăt eadē sibi ab Romanis si iungăt cū ijs amicitiā,impendere.* Vectigalemq;.)*stipendiariā,& ut uulgò dicimus,tributariā.* Indicitur.) *denunciatur,& ut uulgò loquimur, significatur. Hic nota,locum eum in quo habetur concilium, accusandi casu significari debere, si utaris uerbo aut edico,aut indico.Biennio antè Cameracum indictū est concilium.* Conueniunt.)*congregantur,siue ut loquimur,illic se inueniunt.* Officere aliquid uideri.)*Repeti debet,furor est: ut sit ordo: furor est Philippum uideri aliquid officere.*

Argumentum in CXLII.

Ex priore huius cognitio pendet.Eodem ad eundem diem,ad quem Macedones,& Romani oratores à P. Sulpitio consule mißi,ut cum Aetolis agerent de societate per occasionem cum Romanis iungenda. Ii postremo loco post Macedonas & Athenienses iußi mandata peragere atque exponere, ita locuti sunt.

Legati Romanorum in concilio Aetolorum oratio. CXLII.

TOtam orationis meæ formam Macedones primum, deinde Athenienſes mutarunt. Nam & Macedones, quum ad conquerendas Philippi iniurias in tot ſocias nobis urbes ueniſſem, ultro accuſando Romanos, defenſionem ut accuſatione potiorem haberem effecerunt: & Athenienſes in Deos ſuperos inferosq́ꝫ nefanda atqꝫ inhumana ſcelera eius referendo, quid mihi aut cuiquam reliquerunt quod obijcere ultrà poſſimus? Eadē Chios, Abydenos, Aeneos, Maronitas, Thaſios, Parios, Samios, Lariſſenſes, Meſſenios, hinc ex Achaia exiſtimate queri grauiora etiam acerbioraq́ꝫ eos, quibus nocendi maiorem facultatem habuit. Nam quod ad ea attinet quæ nobis obiecit: niſi gloria digna ſunt, fateor ea defendi nō poſſe. Rhegium, & Capuam, & Syracuſas nobis obiecit. Rhegium Pyrrhi bello legio à nobis Rheginis ipſis ut mitteretur orantibus, in præſidium miſſa, urbem ad quam defendendam miſſa erat, per ſcelus poſſedit. Cōprobauimus igitur id facinus? an bello perſecuti ſceleratam legionem in poteſtatem noſtram redactam, tergo & ceruicibus pœnas ſocijs pendêre quum coegiſſemus, urbem, agros, ſuaq́ꝫ omnia cum libertate legibusq́ꝫ Rheginis reddidimus? Syra-

cuſa-

cusanis oppressis ab externis tyrannis, quo indignius esset, quum tulissemus opem, & fatigati propè per triennium terrâ mariq; urbe munitissima oppugnanda essemus, quum iam ipsi Syracusani seruire tyrannis, quàm capi à nobis mallent, captam iisdem armis, & liberatam urbem reddidimus. Neq; inficias imus Siciliam prouinciã nostram esse: & ciuitates quæcunq; in parte Carthaginensiũ fuerũt, & uno animo cum illis aduersus nos bellum gesserunt, stipendiarias nobis ac uectigales esse. Quin contrà, hoc & uos & omnes gentes scire uolumus, pro merito cuiq; erga nos fortunam esse. An Campanorum pœnæ, de qua neq; ipsi quidem queri possunt, nos pœniteat? Hi homines, quũ pro iis bellum aduersus Samnites per annos propè septuaginta cum magnis nostris cladibus gessissemus, ipsos fœdere primũ, deinde connubio, atq; inde cognationibus, postremo ciuitate nobis coniunxissemus, tempore nostro aduerso, primi omnium Italiæ populorum præsidio nostro fœdè interfecto, ad Annibalem defecerunt. Deinde indignati se obsideri à nobis, Annibalem ad oppugnandam Romam miserunt. Horum si neq; urbs ipsa, neq; homo quisquam superesset, quis id durius quàm pro merito ipsorum statutum indignari posset? Plures sibimet ipsi conscientia scelerum mortem consciuerunt, quàm à nobis supplicio affecti sunt.

Cæteris

Cæteris ita oppidũ, ita agros ademimus, ut agrũ locũq; ad habitandũ daremus, urbẽ innoxiam ſtare incolumẽ pateremur: ut qui hodie uideat eã, nullum ibi oppugnatæ captæ'ue urbis ueſtigiũ inueniat. Sed quid ego Capuam dico? quũ Carthagini uictæ pacẽ ac libertatẽ dederimus? Magis illud eſt periculũ, ne nimis facile uictis ignoſcendo, plures ob idipſum ad experiẽdam aduerſus nos fortunam belli incitemus. Hæc pro nobis dicta ſint. Hæc aduerſus Philippum, cuius domeſtica parricidia, & cognatorũ amicorumq; cædes, & libidinem inhumaniorẽ propè quàm crudelitatem, uos quo propiores Macedoniæ eſtis, melius noſtis. Quod ad uos attinet, Aetoli, nos pro uobis bellũ ſuſcepimus aduerſus Philippum, uos ſine nobis cum eo pacem feciſtis. & forſitan dicatis, bello Punico occupatis nobis, coactos metu uos leges pacis ab eo, qui tum plus poterat, accepiſſe: & nos, quũ alia maiora urgerent, depoſitum à uobis bellũ & ipſi omiſimus. Nunc & nos Deûm benignitate Punico perfecto bello, totis uiribus noſtris in Macedoniam incubuimus, & uobis reſtituẽdi uos in amicitiam ſocietatemq; noſtram fortuna oblata eſt: niſi perire cum Philippo, quàm uincere cum Romanis mauultis.

Totam orationis.) Defenſio eſt tota, niſi ſub finẽ, ubi primũ criminatur, deinde ſuadet. Exorditur

ab incidente re, quod Macedones atq; Athenienses primi iußi dicere fuerant. Philippi iniurias.) quas Philippus socijs ciuitatibus Romanorum intulerat. Iniuria enim alicuius dicitur, non quam accipit, sed quam infert. Rhegium Pyrrhi bello.) De hac re supra nonnihil memini. Plures sibimet ipsi.) T. Liuius idem sexto II. belli Punici septem & uiginti senatores tradit, qui Vibium Viriũ autorem defectionis secuti, cibo potuq; oppleti, ueneno ex industria hausto absumpti sunt. Eius Vibij Virij eo libro suo loco de hac ipsa re concio subiecta est. Conscientia scelerum.) Conscius uulgò in malum ferè sumitur, pro eo qui scelus ausus est cum altero, aut particeps est consiliorum facinoris perpetrati. Verum & in bonum, & in medium ab autoribus probatißimis usurpatur, pro eo qui rem quamlibet cognoscit, sed ferè cum alio. Liuius concione LXXXIIII. Etsi omnes antè actæ uitæ uos conscios habeo. Hinc conscientia sumitur pro cognitione ac scientia ea rerum qua nobiscum, aut cum alijs eas res reputamus: ut si quis me inuasurus sit, tamen longe me ipso ualidior, si mecum reputando quàm is firmus sit, quàm ego contrà imbecillis & ignauus, non ausim congredi: conscientia uirium & mearum & ipsius dicar detrectare certamen. Hoc eò prolixius monui, quod certum habeo

beo in longe alienam rem à multis usurpari, in hãc haud scio an à paucis. Nos pro uobis.) *Totus hic locus cadit in antithetoñ.*

EX LIBRO SECVNDO BELLI MACEDOnici, qui XXXII.

Argumentum in CXLIII.

T. *Quintius in obsidione Elatiæ ratus, Cycliade principe factionis aduersæ expulso, Achæorum animos à Philippo auerti posse, legatos ad Achæos hac de re misit. Aristhenus erat prætor Achæorũ, qui ea in causa Romanis fauebat. Is itaq; quo die legati mandata exposuerant, quum propter imminẽtem noctem nihil transigi ac definiri posse uideret, ius ferendi sententiam dimisso senatu, in posterum diem differt. Postero die potestate facta à magistratibus si quis uellet suadendi, nemo prodibat, quum Aristhenus ne tacitum senatum rursus dimitteret, ita Achæos ipse increpare cœpit.*

Aristheni prætoris Achæorum in eos obiurgatio. CXLIII.

VBi illa certamina animorũ, Achæi, sunt, quibus in conuiuijs et circulis, quum de Philippo & Romanis mentio incidit, uix manibus temperabatis? Nunc in concilio

567

ad eam rem unam indicto, quum legatorum utrinq; uerba audieritis, quum referāt magistratus, quū præco ad suadendum uocet, obmutuistis. Si non cura cõmunis salutis, ne studia quidē, quæ in hanc aut in illā partē animos uestros inclinarunt, uocē cuiquam possunt exprimere, quū præsertim nemo tam hebes sit, qui ignorare possit, dicendi ac suadendi quod quisq; aut uelit, aut optimū putet, nūc occasionē esse prius quàm quicquā decernamus: ubi semel decretum erit, omnibus id, etiā quibus antè displicuerit, pro bono atq; utili fœdere defendendum.

Vbi illa.) Ratio est eos increpandi, qui de re qualibet extra locum atq; tempus nihil aliud quàm uociferantur, loco ipso & tempore omnino tacent & obmutescunt. Exorditur *à facto eorum & consuetudine. Quibus.) certaminibus. Circulis.) in multitudine circumfusa: in turba hominum in circuli & coronæ modum circumfusorum.*

Temperabatis.) abstinebatis, reprimebatis & cohibebatis manus. Vix uos continebatis, quin manus in eos qui contrà sentiebāt, inijceretis. Quū referant.) quum eam proponant agitandam. Quum præco) Hinc *collige præconi ius fuisse uocandi ad suadendum quod quisque uellet. Quod ius obtinere uidentur lictores ij quos* Bidellos *uocamus, in comitijs procuratorijs & archischolasti-*

cis

tis, quum singularum tribuum suos dictatores (intrantes uulgò) uocant ad suffragium. Ne *studia quidem.)* *fauores.*

Argumentum in CXLIIII.

Hoc ad superiorem orationem pertinet. Aristhenus quum ne oratione quidem sua uictos Achæos uideret, ut suaderent, ita de postulatis legatorum Romanorum sententiam peregit.

Eiusdem Aristheni ad Achæos pro postulatis Romanorum oratio.

CXLIIII.

NOn magis consilium uobis, principes Achæorum, deest, quàm lingua: sed suo quisque periculo in cõmune consultum non uult. Forsitan ego quoque tacerem, si priuatus essem: nunc prętor uideo aut non dandum concilium legatis fuisse, aut inde sine responso eos dimittendos non esse. Respondere autem sine uestro decreto qui possum? Et quãdo nemo uestrûm, qui in hoc concilium aduocati estis, pro sententia quicquam dicere uult aut audet, orationes legatorum hesterno die pro sententijs dictas percenseamus, perinde ac si nõ postulauerint quæ è re sua essent, sed suasissent quæ nobis censerent utilia esse. Romani, Rhodijque, & Attalus societatẽ amicitiamque nostrã petunt: & in bello quod aduersus Philippum

gerunt, se à nobis adiuuari æquū censent. Philippus societatis secum admonet, & iurisiurandi, & modo postulat ut secum stemus: modo ne intersimus armis, contentum ait se esse. Nulli'ne uenit in mentem, cur qui nondum socij sunt, plus petunt quàm socius? Non fit hoc neque modestia Philippi, neque impudentia Romanorum. Achæi portus & dant fiduciam postulantibus, & demunt. Philippi præter legatū uidemus nihil. Romana classis ad Cenchreas stat, urbium Eubœæ spolia præ se ferens: consulem legionesq́ eius exiguo maris spacio disiunctas Phocidem & Locridem peruagātes uidemus. Miramini cur diffidenter Cleomedon legatus Philippi ut pro rege arma caperemus aduersus Romanos, modo egerit, qui si ex eodem fœdere ac iureiurando, cuius nobis religionem inijciebat, rogemus eum ut nos Philippus & ab Nabide ac Lacedæmonijs, & ab Romanis defendat, non modo præsidiū quo nos tueatur, sed ne quid respondeat quidem nobis, sit inuenturus, non hercle magis, quàm ipse Philippus, qui priore anno pollicendo se aduersus Nabidem bellum gesturū, quum tentasset nostram iuuentutem hinc in Eubœam extrahere, posteaquā nos neq; decernere id sibi præsidium, neq; uelle illigari Romano bello uidit, oblitus societatis eius, quam nunc iactat, uastādos depopulandosq́ Nabidi ac Lacedæmonijs

reli-

reliquit. Ac mihi quidem minime conueniens inter se Cleomedontis oratio uisa est. Eleuabat Romanum bellum, euentumq; eius eundem fore, qui prioris belli quod cum Philippo gesserunt, dicebat. Cur igitur nostrum ille auxilium absens petit potius, quàm præsens nos ueteres socios simul ab Nabide ac Romanis tueatur? Nos dico, quid ita passus est Eretriam Carystumq; capi? quid ita tot Thessaliæ urbes, quid ita Locridem, Phocidemq;? quid ita nunc Elatiam oppugnari patitur? Cur excessit faucibus Epiri, claustrisq; illis inexpugnabilibus super Aoum amnem aut ui, aut metu, aut uoluntate? relictoq; quē insidebat saltu, penitus in regnũ abijt? Si sua uoluntate tot socios relinquit hostibus diripiendos, quid recusare potest, quin et socij sibi consulant? Si metu, nobis quoq; ignoscat timentibus. Si uictus armis cessit, Achęi nos arma Romana sustinebimus, Cleomedon, quę uos Macedones non sustinuistis? An tibi potius credamus Romanos non maioribus copijs nec uiribus nunc bellum gerere, quàm antea gesserint, potius quàm res ipsas intueamur? Aetolos quum classe adiuuerunt, nec duce consulari, nec exercitu bellum gesserunt, sociorũ Philippi maritimæ etiam urbes in terrore ac tumultu erant: mediterranea adeò tuta ab Romanis armis fuerunt, ut Philippus Aetolos nequicquam opem Romanorum implorantes depo-

pularetur. Nunc autem defuncti bello Punico Romani, quod per sexdecim annos uelut intra uiscera Italiæ tolerauerunt, non præsidium Aetolis bellantibus miserunt, sed ipsi duces belli arma terra mariq; simul Macedoniæ intulerunt. Tertius iam consul summa ui gerit bellum. Sulpitius in ipsa Macedonia congressus fudit fugauitq; regem, partem opulentissimã regni eius depopulatus. Nunc Quintius tenentem claustra Epiri, natura loci, munimentis, exercitu'que fretum castris exuit, fugientem in Thessaliam persecutus: præsidia regia, sociasq; eius urbes propè in conspectu regis ipsius expugnauit. Ne sint uera quæ Athenienses modo legati de crudelitate, auaritia & libidine regis dixerunt: nihil ad nos pertineant quæ in terra Africa scelera in superos inferosq; Deos sint admissa, multo minus, quàm quæ Eleuntij Abydeniq;, qui procul à nobis absunt, passi sunt. Nostrorum ipsi uulnerum, si uultis, obliuiscamur: cædes direptionesq; bonorum Messenæ in media Peloponneso factæ, & hospitem Cyparissiæ Garitenem contra ius omne ac fas inter epulas propè ipsas occisum: & Aratum patrem filiumq; Sicyonios, quum senem infelicem parentem etiam appellare solitus esset, interfectos, Polycratiam eius uxorem libidinis causa in Macedoniam asportatam: cætera stupra uirginum matronarumq; obliuioni

ni dentur, ne sint cum Philippo res, cuius crudelitatis metu obmutuistis omnes (nam quæ alia tacendi aduocatis in consilium causa est?) cum Antigono mitissimo atque iustissimo rege & de nobis omnibus optime merito existimemus disceptationem esse: num id postularet facere nos, quod tum fieri non posset? Peninsula est Peloponnesus, angustis Isthmi faucibus continenti adhærens, nulli apertior atque opportunior, quàm nauali bello. Si centum tectæ naues, & quinquaginta leuiores apertæ, & centũ triginta Issiaci lembi maritimam oram uastare, & expositas propè in ipsis littoribus urbes cœperint oppugnare, in mediterraneas scilicet nos urbes recipiemus, tanquam non intestino & hærente in ipsis uisceribus utamur bello? Quũ terra Nabis & Lacedæmonij, mari Romana classis urgebunt, unde regiam societatem & præsidia Macedonum implorem? An ipsi nostris armis ab hoste Romano tutabimur urbes quæ oppugnabuntur? Egregie enim Dymas priore bello sumus tutati. Satis exemplorũ nobis alienæ clades præbent, ne quęramus quẽadmodum cæteris exemplo simus. Nolite, quia ultro Romani petunt amicitiã, id quod optandum uobis, ac summopere expetendũ erat, fastidire. Metu enim uidelicet compulsi in aliena terra, quia sub umbra auxilij uestri latêre uolunt, in societatem uestram confugiunt, ut por

tubus uestris recipiantur, ut cõmeatibus utantur. Mare in potestate habent, terras quascunque adeunt, extemplo ditionis suę faciunt: quod rogant, cogere possunt: quia pepercisse uobis uolunt, committere uos cur pereatis, non patiuntur. Nam quod Cleomedon modo tanquam mediam & tutissimam uobis uiam consilij, ut quiesceretis, abstineretisque armis, ostendebat: ea non media, sed nulla uia est. Etenim pręterquã quòd aut accipienda, aut aspernanda uobis Romana societas est: quid aliud quàm (nusquam gratia stabili, uelut qui euentũ expectauerimus ut fortunæ applicaremus nostra consilia) præda uictoris erimus? Nolite si quod omnibus uotis petendum erat, ultro offertur, fastidire. Non quemadmodum hodie utrunque uobis licet, sic semper liciturum est. Nec sæpe, nec diu eadem occàsio erit. Liberare uos à Philippo iamdiu magis uotis, quàm armis audetis: sine uestro labore & periculo, qui uos in libertatem uindicarent, cum magnis classibus exercitibusque mare traiecerunt. Hos si socios aspernamini, uix sanæ mentis estis: sed aut socios, aut hostes habeatis oportet.

Non magis.) *Deliberatio est, utrum Achæi aduersus* Philippum *pro* Romanis *stare debeant, an manere in societate* Philippi. *Suadet pro* Romanis *standum esse potius, quàm pro* Philippo. *Exorditur*

tur à taciturnitate Achæorum, qui semel atq; iterum sententiam rogati de hac ipsa re, prorsus obmutuerant. Exorditur item & à persona sua. In commune consultum.) consulere, prouidere Reip. Sententia est. Nunc prætor.) Prætor hoc loco eum significat, qui summam iudiciorũ habet, cuiq; iudices parent. Hodie præpositũ uocamus. A' præ essendo prætorem appellatum Varrò autor est. T. Liuius sexto ab Vrbe condita prætorem urbanum tum primum creatum scribit, qui ius in urbe diceret. Primus fuit Sp. Furius Camillus. Primum patricijs modò patebat, deinde promiscuè siue plebeius siue patricius inibant. Romani, Rhodijq;.) Propositio est eius rei de qua deliberandũ erat. Stemus.) permanemus in societate. Nulli'ne.) Cõfirmatio cum refutatione. Philippi præter.) A' metu per contrapositum. Qui si ex eodem.) Ab æquo et iusto longa oratione dissuadet. Religionem inijciebat.) Religionem inijcere, est metum quendam proponere uiolandi eius quod nobis Diuos iratos redderet, si uiolaretur, aut certe creditur uersurum in nos iram. Nam multorum religio inijci potest, quæ re ipsa nõ auerterent à nobis Diuos, cuiusmodi sunt quæ ignaro & experti omnis diuini & humani iuris à docto subijci possunt. Hoc latius patet, quàm obstringere religione. Quisquis

enim obstringit, continuo etiam iniicit religionem: non contra. Conueniens inter se.) Ea forma dixit conueniens inter se oratio, qua dicitur consentiens seu constans sibi, ac sui similis. Hæc omnia id significant quod uulgò dicimus, repugnans ipsa sibi oratio, & quæ continet repugnantia. Homo sibi non constat, qui sui similis non est, ac ut uulgò dicimus, qui seipse non intelligit, ac plerumq; contraria atq; pugnantia dicit. Hinc uerba Quintiliano libro quarto capite de narratione non consentiunt, quibus admixta sunt inter se pugnantia. Ita enim eo loco, Curandum, inquit, præcipuè (quod fingentibus frequenter accidit) ne qua inter se pugnent. Quædam enim patribus blandiuntur, sed in summam non consentiunt. Ea uerba hodie Dialectici non stare simul in ueritate uociferantur. Cur ille nostrum.) Refutat ea quæ à Cleomedonte de bello quod Philippus tum aduersus Romanos gerebat, iactata erant: id'que à Philippi seu perfidia, seu inhumanitate, seu ignauia: Romanorum contrà fide ac uiribus. Maritimæ etiam.) quæ mari adiacent, & adhærent. Defuncti bello.) liberati, explicati: ubi finem imposuere bello. Ne sint uera.) ponamus seu fingamus non esse uera. Ita enim totus hic locus explicari debet, quo occulta quadam arte atrocia

trocia & infanda Philippi facta enumerando, uelut aliud agens in inuidiam et odium eum adducit.

Peninsula est.) Peninsula est regio terráue aquis prope circūdata, quasi penè insula. Opportunior.) aptior. Si Centum.) Maiuscula litera notari debet. Ab impoßibili. Etenim prǽterquā quod.) A' necessario. Nolite, si quod.) Ab opportuno & facili.

Argumentum in CXLV.

Placuerat Philippo T. Quintium consulem acciri ad colloquium, consul etsi grauate, tamen regi conceßit. Littus prope Niceam ad colloquium utrinq; eligitur. Quò ubi conuenerunt, ita antè collocuti sunt, quàm de pacis legibus ageretur. Hoc subijcere lubuit propter festiuitatem.

Philippi regis & T. Quintij consulis congressus. CXLV.

INter hos Romanus ad extremum littus progressus, quum rex in proram nauis in anchoris stantis processisset: Commodius, inquit, si in terram egrediaris, ex propinquo dicamus inuicem, audiamusq́;. Quum rex facturum se id negaret, Quem tandem, inquit Quintius, times? Ad hæc ille superbo & regio animo: Neminem equidem timeo præter Deos immortales: non omniū autem credo fidei, quos circa te uideo, atq; omniū minime Aetolis

Aetolis. Istud quidem, ait Romanus, par omnibus periculum est, qui cum hoste ad colloquiũ congrediuntur, ut in nullo sit fides. Non tamẽ, inquit rex, ô Tite Quinti, par perfidiæ præmiũ est, si fraude agatur, Philippus & Phaneas. Neque enim æque difficulter Aetoli prætorem aliũ, ac Macedones regẽ in meũ locũ substituãt.

Ex propinquo.) quod uulgò dicitur, nos melius de prope loquemur. *Dicamus inuicem.) Dicere inuicem, & audire inuicem, id significãt quod uulgò dicimus, dicere unum post alium, et audire se inter se loqui, seu uicißim.* *Et Phaneas.) Is erat prætor Aetolorum.*

Argumentum in CXLVI.

Datis à T. Quintio Philippo regi pacis conditionibus, Phaneas Aetolorum prætor postulabat inter cætera, ut rex ex Græcia decederet, restitueretq́; Aetolis quæ quondam ipsorum iuris fuissent. quum Alexander Aetolorum princeps interpellato sermone Phaneæ quidem, sed de illa ipsa re continuato, Philippo inter alia obijcere cœpit, quod plura socius Aetolis ademisset, quàm hostis, Thessalorum socius urbes diruisset, Lysimachiã pulso præsidio Aetolorum occupasset, Chium suæ ditionis urbem funditus euertisset. Hæc Philippo obijciebantur, quibus ita respondit.

Phi-

Philippi regis ad Aetolos & alios responsum. CXLVI.

AN quod à socijs eorum non abstinuerim, iustam querelam habent? quum ipsi pro lege hunc morem antiquitus seruent, ut aduersus socios ipsi suos publica tantũ autoritate dempta iuuentutem suam militare sinant, & contrariæ persæpe acies in utraq; parte Aetolica auxilia habeant? Neq; ego Chium expugnaui, sed Prusiam socium & amicum expugnantem adiuui, & Lysimachiam ab Thracibus uindicaui: sed quia me necessitas ad hoc bellum à custodia eius auertit, Thraces habent. Aetolis hæc, Attalo autem, Rhodijsq; nihil iure debeo. Non enim à me, sed ab illis principiũ belli ortum est. Romanorum autem honoris causa Pyrrhæeam Rhodijs, & naues Attalo cũ captiuis qui cõparebunt, restituam. Nam quod ad Nicephorium, Venerisq; templi restitutionẽ attinet: quid ea restitui postulantibus responde am, nisi (quo uno modo syluæ luciq; cæsi restitui possunt) curã impensamq; sationis me præstaturum? quoniam hæc inter se reges postulare & respondere placet.

An quod à socijs.) *Nec principium est hoc sermonis à Philippo habiti, nec finis est, quod ad postremum subieci. Ea Liuius refert.* *Attalo autem* *Attali regis legatus quum Philippo pacis leges ferrentur*

rentur, postulauerat ut naues captiuosq́;, quæ ad Chium nauali prælio capta erant, Philippus redderet, restitueretq; pro incorruptis Nicephorium, Venerisq́; templum, quæ spoliasset. Rhodij autem inter alia Pyrrhæeam reddi petierant. Restitutionem attinet.) Restituere, aliàs reddere est quod quisq; alieni teneat: hic uero restaurare significat, & reparare, in pristinumq́; nitorem erigere quod uiolatum corruptumúe fuerit. Hinc restitutio, restauratio.

EX LIBRO QVARTO BELLI MACEDONICI (NAM in tertio nulla est) qui XXXIIII.

Argumentum in CXLVII.

M. Oppius & T. Romuleius tribuni plebis inter procellas belli Punici Qu. Fabio & T. Sempronio consulibus legem tulerant, ne qua mulier plus semuncia auri haberet, neu uestimento uersicolori uteretur, neu iuncto uehiculo in Vrbe oppidóue aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa ueheretur. Ea lex ab altero latore Oppia dicta. Matronæ nobiles omnes homines ad legis abrogationem solicitabant: nec iam ulla autoritate, uerecundia, imperióue primorum patrum à limine senatus contineri atque arceri poterant. Nunc ad forum frequentes con-

conueniebant, nunc per uias Vrbis discurrebant orantes uiros, ut in tam sequunda fortuna sibi ornatus aduersis rebus negatus atq; ademptus redderetur. Lex ipsa præter tribunos pl. duos, M. quoque Porcium Catonem consulem defensorem habebat: cæteri ferè impugnabant. Is itaq; Porcius Cato matronarũ conciliabula tota Vrbe, totis diebus frequentia præter morem fieri cernens, quum quid ita conuenirent intellexisset, aduocata concione ita pro lege aduersus luxuriam mulierum disseruit. L. Valerius tribunus ple. is qui tulerat, de lege abroganda, post Catonem, ut sequitur, pro mulieribus aduersus legem Catoni respondit.

M. Porcij Catonis consulis pro lege Oppia contra mulierum luxuriam concio.

CXLVII.

SI in sua quisq; nostrũ matrefamilias, Quirites, ius & maiestatem uiri retinere instituisset, minus cum uniuersis fœminis negotij haberemus. Nunc domi uicta libertas nostra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur & calcatur: & quia singulas sustinere non potuimus, uniuersas horremus. Equidem fabulam, & fictam rem ducebam esse, uirorum omne genus in aliqua insula coniuratione muliebri à stirpe sublatum esse. Ab nullo genere nõ summum periculum est, si cœtus &

conci-

concilia & secretas consultationes esse sinas. At que ego uix statuere apud animum meum possum, utrum peior ipsa res, an peiore exemplo agatur: quorum alterum ad nos consules reliquosq; magistratus, alterum ad uos Quirites magis pertinet. Nam utrum è republica sit, nec ne, id quod ad uos fertur, uestra existimatio est, qui in suffragium ituri estis. Hæc consternatio muliebris, siue sua spōte, siue autoribus uobis, M. Fundani, & L. Valeri, facta est, haud dubie ad culpam magistratuum pertinens, nescio, uobis tribunis, an consulibus magis sit deformis: nobis sic fœminas ad concitandas tribunitias seditiones iā adduxistis: nobis sicut plebis quōdam, sic nunc mulierum secessione leges accipiendæ sunt. Equidem non sine rubore quondā pauloantè per medium agmen mulierū in forum perueni. Quod nisi me uerecundia singularum magis maiestatis & pudoris, quàm uniuersarum tenuisset, ne compellatæ à consule uiderentur, dixissem: Qui hic mos est in publicū procurrendi, & obsidendi uias, & uiros alienos appellandi? Istud ipsum suos quęq; domi rogare nō potuistis? An blādiores in publico quàm in priuato, & alienis quàm uestris estis? quanquā ne domi quidē uos, si sui iuris finibus matronas contineret pudor, quæ leges hic rogarē tur, abrogarentur'ue, curare decuit. Maiores no

stri

ſtri nullam ne priuatam quidem rem agere fœminas ſine autore uoluerũt, in manu eſſe parẽtum, fratrum, uirorum, nos (ſi Dijs placet) iam Rẽp. etiam capeſſere eas patimur, & foro quoque & cõcionibus & comitijs immiſceri. Quid enim nunc aliud per uias & compita faciunt, quàm quod alię rogationes tribunorum pl. ſuadent, aliæ legem abrogandam cenſent? Date frenos impotenti naturæ, & indomito animali, & ſperate ipſas modum licentiæ facturas, niſi uos faciatis. Minimum hoc eorum eſt, quæ iniquo animo fœminæ ſibi aut moribus aut legĩbus iniũcta patiũtur: omniũ rerũ libertatẽ, imò licẽtiã, ſi uera dicere uolumus, deſiderãt. Quid enim ſi hoc expugnauerint, non tentabũt? Recenſete omnia muliebria iura, quibus licentiã earũ alligauerint maiores noſtri, per quæ quanque ſubiecerint uiris: quibus omnibus cõſtrictas uix tamen continere poteſtis, qui ſi carpere ſingula, & extorquere, & exæquari ad extremum uiris patiemini, tolerabiles eas uobis fore creditis? Extẽplo, ſimul pares eſſe cœperint, ſuperiores erunt. At hercule ne quid nouum in eas rogetur, recuſant: non ius, ſed iniuriam deprecantur: imò ut quam accepiſtis, iuſſiſtis ſuffragijs ueſtris legem, quam uſu tot annorum & experiendo comprobaſtis, hãc ut abrogetis, id eſt, ut unam tollendo legem, cæteras infirmetis. Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt, id

C modò

modò quæritur, si maiori parti & in summam prodest. Si quod cuiquam priuatim officiet ius, id destruet, ac demolietur: quid attinebit uniuersos rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ sunt, possint? Volo tamen audire quid sit propter quod matronæ consternatæ procurrãt in publicum, ac uix foro se ac concione abstineant, ut captiui ab Annibale redimantur parentes, uiri, liberi, fratres earum? Procul abest, absitq; semper talis fortuna Reipublicæ: sed tamen quum fuit, negastis hoc pijs precibus earum. At non pietas, nec solicitudo pro suis, sed religio congregauit eas, Matrem Idæam Pesinunte ex Phrygia uenientem acceptura sunt. Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri? Vt auro & purpura fulgeamus, inquiunt, ut carpentis festis profestisq; diebus uelut triumphãtes de lege uicta & abrogata, & captis & ereptis suffragijs uestris, per urbem uectemur: ne ullus modus sumptibus, nec luxuriæ sit. Sæpe me querentem de fœminarum, sæpe de uirorum, nec de priuatorum modo, sed etiam magistratuum sumptibus audistis: diuersisq; duobus uitijs, auaritia et luxuria ciuitatem laborare, quæ pestes omnia magna imperia euerterunt. Hæc ego, quo melior lætiorq; in dies fortuna Reip. est, imperiũq; crescit, & iam in Græciam Asiamq; transcendimus omnibus libidinum illecebris repletas, &

regias

regias etiam attrectamus gazas, eo plus horreo ne illæ magis nos res ceperint, quàm nos illas. Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic urbi: iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes, mirãtesq́;, & antè fixa fictilia Deorum Romanorũ ridentes. Hos ego malò propitios Deos, & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum memoria per legatũ Cyneam Pyrrhus non uirorum modo, sed etiã mulierum animos donis tentauit. Nondũ lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata erat, tamen nulla accepit. Quam causam fuisse censetis? Eadem fuit, quæ maioribus nostris nihil de hac re lege sanciendi. nulla erat luxuria quæ cõerceretur. Sicut antè morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorum: sic & cupiditates prius natæ sunt, quàm leges quę ijs modum facerent. Quid legem Liciniam excitauit de quingentis iugeribus, nisi ingẽs cupido agros continuandi? Quid legẽ Cinciam de donis & muneribus, nisi quia uectigalis iã & stipẽdiaria plebs esse senatui cœperat? Itaq; minime mirũ est nec Oppiã nec aliam ullam tũ legẽ desideratam esse, quæ modũ sumptibus mulierũ faceret, quũ aurũ & purpurã data & oblata ultro nõ accipiebãt. Si nunc cum illis donis Cyneas urbẽ circũiret, stãtes in publico inuenisset eas quę acciperẽt. Atq; ego nõnullarũ cupiditatum

ne causam quidem aut rationem inire possum. Nam ut quod alij liceat, tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pudoris aut indignationis habeat: sic ęquato omnium cultu, quid una quæque uestrum ueretur, ne in se conspiciatur? Pessimus quidē est pudor uel parsimoniæ, uel paupertatis: sed utrunque lex uobis demit, quum id quod habere non licet, non habetis. Hanc, inquit, ipsam exæquationem non fero, illa locuples, cur non insignis auro & purpura conspicior? Cur paupertas aliarū sub hac legis specie latet, ut quod habere non possunt, habituræ fuisse, si liceret, uideantur? Vultis hoc certamen uxoribus uestris inijcere, Quirites, ut diuites id habere uelint, quod nulla alia possit? pauperes, ne ob hoc ipsum contemnantur, supra uires se extendant? Næ simul pudere, quod nō oportet, cœperit, quod oportet, nō pudebit. quæ de suo poterit, parabit: quę nō poterit, uirū rogabit. Miserū illū uirū, & qui exoratus, & qui nō exoratus erit: quū quod ipse nō dederit, datū ab alio uidebit. Nunc uulgò alienos uiros rogant, & (quod maius est) legem & suffragia rogant, & à quibusdā impetrant, aduersus te & rē tuam et liberos tuos inexorabiles. Simul lex modū sumptibus uxoris tuæ facere desierit, tu nunquam facies. Nolite eodem loco existimare, Quirites, futuram rem quo fuit antè quàm lex de hoc ferrētur: & hominem improbum non accusari tu

tius

tius est, quàm absolui: & luxuria non mota tolerabilior esset, quàm erit nunc ipsis uinculis solutis, sicut feræ bestiæ iritatæ, deinde emissæ. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiã censeo: uos quod faxitis, Deos omnes fortunare uelim.

Si in sua quisque.) Deliberatio est, in id comparata, ne lex Oppia abrogaretur contra mulierum luxuriam. Exorditur à corruptis moribus seu priuatis seu publicis. *Matresfamilias.)* Matremfamilias Au. Gellius appellatam eam solam scribit, quæ in mariti manu mancipioq́; id est, quæ conceptione uiro loco filiæ erat: aut in eius, cuius maritus, manu, mancipioq́; esset: quoniã, inquit, non in matrimonium tantum, sed in familiam quoq; mariti, & in sui hæredis locum uenisset. Boëthius in cõmentarijs in Topica Ciceronis, tribus modis apud Romanos uxores haberi solitas scribit: usu, farre, & coemptione: easq́; solas matresfamilias appellatas, quæ in manum per coëmptionem conuenissent. Qua lege fiebat coëmptio, quaq́; uerborum solennitate, ibidem exponit. *Ius & maiestatem.)* Retinere ius & maiestatem id significat, quod uulgò dicimus seruare suam potestatem & autoritatem. Cuius contrarium est soluere ius et maiestatem, pro quo dicimus sinere perdi autoritatẽ, seu facere per-

di autoritatẽ, famã, & quod uulgò dicimus, ſuũ au diuit. Hoc Budæo noſtrò debemus. Quorũ altè rũ.) An peiore ſcilicet exẽplo res agatur, quàm ipſa ſit. Magis pertinet.) uel officij eſt, uel attingit.

Hæc cõſternatio.) Narratiũcula uidetur. M. Fũdani.) Ego puto uitioſe legi in alijs ablatiuo caſu Fũdanio & Valerio, quod ad eos ſermonẽ auertat.

Magiſtratuũ, pertinẽs.) uergẽs, tendẽs. Maiores quidẽ.) Ab hoc maxime loco aduerſus luxuriã mulierũ dicere incipit. Exemplũ eſt à minori. Niſi uos faciatis.) niſi cohibeatis et reprimatis ipſa earũ licẽtiã. Minimũ hoc.) A malis conſecuturis. Extemplo, ſimul.) ut primum, ſimul atq;. At hercule.) Præſumptio. Deprecãtur.) auerſantur, propulſant. Imò ut quã accepiſtis.) Paradoxũ per amplificationem. Cæteras infirmetis.) aboleatis. Si quod cuiquam priuatim.) alij legũt priuatũ: quod non uideo quo pacto ſtare poßit, niſi aut ſit genitiuus pluratiuus, quod durius uidetur: aut ad ius referatur, quod minus ferri poteſt, quum præſertim nec lex, nec ius ferantur tantũ in unũ. Matrẽ Idæã.) Alludit ad factũ matronarũ, quæ quũ à Dijs reſpõſum eſſet, ſi Idæa ex Phrygia Romã transferretur, futurũ ut quicunq; ſumeret arma aduerſus Romanos, uinceretur: obuiam ad littus maris progreſſæ erant. De hac re alio loco diffuſius dixi. Carpẽtis.) uehi-

uehiculis. Profestisq́; diebus.) Profestus dies Festo dicitur, & qui festus non est, & qui procul à religione numinis diuini: uulgò appellantur priuati dies, & operarij. Nec uideo cur dies is qui festo prior est, profestus dicatur, pro eo quod dicunt uigiliam. Sæpe me.) Excursio. Diuersisq́; duobus uitijs, auaritia et luxuria.) Luxuriam tota hac concione accipit pro immoderato quodam & supra modum se efferente cultu, & sumptibus in cultum adhibitis, curaq́; circa eas res profusa. Dicitur & luxus. Ita diuersa uidebuntur uitia, luxuria & auaritia. Patrum nostrorum.) Exemplo à contrario docet quænam fuerit causa huius legis ferendæ, cæterarumq́;. Nã ut quod.) Ab utili. Aequato omnium cultu.) tam locupletum quàm pauperum mulierum, ut hodie loquimur, statu reddito æquali. Miserum illum uirum.) Hoc loco tacitus adulteria significare uidetur, quæ pauperes mulieres passuræ erant ut cultum retinerent. Simul lex.) simul atque.

L. Valerij tribuni pl. pro mulieribus contra legem defensio. CXLVIII.

SI priuati tantummodo ad suadendum dissuadendũq; id quod à nobis rogatur, processissent, ego quoq; quum satis dictũ pro utraq; parte existimarem, tacitus suffragia uestra expectassem. Nunc quum uir grauissimus

consul M. Porcius non autoritate solum, quę tacita satis momēti habuisset, sed oratione etiam longa & accurata insectatus sit rogationem nostram, necesse est paucis respondere. Qui tamē plura uerba in castigandis matronis, quàm in rogatione nostra dissuadenda consumpsit, & quidem ut in dubio poneret, utrum id quod reprehenderet, matronæ sua sponte, an nobis autoribus fecissent. Rem defendam, non nos, in quos iecit magis hoc cōsul uerbo tenus, quàm ut re insimularet. Cœtum et seditiones & interdum secessionem muliebrem appellauit, quòd matronæ in publico uos rogassent, ut legem in se latam per bellum temporibus duris, in pace & florēte ac beata Rep. abrogaretis. Verba magna, quę rei augendæ causa conquirātur, et hęc & alia esse scio: & M. Catonem oratorem non solum grauem, sed interdum etiam trucem scimus omnes, quum ingenio sit mitis Nā quid tandem noui matronæ fecerunt, quòd frequētes in causa ad se pertinente in publicum processerunt, nunquam ante hoc tempus in publico apparuerunt? Tuas aduersus te Origenes reuoluam, accipe quoties id fecerint, & quidem bono semper publico. Iam à principio, regnante Romulo, quum Capitolio à Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimicaretur, nōne intercursu matronarum inter acies duas, prælium sedatum est? Quid regibus exactis, quum

Corio

Coriolano Martio duce legiones Volſcorum caſtra ad quintum lapidem poſuiſſent: nonne id agmen, quo obruta hæc urbs eſſet, matronæ auerterunt? Iam urbe capta à Gallis, aurũ quo urbs redempta eſt, nempe matronæ conſenſu omnium in publicum contulerunt. Proximo bello, ne antiqua repetam, nonne & quum pecunia opus fuit, uiduarũ pecuniæ adiuuerunt ærariũ? & quũ Dij quoq; noui ad opem ferendam dubijs rebus accerſerentur, matronæ uniuerſæ ad mare profectæ ſunt ad matrẽ Idæã accipiendã? Diſſimiles, inquit, cauſæ ſunt. Nec mihi cauſas æquare propoſitũ eſt, nihil noui factũ purgare ſatis eſt. Cæterũ quod in rebus ad omnes pariter uiros fœminasq; pertinentibus feciſſe eas nemo miratus eſt, in cauſa propriè ad ipſas pertinente miramur feciſſe? Quid autem fecerũt? Superbas mediusfidius aures habemus, ſi quum domini ſeruorũ non faſtidiant preces, nos rogari ab honeſtis fœminis indignamur. Venio nũc ad id de quo agitur, in quo duplex conſulis oratio fuit. Nam & legem ullã omnino abrogari eſt indignatus, & eã præcipue legem, quæ luxuriæ muliebris coërcendæ cauſa lata eſſet. Et illa communis pro legibus uiſa cõſularis oratio eſt & hæc aduerſus luxuriam ſeueriſſimis moribus cõueniebat. Itaq; periculũ eſt, niſi quid in utraq; re uani ſit, docuerimus, ne quis error uobis offundatur. Ego enim quẽ

admodum ex ijs legibus quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternũ latæ sunt, nullã abrogari debere fateor, nisi quã aut usus coarguit, aut status aliquis Reip. inutilẽ fecit: sic quas tẽpora aliqua desiderarũt leges, mortales, ut ita dicã, & tẽporibus ipsis mutabiles esse uideo. Quæ in pace latæ sunt, plerumq; bellũ abrogat: quæ in bello, pax: ut in nauis administratione alia in sequunda, alia in aduersa tempestate usui sunt. Hæc quum ita natura distincta sint, ex utro tandẽ genere ea lex esse uidetur, quam abrogamus? Quid uetus regia lex simul cũ ipsa urbe nata? aut (quod secundũ est) à decẽuiris ad condenda iura creatis in duodecim tabulis scripta? sine qua quũ maiores nostri nõ æstimarint matronale decus seruari posse, nobis quoq; uerendũ sit, ne cũ ea pudorẽ sanctitatemq; fœminarum abrogemus. Quis igitur nesciat nouam istam legem esse, Qu. Fabio & T. Sempronio consulibus uiginti annis antè latam? sine qua quum per tot annos matronę optimis moribus uixerint, quod tandem ne abrogata ea effundantur ad luxuriam, periculum est? Nam si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem, uerendum foret, ne abrogata incitaret, cur autem lata sit, ipsum indicauit tempus. Annibal in Italia erat, uictor ad Cannas: iam Arpos, iam Tarentum, iã Capuam habebat, ad urbem Romam admoturus

exer-

exercitum uidebatur:defecerant socij, non milites in supplementum, non socios nauales ad classem tuendã,non pecuniã in ærario habebamus:serui,quibus arma darentur, ita ut pretiũ pro ijs bello perfecto dominis solueretur, emebantur.In eadem die deerant pecuniæ,frumentum,& cætera quæ belli usus postulabat, præbenda publicani se conducturosprofessi erant, seruos ad remum numero ex censu constituto cum stipendio nostro dabamus: aurum & argentum omne, à senatoribus eius rei initio orto, in publicum conferebamus: uiduæ & pupilli pecunias suas in ærarium deferebant: cautum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti & æris domi haberemus. Tali tempore in luxuria & ornatu matronæ occupatæ erant, ut ad eam coërcendam lex Oppia desiderata sit:quum,quia Cereris sacrificium lugentibus omnibus matronis intermissum erat,senatus finiri luctum triginta diebus iussit.Cui non apparet, miseria & inopia ciuitatis,& quia omnium priuatorum pecunię in usum publicum uertendę erant,istam legem scripsisse,tandiu mansuram,quãdiu causa scribendæ legis mansisset?Nam si quę tunc temporis causa aut decreuit senatus, aut populus iussit,in perpetuum seruari oportet, cur pecunias reddimus priuatis? cur publica præsenti pecunia locamus? cur serui, qui militent, non emuntur?

emuntur? cur priuati non damus remiges, ſicut tunc dedimus? Omnes alij ordines, omnes homines mutationem in meliorem ſtatũ Reipub. ſentient: ad coniuges tantum noſtras pacis & tranquillitatis publicæ fructus non perueniet? Purpura uiri utemur, prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotijs, liberi noſtri prætextis purpura togis utentur, magiſtratibus in colonijs municipijsq́; togæ prætextæ habendæ ius eſt: nec id, ut uiui ſolum habeant tantum inſigne, etiam ut cum eo crementur mortui, fœminis duntaxat uſum prupuræ interdicemus? Et quum tibi uiro licet purpura in ueſte ſtragula uti, matremfamilias tuam purpureum amiculum habere non ſines? & equus tuus ſpecioſius inſtratus erit, quàm uxor ueſtita? Sed in purpura, quæ teritur, abſumiturque, non iuſtam quidem, ſed aliquam tamen cauſam tenacitatis uideo: in auro uerò, in quo præter manus precium nihil intertrimenti fit, quæ malignitas eſt? Præſidium potius in eo eſt & ad publicos & ad priuatos uſus, ſicuti experti eſtis. Nullam æmulationem inter eas ſingularem, quando nulla haberet, eſſe aiebat. At Hercule uniuerſis dolor & indignatio eſt, quum ſociorum Latini nominis uxoribus uident ea conceſſa ornamenta, quæ ſibi adempta ſint, quũ inſignes eas eſſe auro & purpura: quum illas uehi per urbem, ſe pedibus ſequi: tanquam in

illarũ

illarum ciuitatibus, non in sua imperium sit. Virorũ hoc animos uulnerare posset, quid mulierculaium censetis, quas etiam parua mouẽt? Non magistratus, nec sacerdotia, nec triumphi, nec insignia, nec dona aut spolia bellica ijs contingere possunt: munditiæ, ornatus & cultus, hæc fœminarum insignia sunt, his gaudẽt & gloriantur, hunc mundum muliebrem appellauerunt maiores nostri. Quid aliud in luctu, quàm purpuram atq; aurum deponunt? quid aliud, quum eluxerunt, sumunt? Quid in gratulationibus supplicationibusq;, nisi excellentiores ornatus adijciunt? Scilicet si legẽ Oppiam abrogaueritis, non uestri arbitrij erit, si quid eius uetare uolueritis, quod nunc lex uetat? Minus filiæ, uxores, sorores etiam quibusdam in manu erunt? Nunquã saluis suis exuitur seruitus muliebris, & ipsę libertatẽ, quam uiduitas & orbitas facit, detestantur. In uestro arbitrio suum ornatũ, quàm in legis, malunt esse & uos in manu & tutela, non in seruitio debetis habere eas, & mallem patres uos aut uiros quàm dominos dici. Inuidiosis nominibus utebatur modo consul, seditionẽ muliebrem & secesſionem appellando. Id enim periculũ est, ne Sacrum montẽ, sicut quondam irata plebs, aut Auentinũ capiant. Patiendũ huic infirmitati est quodcunq; uos censueritis. Quo plus potestis, eo moderatius imperio uti debetis.

Si

Si priuati.) Deliberatio de tollenda lege Oppia cum refutatione eorum quæ à Catone contra mulierum luxuriam dicta erant. Exorditur à persona Catonis. *Rem defendam.)* Propositio est eius rei de qua sit dicturus. *Iam à principio.)* Exemplis ostendit id minime mirum uideri debere, quod à Catone obiectum erat, mulieres frequentes in publicum procurrisse. *Matronæ uniuersæ ad mare.)* Id factum fuit in fine secundi belli Punici, quo tempore Sibyllinis libris inspectis carmen inuentum est, quo significabatur fore, ut quandocunque hostis alienigena Italiæ bellum inferret, is inde pulsus uinceretur, si matris Idææ numen Pesinunte ex Phrygia Romam aduectum foret. Legati eò missi Delphis oraculum acceperant, ut qui Romanus omnium optimus esset, Idæam hospitio acciperet. P. Cornelius Scipio patrũ autoritate iudicatus omnium optimus, Hostiam cum matronis omnibus obuiam matri Idææ processit. *Alia in sequunda.)* aliæ res. *Ad classem tuendam.)* Classem uocat nauium magnam uim, comparatarum ad uarios belli casus. hodie Galeam appellamus. Præfectus classis est, quem uocamus magistrum Galearum. *Præbenda publicani.)* sunt qui publica stipendia locant, & exigunt.

Argenti facti.) Argentum factum, & aurum

rum factum hic uocat, quod iam in opus transijt, ut ex quo uasa confecta sunt. contraria appellatione dicitur infectum. Graue appellat informe ac rude, cui nulla dum forma præscripta sit. Signatum uerò dicitur, cui forma impressa est. Argentum Romæ signatum non fuit, nisi uicto Pyrrho, ut scribit etiam Plinius: æs uerò iam à principio urbis sub Seruio rege. Autor Liuius. Nam si quæ.) A' simili. Omnes alij ordines.) Status. Amplificatione per comparationem totus hic locus constat. Prætextati in magistratibus.) Prætextati dicuntur prætextis togis induti. Supra de prætexta locuti sumus. Illud hoc loco notandum, quod & sacerdotes prætextis uterentur, & pueri. Municipijsq́;.) Municipium non una ratione dici Festus autor est. Hic sumi uidetur pro ciuitate, cuius ciues participes erãt omnium rerum ad munus fungendum cum Romanis ciuibus, nisi quòd nec suffragia ferebant, nec magistratus capiebant. Cæterum Gellio placet, municipes suo iure ac legibus uiuere, muneris tantum honorarij participes cum populo Romano. Coloniæ in tanto honore non sunt habitæ. Nam coloni nullum munus capiebant. Tantũ insigne.) tanti honoris. Vocat insigne, quicquid magistratus à priuatis, aut alios magistratus ab alijs

sepa

separabat, ut uestium diuersa genera. Videmus & Parisijs insignia seu magistratuum seu ordinum, in sacris præsertim publicis: ut senatorum, et iudicũ. Itaq; abduci non possum, quin insignia censeam appellari debere, quas cappas in academijs hodie appellamus. Nam & rectoris, seu potius archischolastici suum est insigne: Theologorum uaria, ut uarij sunt ordines: item iureconsultorum, & medicorũ, quæ alios ab alijs distinguunt & separant. Ea uulgò, ut dixi, cappæ appellantur. Cum eo cremen tur mortui.) cum eo, insigni: mortui, magistratus. Hinc collige mortuos magistratus solitos Romæ cũ suis insignibus cremari: quod & Bayfius ex hoc ipso loco de Re uestiaria collegit. In uestestragula.) Stragulam hic, opinor, appellat uestem eam quæ insternitur equis quum per urbem uehimur, ne luto oppleamur, uulgò houssam appellamus. Quod si uerum est, Romanos constat purpura in stragulis usos esse. Stragula enim dicitur à sternẽdo quicquid insternitur, autore Festo. Sed in purpura.) Hic illud notandum, quod Liuius purpuram uocat uestem ipsam ex purpureo panno, ut loquimur, factã ecarletam uulgò dicimus: sicuti mox aurum sumit pro panno, ut loquimur, aureo. Ac ita puto dicendum esse, non addendum uocabulum panni. Nihil intertrimenti.) Intertrimentum appellat, quod

usura

usura & attrectatione in uestibus ex auro alijsq; magni momēti deducitur et diminuitur pretij. Vulgò appellatur domagium, & quod abit. Nam refertur & ad metalla, ex quorum confusione aliquid sire pretij deducitur, quod intertrimentum est. Tero, intertero, absumo, uerba sunt quæ ad hanc rem pertinent, quorum duobus paulo ante usus est, pro quibus uulgò dicimus uastare, aut facere domagiū: in metallorum autem confusione, abire in fusionē. His Budæus in Asse sæpe utitur. Non in sua imperium sit.) id est, sedes imperij non sit Romæ, sed in Latio. Mundum muliebrem.) Mundus muliebris dicitur quicquid ad cultum ornatumq; mulierum pertinet, quod is ornatus (inquit Festus) non aliud est quàm quod moueri potest. Quid aliud in luctu.) Luctum appellat id tempus quo post mortem amicorum aut parentū causa doloris uestis mutamus: aut certe ipsum indicium doloris. Hodie appellamus uulgò dolorē, seu, ut intelligibilius loquar, duellium. Lugere id significat, quod uulgò dicimus portare dolorem, seu duellium. Elugere uerò, finire dolorem, siue duellium.

Argumentum in CXLIX.

Abrogata lege Oppia Porcius Cato consul extemplo in Hispaniam cū copijs profectus est. Hic ut hostium suorumq; animos experiretur, milites

exercebat agendis prædis ex hostium agro. Quod ubi satis explorasset, conuocari omnes iussit, quos in hunc modum ad legitimum certamen adhortari cœpit.

M. Porcij Catonis consulis ad suos concio. CXLIX.

TEmpus quod sæpe optastis, uenit, quo uobis potestas fieret uirtutem uestram ostēdendi. Adhuc prædonum magis quàm bellantium militastis more, nunc iusta pugna hostes cum hostibus conseretis manus, non agros inde populari, sed urbium opes haurire licebit. Patres nostri, quum in Hispania Carthaginēsium & imperatores & exercitus essent, ipsi nullum imperatorem, nullos in ea milites haberent: tamen addere hoc in fœdere uoluerunt, ut imperij sui Iberus fluuius finis esset. Nunc quum duo prætores, quum consul, quum tres exercitus Romani Hispaniam obtineant, & Carthaginensium iam propè decem annis nemo in his prouincijs sit, imperium nobis citra Iberum amissum est. Hoc armis & uirtute recuperetis oportet, & nationem rebellantem, magis temere quàm constanter bellantem, iugum quo se exuit, accipere rursus cogatis.

Argumentum in CL.

Iam

Iam in pace & libertate uniuersa Græcia præter Aetolos erat, quum T. Quintio senatusconsultum de suscipiendo bello aduersus Nabim Lacedæmonium, qui Argos occupabat, affertur. Eo itaque lecto, Corinthum in constitutam diem conuentum omnium sociarum ciuitatum Græciæ edicit. Ad diem quum frequentes conuenissent, ita de bello aduersus Nabim gerēdo retulit:

T. Quintij in conuentu Græciæ consultatio. CL.

Bellum aduersus Philippū non magis cōmuni animo consilioq; Romani Gręciq; gesserunt, quàm utriq; suas causas belli habuerunt. Nam & Romanorum amicitiam nunc Carthaginenses hostes eorum iuuando, nūc hic socijs nostris oppugnandis uiolauerat, & in uos talis fuit, ut nobis etiam, si nostrarum obliuisceremur iniuriarum, uestræ iniuriæ satis digna causa belli fuerint. Hodierna consultatio tota ex uobis pendet. Refero enim ad uos, utrum Argos, sicut scitis ipsi, ab Nabide occupatos, pati uelitis sub ditione eius esse, an æquum censeatis nobilissimam uetustissimamq; ciuitatem in media Græcia sitam repeti in libertatem, & eodem statu, quo cæteras urbes Peloponnesi & Græciæ, esse. Hæc consultatio, ut uidetis, tota de re pertinente

ad uos eſt:Romanos nihil contingit, niſi quatenus libertatis Græciæ, unius ciuitatis ſeruitus,non plenam neq; integram gloriam eſſe ſinit.Cæterum ſi uos nec cura eius ciuitatis, nec exemplum,nec periculum mouet,ne ſerpat latius contagio eius mali,nos æqui boniq; facimus.De hac re uos conſulo, ſtaturus eo quod plures cenſueritis.

Refero enim ad uos.) Vobis decernendum propono,& quod uulgò dicimus,pono in deliberationem ueſtram. Repeti.) reſtitui. Ne ſerpat latius.)ne perſeueret & ſpargatur in alias regiones. Ne particula pertinet ad priorem orationem. Aequi boniq; facimus.Budæus enarrans per occaſionem hunc locum,æqui boniq; facere,ſignificare dicit non indignari,æquo animo ferre, & bene interpretari. Staturus eo.)id ſecuturus,& approbaturus,ſiue in eo permanſurus.

Argumentum in CLI.

Hoc ad proximum pertinet. Aetoli ad conciliũ Græciæ conuenerant, quorum princeps Alexander quũ audiret placere Athenienſibus, ut Argi recuperarentur,ipſe inter alia dixerat, quod ad eam deliberationem attinebat,deportandum eſſe in Italiam exercitum. Nam ipſum Nabim polliceri aut cõditione, aut ſua ipſius uoluntate præſidium Argis deducturũ. Quod niſi faceret, Aetolos ui armiſq;

faci-

facile coacturos deduci. Hæc prætor audiebat Achæorum Aristhenus, qui ea uaniloquentia motus, extemplo in hæc uerba prorupit.

Aristheni prætoris Achæorũ uerba indignationis plena de Aetolis & Nabide. CLI.

NE istud Iupiter optimus maximus sinat Iunoq; regina, cuius in tutela Argi sunt ut illa ciuitas inter tyrannum Lacedæmonium & latrones Aetolos præmium sit posita in eo discrimine, ut miserius à nobis recipiatur, quàm ab illo capta est. Mare interiectum, ab istis prædonibus non tuetur nos, T. Quinti. quid si in media Peloponneso arcem sibi fecerint, futurum nobis est? Linguam tantum Græcorum habent, sicut speciem hominum: moribus ritibusq; efferatioribus, quàm ulli barbari, immanes belluæ uiuunt. Itaque uos rogamus, Romani, & ut ab Nabide Argos recuperetis, & ita res Græciç cõstituatis, ut à latrocinio quoq; Aetolorum satis pacata hæc relinquàtis.

Argumentum in CLII.

Nabis tyrannus Lacedæmonius quum maritimas omnes ciuitates à Romanis receptas primo statim aduentu cognouit, cedendum fortunæ ratus, T. Quintium ad colloquium uocari iubet. Ad præstitutum diem prior ipse de tyrannide, alijsq; quæ

de ipſo iactabantur, in hunc modum diſſeruit.

Nabidis tyranni Argiuorum ad T. *Quintium oratio.* CLII.

SI ipſe per me, T. Quinti, uosq́ue qui adeſtis, cauſam excogitare, cur mihi aut indixiſſetis bellũ, aut inferretis, poſſem, tacitus fortunæ meę euentũ expectaſſem, nunc imperare animo nequeo, quin prius quàm perirem, cur periturus eſſem, ſcirem. Et hercule ſi tales eſſetis, quales eſſe Carthaginenſes fama eſt, apud quos nihil ſocietatis fides ſancti haberet, in me quoq; uobis quid faceretis, minus pēſi eſſe nō mirarer. Nunc uos quum intueor Romanos eſſe, qui rerum diuinarum fœdera, humanarumq́ue fidem ſocialem ſanctiſſimam habeatis, quum me ipſe reſpexi, eum eſſe ſpero, cui & publicè, ſicut cæteris Lacedæmonijs, uobiſcum uetuſtiſſimum fœdus ſit, & meo nomine priuatim amicitia ac ſocietas nuper Philippi bello renouata. At enim ego eã uiolaui & euerti, quòd Argiuorum ciuitatem teneo. Quomodò hoc tuear? re, an tempore? Res mihi duplicē defenſionem præbet. Nam & ipſis uocantibus & tradentibus urbem eam accepi, non occupaui: & accepi urbem, quũ Philippi partium, non in ueſtra ſocietate eſſet. Tempus autem me liberat, quod quum iam Argos haberem, ſocietas mihi

uobiſcum

uobiſcum conuenit, ut uobis mitterem ad bellum auxilia: non ut Argis præſidium deducerem, pepigiſtis. At Hercle in ea controuerſia quæ de Argis eſt, ſuperior ſum & æquitate rei, quod non ueſtram urbem, ſed hoſtium, quod uolentem non ui coactam accepi: & ueſtra confeſſione, quòd in conditionibus ſocietatis mihi Argos reliquiſtis. Cæterum nomen tyranni & facta me premunt, quod ſeruos ad libertatē uoco, quod in agros inopem plebem deduco. De nomine hoc reſpondere poſſum, me, qualiſcunq; ſum, eum eſſe, qui fui quum tu ipſe mecum, T. Quinti, ſocietatem pepigiſti, tum me regem appellari à uobis memini, nunc tyrannū uocari uideo. Itaq; ſi ego nomen imperij mutaſſem, mihi meæ inconſtantiæ: quum uos mutetis, uobis ueſtræ reddenda ratio eſt. Quod ad multitudinem ſeruis liberatis auctam, & egentibus diuiſum agrum attinet, poſſum quidem & in hoc me iure temporis tutari. Nam fecerā hæc, qualiacunque ſunt, quum ſocietatem mecum pepigiſtis, & auxilia in bello aduerſus Philippum accepiſtis. Sed ſi nunc ea feciſſem, non dico quod in eo uos læſiſſem, aut ueſtram amicitiam uiolaſſem: ſed illud me more atq; inſtituto maiorum feciſſe. Nolite ad ueſtras leges atq; inſtituta exigere ea quæ Lacedæmone fiunt, nihil comparare ſingula neceſſe eſt. Vos à cenſu equitem, à cenſu peditem legitis: & pau-

cos excellere opibus, plebem ſubiectam eſſe illis uultis. Noſter legumlator nõ in paucorum manu Rempu. eſſe uoluit, quem uos ſenatum appellatis: nec excellere unum aut alterum ordinem in ciuitate, ſed per æquationem ad dignitates, fore credidit, ut multi eſſent qui arma pro patria ferrent. Pluribus me peregiſſe quàm pro patriæ ſermone breuitatis fateor: & breuiter peroratũ eſſe potuit, nihil me poſtea quàm uobiſcum amicitiam inſtitui, cur eius uos pœniteret commiſiſſe.

Si ipſe per me.) Purgatio eſt criminum obiectorum, quorum gratia indictum eſt bellum. Exorditur à re incidẽte, nempe à bello indicto ſibi, qui cauſam ignoret. Indixiſſetis.) denunciaſſetis. Imperare animo.) reprimere me, cohibere, abſtinere non poßum. Minus pẽnſi.) non mirarer ſatis à uobis æſtimatum eſſe, & perſpectum. Spero.) credo. Non occupaui.) per uim tenui & poſſedi ut tyrannus. Præſidium deducerem.) milites ad cuſtodiam Argorum conſtitutos inde abducerem, retraherem, emouerem. Facta me premunt.) urgent, ſeu obſunt mihi. Exigere.) reducere, reuocare, redigere, ſiue examinare et perpendere, ſiue etiam reformare. Verbum eſt elegãs, quo ſæpe in hanc quoq; ſignificationem Quintilianus utitur, in quam utimur uerbo examino. hinc exacti

ones,

ones, quod examen uulgò dicimus. *Vos à censu equitem.*) Hoc Seruius Tullius instituit, sicuti alio loco docuimus: quæ hic repete, si hãc ipsam rem intelligere placeat. Quanti censi fuerint Romæ equites, Liuius, quod sciam, non meminit, certe non eo ipso loco ubi classes à Seruio institutas refert. Budæus in Asse colligit ex Suetonio & Plinio uarium eorum censum fuisse: sed Cæsaris & Tyberij demũ imperio. Fuisse tamen ea ipsa ætate censum legitimum docet quadraginta sestertiûm, id est decem milium coronatorum nostrorum. Pedites autem ita cẽsos fuisse instituto Seruij Liuius scribit, ut qui primæ classis essent, eorum ut minimum centum miliũ æris census esset: secundæ classis intra centum usq; ad septuagintaquinq; milium: tertiæ classis intra quinquaginta milium: quartæ quinq; & uiginti milium: quintæ, quæ postrema fuit undecim milium cẽsus fuit. *Et paucos excellere.*) Ex hoc loco satis constare puto Remp. Romanam in secundam speciem Reip. cecidisse, Lacedæmoniorum uerò in tertiam. Tres enim species Reip. ab Aristotele tertio Politicorum enumerantur, quarum prima regnum dicitur, quum unus ad publicum & commune omnium commodum præest rerum administrationi: secunda Aristocratia græcè, latinè optimorum potestas, quum pauci quidem summæ rerum præsunt,

Si priuati.) Deliberatio de tollenda lege Oppia cum refutatione eorum quæ à Catone contra mulierum luxuriam dicta erant. Exorditur à persona Catonis. *Rem defendam.)* Propositio est eius rei de qua sit dicturus. *Iam à principio.)* Exemplis ostendit id minime mirum uideri debere, quod à Catone obiectum erat, mulieres frequentes in publicum procurriße. *Matronæ uniuersæ ad mare.)* Id factum fuit in fine secundi belli Punici, quo tempore Sibyllinis libris inspectis carmen inuentum est, quo significabatur fore, ut quandocunque hostis alienigena Italiæ bellum inferret, is inde pulsus uinceretur, si matris Idææ numen Pesinunte ex Phrygia Romam aduectum foret. Legati eò mißi Delphis oraculum acceperant, ut qui Romanus omnium optimus esset, Idæam hospitio acciperet. P. Cornelius Scipio patrũ autoritate iudicatus omnium optimus, Hostiam cum matronis omnibus obuiam matri Idææ proceßit. *Alia in sequunda.)* aliæ res. *Ad classem tuendam.)* Classem uocat nauium magnam uim, comparatarum ad uarios belli casus. hodie Galeam appellamus. Præfectus claßis est, quem uocamus magistrum Galearum. *Præbenda publicani.)* sunt qui publica stipendia locant, & exigunt. *Argenti facti.)* Argentum factum, & aurum

rum factum hic uocat, quod iam in opus transijt, ut ex quo uasa confecta sunt. contraria appellatione dicitur infectum. Graue appellat informe ac rude, cui nulla dum forma præscripta sit. Signatum uerò dicitur, cui forma impressa est. Argentum Romæ signatum non fuit, nisi uicto Pyrrho, ut scribit etiam Plinius: æs uerò iam à principio urbis sub Seruio rege. Autor Liuius. Nam si quæ.) A' simili. Omnes alij ordines.) Status. Amplificatione per comparationem totus hic locus constat. Prætextati in magistratibus.) Prætextati dicuntur prætextis togis induti. Supra de prætexta locuti sumus. Illud hoc loco notandum, quod & sacerdotes prætextis uterentur, & pueri. Municipijsq́;.) Municipium non una ratione dici Festus autor est. Hic sumi uidetur pro ciuitate, cuius ciues participes erãt omnium rerum ad munus fungendum cum Romanis ciuibus, nisi quòd nec suffragia ferebant, nec magistratus capiebant. Cæterum Gellio placet, municipes suo iure ac legibus uiuere, muneris tantum honorarij participes cum populo Romano. Coloniæ in tanto honore non sunt habitæ. Nam coloni nullum munus capiebant. Tantũ insigne.) tanti honoris. Vocat insigne, quicquid magistratus à priuatis, aut alios magistratus ab alijs

sepa

ſeparabat,ut ueſtium diuerſa genera. Videmus & Pariſijs inſignia ſeu magiſtratuum ſeu ordinum, in ſacris præſertim publicis: ut ſenatorum, et iudicũ. Itaq; abduci non poſſum, quin inſignia cenſeam appellari debere, quas cappas in academijs hodie appellamus. Nam & rectoris, ſeu potius archiſcholaſtici ſuum eſt inſigne: Theologorum uaria, ut uarij ſunt ordines: item iureconſultorum, & medicorũ, quæ alios ab alijs diſtinguunt & ſeparant. Ea uulgò, ut dixi, cappæ appellantur. Cum eo cremen tur mortui.) cum eo, inſigni: mortui, magiſtratus. Hinc collige mortuos magiſtratus ſolitos Romæ cũ ſuis inſignibus cremari: quod & Bayfius ex hoc ipſo loco de Re ueſtiaria collegit. In ueſte ſtragula.) Stragulam hic, opinor, appellat ueſtem eam quæ inſternitur equis quum per urbem uehimur, ne luto oppleamur, uulgò houſſam appellamus. Quod ſi uerum eſt, Romanos conſtat purpura in ſtragulis uſos eſſe. Stragula enim dicitur à ſternẽdo quicquid inſternitur, autore Feſto. Sed in purpura.) Hic illud notandum, quod Liuius purpuram uocat ueſtem ipſam ex purpureo panno, ut loquimur, factã ecarletam uulgò dicimus: ſicuti mox aurum ſumit pro panno, ut loquimur, aureo. Ac ita puto dicendum eſſe, non addendum uocabulum panni. Nihil intertrimenti.) Intertrimentum appellat, quod

uſura

usura & attrectatione in uestibus ex auro alijsq; magni momẽti deducitur et diminuitur pretij. Vulgò appellatur domagium, & quod abit. Nam refertur & ad metalla, ex quorum confusione aliquid fere pretij deducitur, quod intertrimentum est. Tero, intertero, absumo, uerba sunt quæ ad hanc rem pertinent, quorum duobus paulo ante usus est, pro quibus uulgò dicimus uastare, aut facere domagiũ: in metallorum autem confusione, abire in fusionẽ. His Budæus in Asse sæpe utitur. Non in sua imperium sit.) id est, sedes imperij non sit Romæ, sed in Latio. Mundum muliebrem.) Mundus muliebris dicitur quicquid ad cultum ornatumq; mulierum pertinet, quod is ornatus (inquit Festus) non aliud est quàm quod moueri potest. Quid aliud in luctu.) Luctum appellat id tempus quo post mortem amicorum aut parentũ causa doloris uestis mutamus: aut certe ipsum indicium doloris. Hodie appellamus uulgò dolorẽ, seu, ut intelligibilius loquar, duellium. Lugere id significat, quod uulgò dicimus portare dolorem, seu duellium. Elugere uerò, finire dolorem, siue duellium.

Argumentum in CXLIX.

Abrogata lege Oppia Porcius Cato consul extemplo in Hispaniam cũ copijs profectus est. Hic ut hostium suorumq; animos experiretur, milites

exercebat agendis prædis ex hostium agro. Quod ubi satis explorasset, conuocari omnes iußit, quos in hunc modum ad legitimum certamen adhortari cœpit.

M. Porcij Catonis consulis ad suos concio. CXLIX.

TEmpus quod sępe optastis, uenit, quo uobis potestas fieret uirtutem uestram ostēdendi. Adhuc prædonum magis quàm bellantium militastis more, nunc iusta pugna hostes cum hostibus conferetis manus, non agros inde populari, sed urbium opes haurire licebit. Patres nostri, quum in Hispania Carthaginēsium & imperatores & exercitus essent, ipsi nullum imperatorem, nullos in ea milites haberent: tamen addere hoc in fœdere uoluerunt, ut imperij sui Iberus fluuius finis esset. Nunc quum duo prætores, quum consul, quum tres exercitus Romani Hispaniam obtineant, & Carthaginensium iam propè decem annis nemo in his prouincijs sit, imperium nobis citra Iberum amissum est. Hoc armis & uirtute recuperetis oportet, & nationem rebellantem, magis temere quàm constanter bellantem, iugum quo se exuit, accipere rursus cogatis.

Argumentum in CL.

Iam in pace & libertate uniuersa Græcia præter Aetolos erat, quum T. Quintio senatusconsultum de suscipiendo bello aduersus Nabim Lacedæmonium, qui Argos occupabat, affertur. Eo itaque lecto, Corinthum in constitutam diem conuentum omnium sociarum ciuitatum Græciæ edicit. Ad diem quum frequentes conuenissent, ita de bello aduersus Nabim gerẽdo retulit:

T. Quintij in conuentu Græciæ consultatio. CL.

BEllum aduersus Philippũ non magis cõmuni animo consilioq; Romani Gręciq; gesserunt, quàm utriq; suas causas belli habuerunt. Nam & Romanorum amicitiam nunc Carthaginenses hostes eorum iuuando, nũc hic socijs nostris oppugnandis uiolauerat, & in uos talis fuit, ut nobis etiam, si nostrarum obliuisceremur iniuriarum, uestræ iniuriæ satis digna causa belli fuerint. Hodierna consultatio tota ex uobis pendet. Refero enim ad uos, utrum Argos, sicut scitis ipsi, ab Nabide occupatos, pati uelitis sub ditione eius esse, an æquum censeatis nobilissimam uetustissimamq; ciuitatem in media Græcia sitam repeti in libertatem, & eodem statu, quo cæteras urbes Peloponnesi & Græciæ, esse. Hæc consultatio, ut uidetis, tota de re pertinente

ad uos est: Romanos nihil contingit, nisi quatenus libertatis Græciæ, unius ciuitatis seruitus, non plenam neq; integram gloriam esse sinit. Cæterum si uos nec cura eius ciuitatis, nec exemplum, nec periculum mouet, ne serpat latius contagio eius mali, nos æqui boniq; facimus. De hac re uos consulo, staturus eo quod plures censueritis.

Refero enim ad uos.) Vobis decernendum propono, & quod uulgò dicimus, pono in deliberationem uestram. Repeti.) *restitui.* Ne *serpat latius.) ne perseueret & spargatur in alias regiones.* Ne *particula pertinet ad priorem orationem.* Ae*qui boniq; facimus.* Bu*dæus enarrans per occasionem hunc locum, æqui boniq; facere, significare dicit non indignari, æquo animo ferre, & bene interpretari.* Sta*turus eo.) id secuturus, & approbaturus, siue in eo permansurus.*

Argumentum in CLI.

Hoc *ad proximum pertinet.* Aetoli *ad conciliũ Græciæ conuenerant, quorum princeps Alexander quũ audiret placere* Athenien*sibus, ut* Argi *recuperarentur, ipse inter alia dixerat, quod ad eam deliberationem attinebat, deportandum esse in* Itali*am exercitum.* Nam *ipsum* Nabim *polliceri aut cõditione, aut sua ipsius uoluntate præsidium* Argis *deducturũ.* Quod *nisi faceret,* Aetolos *ui armisq;*

faci-

facile coacturos deduci. Hæc prætor audiebat Achæorum Aristhenus, qui ea uaniloquentia motus, extemplo in hæc uerba prorupit.

Aristheni prætoris Achæorũ uerba indignationis plena de Aetolis & Nabide. CLI.

NE istud Iupiter optimus maximus sinat Iunoq; regina, cuius in tutela Argi sunt ut illa ciuitas inter tyrannum Lacedæmonium & latrones Aetolos præmium sit posita in eo discrimine, ut miserius à nobis recipiatur, quàm ab illo capta est. Mare interiectum, ab istis prædonibus non tuetur nos, T. Quinti. quid si in media Peloponneso arcem sibi fecerint, futurum nobis est? Linguam tantum Græcorum habent, sicut speciem hominum: moribus ritibusq; efferatioribus, quàm ulli barbari, immanes belluæ uiuunt. Itaque uos rogamus, Romani, & ut ab Nabide Argos recuperetis, & ita res Græciç cõstituatis, ut à latrocinio quoq; Aetolorum satis pacata hæc relinquàtis.

Argumentum in CLII.

Nabis tyrannus Lacedæmonius quum maritimas omnes ciuitates à Romanis receptas primo statim aduentu cognouit, cedendum fortunæ ratus, T. Quintium ad colloquium uocari iubet. Ad præstitutum diem prior ipse de tyrannide, alijsq; quæ

de ipso iactabantur, in hunc modum disseruit.

Nabidis tyranni Argiuorum ad T. *Quintium oratio.* CLII.

SI ipse per me, T. Quinti, uosque qui adestis, causam excogitare, cur mihi aut indixissetis bellũ, aut inferretis, possem, tacitus fortunæ meę euentũ expectassem, nunc imperare animo nequeo, quin prius quàm perirem, cur periturus essem, scirem. Et hercule si tales essetis, quales esse Carthaginenses fama est, apud quos nihil societatis fides sancti haberet, in me quoque uobis quid faceretis, minus pẽsi esse nõ mirarer. Nunc uos quum intueor Romanos esse, qui rerum diuinarum fœdera, humanarumque fidem socialem sanctissimam habeatis, quum me ipse respexi, eum esse spero, cui & publicè, sicut cæteris Lacedæmonijs, uobiscum uetustissimum fœdus sit, & meo nomine priuatim amicitia ac societas nuper Philippi bello renouata. At enim ego eã uiolaui & euerti, quòd Argiuorum ciuitatem teneo. Quomodò hoc tuear? re, an tempore? Res mihi duplicẽ defensionem præbet. Nam & ipsis uocantibus & tradentibus urbem eam accepi, non occupaui: & accepi urbem, quũ Philippi partium, non in uestra societate esset. Tempus autem me liberat, quod quum iam Argos haberem, societas mihi

uobiscum

uobiſcum conuenit, ut uobis mitterem ad bellum auxilia: non ut Argis præſidium deducerem, pepigiſtis. At Hercle in ea controuerſia quæ de Argis eſt, ſuperior ſum & æquitate rei, quod non ueſtram urbem, ſed hoſtium, quod uolentem non ui coactam accepi: & ueſtra confeſſione, quod in conditionibus ſocietatis mihi Argos reliquiſtis. Cæterum nomen tyranni & facta me premunt, quod ſeruos ad libertatẽ uoco, quod in agros inopem plebem deduco. De nomine hoc reſpondere poſſum, me, qualiſcunque ſum, eum eſſe, qui fui quum tu ipſe mecum, T. Quinti, ſocietatem pepigiſti, tum me regem appellari à uobis memini, nunc tyrannũ uocari uideo. Itaque ſi ego nomen imperij mutaſſem, mihi meæ inconſtantiæ: quum uos mutetis, uobis ueſtræ reddenda ratio eſt. Quod ad multitudinem ſeruis liberatis auctam, & egentibus diuiſum agrum attinet, poſſum quidem & in hoc me iure temporis tutari. Nam fecerã hæc, qualiacunque ſunt, quum ſocietatem mecum pepigiſtis, & auxilia in bello aduerſus Philippum accepiſtis. Sed ſi nunc ea feciſſem, non dico quod in eo uos læſiſſem, aut ueſtram amicitiam uiolaſſem: ſed illud me more atque inſtituto maiorum feciſſe. Nolite ad ueſtras leges atque inſtituta exigere ea quæ Lacedæmone fiunt, nihil comparare ſingula neceſſe eſt. Vos à cenſu equitem, à cenſu peditem legitis: & pau-

cos excellere opibus, plebem subiectam esse illis uultis. Noster legumlator nō in paucorum manu Rempu. esse uoluit, quem uos senatum appellatis: nec excellere unum aut alterum ordinem in ciuitate, sed per æquationem ad dignitates, fore credidit, ut multi essent qui arma pro patria ferrent. Pluribus me peregisse quàm pro patriæ sermone breuitatis fateor: & breuiter peroratū esse potuit, nihil me postea quàm uobiscum amicitiam institui, cur eius uos pœniteret, commisisse.

Si ipse per me.) *Purgatio est criminum obiectorum, quorum gratia indictum est bellum.* *Exorditur à re incidēte, nempe à bello indicto sibi, qui causam ignoret.* *Indixissetis.) denunciassetis.* *Imperare animo.) reprimere me, cohibere, abstinere non possum.* *Minus pensi.) non mirarer satis à uobis æstimatum esse, & perspectum.* *Spero.) credo.* *Non occupaui.) per uim tenui & possedi ut tyrannus.* *Præsidium deducerem.) milites ad custodiam Argorum constitutos inde abducerem, retraherem, emouerem.* *Facta me premunt.) urgent, seu obsunt mihi.* *Exigere.) reducere, reuocare, redigere, siue examinare et perpendere, siue etiam reformare. Verbum est elegās, quo sæpe in hanc quoq; significationem Quintilianus utitur, in quam utimur uerbo examino. hinc exactiones,*

ones, quod examen uulgò dicimus. Vos à censu equitem.) Hoc Seruius Tullius instituit, sicuti alio loco docuimus: quæ hic repete, si hãc ipsam rem intelligere placeat. Quanti censi fuerint Romæ equites, Liuius, quod sciam, non meminit, certe non eo ipso loco ubi classes à Seruio institutas refert. Budæus in Asse colligit ex Suetonio & Plinio uarium eorum censum fuisse: sed Cæsaris & Tyberij demũ imperio. Fuisse tamen ea ipsa ætate censum legitimum docet quadraginta sestertiûm, id est decem milium coronatorum nostrorum. Pedites autem ita cẽsos fuisse instituto Seruij Liuius scribit, ut qui primæ claßis essent, eorum ut minimum centum miliũ æris census esset: secundæ claßis intra centum usq; ad septuagintaquinq; milium: tertiæ claßis intra quinquaginta milium: quartæ quinq; & uiginti milium: quintæ, quæ postrema fuit undecim milium cẽsus fuit. Et paucos excellere.) Ex hoc loco satis constare puto Remp. Romanam in secundam speciem Reip. cecidisse, Lacedæmoniorum uerò in tertiam. Tres enim species Reip. ab Aristotele tertio Politicorum enumerantur, quarum prima regnum dicitur, quum unius ad publicum & commune omnium commodum præest rerum administrationi: secunda Aristocratia græcè, latinè optimorum potestas, quum pauci quidem summæ rerum præsunt,

ſed bono publico: cuiuſmodi fuit, ut diximus, Romana. Tertia timocratia, ſiue cēſu poteſtas dicitur, quum multitudo gubernat ad communem item utilitatē, qualis fuit Laconica, ſiue Lacedæmoniorū. Ex his autem fit deflexus quidam in uitia & labes, ut ex regno in tyrannidem, quū unius tantum commodo inſeruitur: ex timocratia in paucorum poteſtatem, quum paucorum bonum quæritur, ex cenſu poteſtate in democratiam, quum multitudinis tantum utilitati conſulitur. Vocat Remp. Ariſtoteles inſtitutionem quandam & ordinationem ciuitatis, & circa alios magiſtratus, & maxime circa id quod in ciuitate maximam habet autoritatem. Noſter legumlator.) Lycurgus. Ariſtoteles ſecundo Politicorum damnat Remp. eam Lacedæmoniorum, quæ à Lycurgo inſtituta fuit. Quàm pro patriæ.) Nam Lacedæmonij & Lacones dicti, qui adeo breui ſermone uſi ſunt, ut uulgò Laconico ſermone breuißimus intelligatur.

T. *Quintij ad Nabim reſponſum.* 153.

AMicitia & ſocietas nobis nulla tecum, ſed cum Pelope rege Lacedęmoniorum iuſto ac legitimo facta eſt: cuius ius tyrāni quoq; qui poſtea per uim tenuerunt Lacedęmone imperium, quia nos bella nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex alijs occupauerant, uſurparunt, ſicut tu quoq; hoc bello Macedoni

co

eo fecisti. Nã quid minus cõueniret, quàm nos qui pro libertate Græciæ aduersus Philippũ gе remus bellũ, cũ tyranno instituere amicitiã, & eo tyrãno, quàm qui unquã fuit sæuissimo, & uiolentissimo in suos? Nobis uerò, etiamsi Argos nec cepisses fraude, nec teneres, liberãtibus omnẽ Græciã, Lacedæmon quoq; uindicanda in antiquã libertatẽ erat, atq; in leges suas, quarum modo tanquã æmulus Lycurgi mentionẽ fecisti. An ut ab Iasso & Bargillis præsidia Philippi deducantur, cura erit nobis, Argos & Lacedæmonem duas clarissimas urbes, lumina quõdã Græciæ sub pedibus tuis relinquemus, quæ titulum nobis liberatæ Græciæ seruientes deforment? Atenim cum Philippo Argiui senserunt. Remittimus hoc tibi, ne uicem nostram irascaris: satis compertum habemus, duorum, aut ad summum trium in ea re nouitatis culpã esse, tam hercle, quàm in te tuoq; præsidio accersendo accipiendoq; in arcem, nihil esse publico consilio actum. Thessalos & Phocenses, & Locrenses consensu omnium scimus partiũ Philippi fuisse: tamen quũ cæteram liberauerimus Græciam, quid tandem censes in Argiuis, qui insontes publici consilij sint, facturos? Seruorum ad libertatem uocatorum, & egentibus hominibus agri diuisi crimina tibi obijci dicebas, non quidem nec ipsa mediocria: sed quid ista sunt præ ijs, quæ à te tu-

isq;

isq; quotidie alia super alia facinora eduntur? Exhibe liberam concionem uel Argis, uel Lace dæmone, si te iuuat audire uera dominationis impotentissimæ crimina. Vt omnia alia uetusti ora omittã, quam cædem Argis Pythagoras iste gener tuus penè in oculis meis edidit? quam tu ipse, quum iam propè in finibus Lacedæmoniorum essem? Agedum, quos in concione cõprehensos omnibus audientibus ciuibus tuis in custodia te habiturum esse pronunciasti, iube uinctos produci, ut miseri parẽtes, quos falso lugent, uiuere sciant. At enim ut iam ita sint hæc, quid ad uos Romani? Hoc tu dicas liberãtibus Græciam socijs, qui ut liberare possent, mare traiecerunt, terra mariq; gesserunt bellũ? Vos tamen, inquis, uestramq; amicitiam ac societatem populi Romani non uiolaui. Quoties uis id arguam te fecisse? Sed nolo pluribus: summam rem cõplectar. Quibus igitur rebus amicitia uiolatur? Nempe his maxime duabus, si socios meos pro hostibus habeas, si cum hostibus te coniungas. Vtrum non à te factũ est? Nam & Messenem uno atq; eodem iure fœderis, quo & Lacedæmonem in amicitiam nostrã acceptam socius ipse sociam nobis urbem ui atque armis cepisti: & cum Philippo hoste nostro non societatem modo, sed (si Dijs placeat) affinitatem etiam per Philoclen prefectum eius pepigisti: & bellum aduersum nos gerens, mare

circa

circa Maleam infeſtum nauibus piraticis feciſti: & plures propè ciues Romanos, quàm Philippus cepiſti, atq; occidiſti: tutior'q; Macedoniæ ora, quàm promontorium Maleæ commeatus ad exercitus noſtros portantibus nauibus fuit. Proinde parce ſic fidem ac iura ſocietatis iactare, & omiſſa populari oratione, tanquam tyrãnus & hoſtis loquere.

Amicitia & ſocietas.) *Vehemens & acre reſponſum ad iniuſtã purgationem.* Exorditur *à ſententia eius qui ſe purgauit.* I*nſtituere amicitiã.) iungere, inire.* Q*uàm qui unquam fuit, ſæuiſsimo.)* No*uè ſuperlatiuo quàm adiecit.* *Sed quid iſta.)* Exaggeratio *criminis.* *Alia ſuper alia.)* Hoc peculiare Liuio *eſſe, iam ſupra admonuimus: perinde quaſi dicas, ſine intermiſsione ac mora, ſeu continenter, ac ſimul, quod uulgò dicimus totũ ad ictum, ſeu ictum ſuper ictum.* *Vtrum non à te.) quod duorum.* Proinde p*arce.) omitte, deſine.* P*eroratio eſt breuis illa quidẽ, ſed ut in tali re aptiſſima, qua concitata oratio & concitate perficitur.*

Arg*umentum in* CLIIII.

Hoc cum prioribus duabus concionibus coniunctum eſt. Q*uum ita collocuti eſſent,* N*abis Ariſtheno, ut dum liceret, ſuis rebus conſuleret, orante, poſtero die ſe deducturum* Arg*is, quando ita* Roman*is placeret, præſidium ſpoponderat, ſimul & perfu-*

gas

gas & captiuos redditurum, ac siquid aliud uellet, facturum. Interim ad bellum tantum Quintius animum intendebat: ac nihil dum eorum quæ receperat Nabis, apparebant, quum sentientibus omnibus continuandum esse bellum, ipse unus per simulationem difficultatem obsidionis Lacedæmonis, quo se Nabis ex colloquio receperat, causando, etiam tum à bello militum animos auertere conabatur. Vbi simulatione illa in dies militũ animos (quod unum agebat) magis accendi ac crescere uidit, repente in hæc uerba ad obsidionem adhortatus est.

T. Quintij ad suos ad obsidionem Lacedæmonis adhortatio. CLIIII.

BEne uertat: obsideamus Lacedæmonem, quando ita placet. Cæterum quum res tã lenta, quàm ipsi scitis, oppugnatio urbiũ sit, & obsidentibus prius sæpe quàm obsessis tędium afferat, iam nunc hoc ita proponere uos animis oportet, hybernandum circa Lacedæmonis mœnia esse. Quæ mora si laborem tantum ac periculum haberet, ut & animis & corporibus ad sustinenda ea parati essetis, hortarer uos, nunc impensa quoque magna eget, in opera, in machinationes & tormenta, quibus tanta urbs oppugnanda est, in commeatus uobis nobisq; in hyemem expediendos.

Itaq;

Itaque ne aut repente trepidetis, aut rem inchoatam turpiter destituatis, scribendum antè uestris ciuitatibus censeo, explorandumq́ quid quæq; animi, quid uirium habeat. Auxiliorum satis superq́ habeo, sed quo plures sumus, pluribus rebus egebimus. Nihil iã præter nudum solum ager hostium habet, ad hæc hyems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis.

EX LIBRO QVINTO BELLI MACEDOnici, qui XXXV.

Argumentum in CLV. & CLVI.

Legati Romani, P. Sulpitius & P. Iulius missi ad Eumenem primum, deinde ad Antiochum. Ii expositis senatus mandatis Eumeni, Ephesum ad Antiochum ueniunt. Forte per eos dies filij Antiochi morte primum nunciata, factũ erat, ut clausa regia, omnes in luctu essent. Legatus alter (nã Sulpitius æger Pergami substiterat) eo publico luctu non fore ratus, ut lætis animis audiretur, Pergamũ auertit iter. Paucis diebus luctu finito, Antiochus iã satis doctus quid ad se uenirẽt legati, cũ uno Minione principe amicorum consilia communicabat. Fugiebat, atque detrectabat modis omnibus cum legatis colloquium, ac futurum erat, ut nec admitteret legatos si redirent ultro, nec accerseret diutius

commo-

commoratos, nisi Minio ipse causam totam susceptam eius commodo cum legatis se acturum recepisset. Accitis itaq; legatis, Minio ipse absente Antiocho ita ita locutus est. Legati deinde responderunt.

Minionis ad legatos Romanorũ *uerba.* 155.

SPecioso titulo uti uos, Romani, Græcarũ ciuitatum liberandarum uideo, sed facta uestra orationi non conueniunt: & aliud Antiocho iuris statuistis, alio ipsi utimini. Quid enim magis Smyrnæi, Lãpsaceniq; Græci sunt, quàm Neapolitani & Rhegini & Tarẽtini, à quibus stipẽdium, à quibus naues ex fœdere exigitis? Cur Syracusas, atq; in alias Siciliç Græcas urbes prætorem quotannis cum imperio & securibus & uirgis mittitis? Nihil aliud profectò dicatis, quàm armis superatis uos ijs has leges imposuisse. Eandem de Smyrna, & Lampsaco, ciuitatibusq; quæ Ioniæ aut Aetolidis sunt, causam ab Antiocho accipite. Bello superatas à maioribus, & stipendiarias ac uectigales factas Antiochus repetit. Itaque ad hæc ei responderi uelim, si ex æquo disceptatur, & non belli causa quæritur.

P. *Sulpitij legati ad ea responsum.* CLVI.

FEcit uerecundè Antiochus, qui si alia pro causa eius non erant quç dicerentur, quemlibet ista, quàm se, dicere maluit. Quid e-

nim

nim simile habet ciuitatum earum quas comparasti, causa? Ab Rheginis & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in nostram uenerunt potestatem, uno & perpetuo tenore iuris semper usurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exegimus. Potes'ne tandem dicere, ut ij populi non per se, non per alium quenquam fœdus mutauerint: sic Asiæ ciuitates, ut semel uenerunt in maiorum Antiochi potestatem, in perpetua possessione regni uestri permansisse? & non alias earum in Philippi, alias in Ptolemæi fuisse potestate, alias per multos annos nullo ambigēte libertatem usurpasse? Nam si, quod aliquando seruierunt temporum iniquitate pressi, ius post tot secula asserēdi eos in seruitutem faciet, quid abest quin actum nobis nihil sit, quod à Philippo liberauimus Græciam? & repetant posteri eius Corinthum, Chalcidē, Demetriadem, & Thessalorum totam gentem? Sed quid ego causam ciuitatum ago, quam ipsis agentibus & nos & regem ipsum cognoscere æquius est?

Argumentum in CLVII.

Pertinet hoc ad conciones superiores duas. His inuicem iactis, legati earum ipsarum ciuitatum de quibus Sulpitius meminerat, quum introducti nūc suas quisq; querelas, nunc expostulationes interserent, re infecta dimissi sunt. Exinde consilium ini-

E *bat*

bat Antiochus belli aduersus Romanos suscipiendi. In id consilium forte Annibal adhibitus non erat propter colloquia cum Iulio legato altero Romanorum suspectus. Percõtatus itaq; alienationis & iracundiæ regis in se causam, quum ex colloquijs id natum acciperet, occasionem modo se regi purgandi quærebat. Ac eam tandem nactus, ita se regi purgauit.

Annibalis ad Antiochũ purgatio. CLVII.

PAter Amilcar, Antioche, paruum admodum me, quum sacrificaret, altaribus admotum iureiurando adegit, nunquam amicum fore populi Romani. Sub hoc sacramẽto sex & triginta annos militaui, hoc me in pace patria mea expulit, hoc patria extorrem in tuam regiam adduxit, hoc duce, si tu spem meam destitueris, ubicunq; uires, ubi arma esse sciam, huc ueniam, toto orbe terrarum quærens aliquos Romanis hostes. Itaq; si quibus tuorũ meis criminibus apud te crescere libet, aliã materiam crescendi, quàm ex me quærant, odioq; quòd sim Romanis, id me uerum dicere pater Amilcar & Dij testes sunt. Proinde quum de bello Romano cogitabis, inter primos amicos Annibalem habeto, si qua res te ad pacem compellet, in id consiliũ cũ quo deliberes quærito.

Ex

EX LIBRO SEXTO BELLI MACEDOnici, qui XXXV.

Argumentum in CLVIII.

Antiochus Annibalem in consilium adhibere nõ solebat, etiamsi oratione ea qua se Annibal purgauit, regem sibi reconciliasset. Forte in id adhibitus, quo de Thessalis consultabatur, quum aliud alij sentirent, nominatim rogatus sententiam, ita consiliũ suum de Macedonibus & Philippo in amicitiam deducendis, totiusq; belli ratione exposuit.

Annibalis in concilio Antiochi de totius belli ratione, & Macedonibus sententia. CLVIII.

SI ex quo traiecimus in Græciam, adhibitus essem in consilium, quum de Eubœa, de Achæis, deq; Bœotia agebatur, eandem sententiam dixissem, quam hodie quum de Thessalis agitur, dicam. Ante omnia Philippũ & Macedonas belli in societatem quacunque ratione censeo deducendos esse. Nam quod ad Eubœam Bœotiosq; & Thessalos attinet, cui dubiũ est, quin ut quibus nullæ suæ uires sint, pręsentibus adulãdo semper, quẽ metũ in cõcilio habeant, eodẽ ad impetrandã ueniã utãtur, simul ac Romanũ exercitũ in Græcia uiderint,

ad consuetum imperium se auertant? nec ijs no
xę futurum sit, quod quum Romani procul ab
essent, uim tuam præsentis, exercitusq; tui ex-
periri noluerint? Quanto igitur prius potiusq;
est Philippum nobis cõiungere quàm hos? cui,
si semel in causam descenderit, nihil integri fu-
turum sit, quin eas uires afferat, quæ non acces
sio tantum ad Romanum esse bellum, sed per
se ipsæ nuper sustinere potuerint Romanos?
Hoc ergo adiuncto (absit uerbo inuidia) quid
dubitare de euentu possim, quum quibus ad-
uersus Philippum ualuerint Romani, ijs nunc
fore uideam ut ipsi oppugnentur? Aetoli qui
Philippum (quod inter omnes constat) uicerũt
cum Philippo aduersus Romanos pugnabũt,
Aminander atq; Athamanũ gens, quorum se-
cundum Aetolos plurima fuit opera in eo bel-
lo, nobiscum stabunt. Philippus tum te quieto
totam molem sustinebat belli, nunc duo maxi-
mi reges Asiæ Europæq; uiribus aduersus unũ
populum, ut meam utranq; fortunam taceam,
patrum certe ætate ne uni quidem Epirotarum
regi parem, quicquid tandem uobiscum erit cõ
paratum, geretis bellum. Quę igitur res mihi fi
duciam præbet coniungi nobis Philippum pos
se? Vna, communis utilitas, quæ societatis ma-
ximum uinculum est, altera, autores uos Aeto
li. Vester enim legatus hic Thoas inter cætera
quæ ad exciendum in Græciam Antiochum di
cere

cere eſt ſolitus, ante omnia hoc ſemper affirma uit, fremere Philippum & ægre pati ſub ſpecie pacis leges ſeruitutis ſibi impoſitas. Ille quidē, ut feræ beſtiæ uinctæ aut clauſæ, & refringere clauſtra cupientes, regis iram uerbis æquabat, cuius ſi talis animus eſt, ſoluamus nō eius uin cula, & clauſtra refringamus, ut erumpere diu coërcita ira in hoſtes communes poſſit. Quod ſi nihil eum legatio noſtra mouerit, at nos, quo niam eum nobis adiungere non poſſumus, ne hoſtibus noſtris ille adiungi poſſit caueamus. Seleucus filius tuus Lyſimachiæ eſt, qui ſi eo ex ercitu quem ſecum habet, per Thraciam proxi- ma Macedoniæ cœperit depopulari, facile ab auxilio ferendo Romanis Philippum ad ſua potiſſimum tuenda auertet. De Philippo ſentē tiam meā habes, de ratione uniuerſi belli quid ſentirem, iam ab initio non ignoraſti. Quòd ſi tum auditus forem, non in Eubœa Chalcidem captam, & caſtellum Euripi expugnatum Ro- mani, ſed Ethruriam, Ligurumq́ʒ et Galliæ Ciſ- alpinæ oram bello ardere, & (qui maximus ijs terror eſt) Annibalē in Italia eſſe audirent. Nūc quoque accerſas cenſeo omnes nauales terre- ſtresq́ʒ copias, ſequantur claſſem onerariæ cum commeatibus. Nam hic ſicut ad belli munera pauci ſumus, ſic nimis multi pro inopia com- meatuū. Quū tuas omneis contraxeris uires, diuiſam claſſem partim Corcyræ in ſtatione ha

bebis, ne transitus Romanis liber ac tutus pateat, partim ad littus Italiæ, quod Sardiniam Africamq; spectat, traijcies, ipse cum omnibus terrestribus copijs in Byllinum agrum procedes, inde Græciæ præsidebis, & speciem Romanis traiecturum te præbens, et si res poposcerit, traiecturus. Hæc suadeo, qui ut non omnis peritissimus sim belli, cum Romanis certè bellare bonis malisq; meis didici. In quæ consilium dedi, in eadem nec infidelem, nec segnem operã polliceor. Dij approbent eam sententiam, quæ tibi optima uisa fuerit.

Si ex quo.) Expositio sententiæ de ratione belli, & societate coniungenda. Exorditur à re incidente, & adiuncta suæ personæ, quod uidelicet in consilium ad eam diem adhibitus non esset. Ante omnia.) Propositio est eius rei quam priore loco suasurus est. Deducendos.) alliciendos, attrahendos. Quanto igitur.) Ab utili. Cui.) Philippo. In causam descenderit.) id est, si se belli socium adiunxerit. Nam descendere in causam est se adiungere causæ, aut rei de qua quæstio est, quod & causæ subscribere Budæo dicitur. Nihil integri futurum sit, quin.) Alij codices Quiq; habent, alij Quinq;, ego Quin, ut restitui, legendũ puto, ut sit totius huius loci sensus: Si Philippus semel in causam descenderit, id est si se belli

socium

ſocium adiunxerit, ei nihil integri futurũ, id eſt potius omnia in bello amiſſurus ſit, quin eas uires afferat, id eſt quàm eas uires non contrahat & comparet. Iis nunc.) *Aetolis.* Inter omnes conſtat.) *fatentur, nemini eſt controuerſum.* Secundum Aetolos.) *poſt, ſeu præter Aetolos, ſiue ijs exceptis.* Quæ igitur res.) *Poſtea quàm ſuaſit Philippum coniungendum, nunc qua ratione poßit, docet.* Refringere clauſtra.) *Clauſtrũ hic ſumitur pro eo loco in quem feræ includũtur. Vulgò cagas appellamus, quæ uel uiminibus, uel paxillis ferreis contexũtur ad nutriẽdas aues ſeu domeſticas, ſeu feras, ſeu maiores, ut anſeres, capos, pullos gallinaceos, ſeu minores, ut paſſeres, luſcinias, item & greßilia animalia, ut leones, cuniculos.* Quòd ſi nihil.) *Nunc exponit quid faciundum, ſi nolit adiungi.* Speciem Romanis.) *Venuſtus ſermo, præbeo ſpeciem me traiecturum, pro eo quod dicas, fingo quòd traijcere uolo, aut ſum traiecturus, id eſt tranſiturus.*

Argumentum in CLIX.

Attilius conſul depopulatus Hypatenſem Heracleenſemq; agrum, in faucibus ad Thermopylas, ubi rex Antiochus erat, caſtra locauerat. Quod ubi regi allatum eſt, ueritus ipſe ne quam uiam per iuga imminentia Romani ad tranſitum inueniret,

Aetolis Heracleam mandat, occuparent ea ipsa cacumina, ne quà Romanus transire posset. Ita ut iusserat rex, Aetoli ad occupandum contendunt. Consul ea re cognita, eodem aduersus Aetolos missis legionibus, ipse prius quàm in hostem copias educeret, ita militum animos confirmauit.

Attilij consulis ad suos concio. CLIX.

PLerosq; omnium ordinum, milites, inter uos esse uideo, qui in hac eadē prouincia, T. Quintij ductu auspicioq; militaueritis. Macedonico bello inexuperabilis magis saltus ad amnem Aoum fuit, quàm hic, quippe portę sunt hæ, & unus inter duo maria clausis omnibus uelut naturalis transitus est, munitiones et locis opportunioribus tunc fuerunt, & ualidiores impositæ, & exercitus hostium multo & numero maior, & militum genere aliquanto melior. Quippe illic Macedones Thracesq; & Illyrici erant, ferocissimæ omnes gentes, hic Syri & Asiatici Græci sunt, leuissima genera hominū, & seruituti nata. Rex ille bellicosissimus, & exercitatus iam inde à iuuenta finitimis Thracum atq; Illyricorum & circà omnium accolarum bellis: hic, ut omnem aliam uitam omittā, est, qui quū ad inferendum populo Romano, bellū ex Asia in Europam transisset, nihil memorabilius toto tempore hybernorum gesserit quàm quod amoris causa, ex domo priuata, &

obscuri

obſcuri etiam inter populares generis uxorem duxit,& nouus maritus uelut ſaginatus nuptialibus cœnis ad pugnam proceſſit. Summa uirium ſpeiq; eius in Aetolis fuit,gēte uaniſſima & ingratiſſima,ut uos prius experti eſtis, nunc Antiochus experitur. Nam nec conuenerunt frequentes, nec contineri in caſtris potuerunt, & in ſeditione ipſi inter ſe ſunt,& quum Heracleam tuēdam Hypatamq; depopoſciſſent,neutram tutati,pars refugerunt in iuga montium, pars Heracleæ incluſerunt ſeſe.Rex ipſe confeſſus nuſquam æquo campo non modo congredi ſe ad pugnam audere , ſed ne caſtra quidem in aperto ponere: relicta omni ante ſe regione ea quam ſe nobis ac Philippo ademiſſe gloriabatur,cōdidit ſe intra rupes,ne ante fauces quidem ſaltus,ut quondam Lacedæmonios fama eſt,ſed intra penitus retractis caſtris. Quod quātum intereſt ad timorem oſtendendum, an muris alicuius urbis obſidendum ſeſe incluſerit? Sed neq; Antiochum tuebuntur anguſtiæ, nec Aetolos uertices illi quos ceperunt:ſatis undiq; prouiſum atq; præcautū eſt, ne quid aduerſus uos in pugna præter hoſtes eſſet.Illud proponere animo ueſtro debetis,non uos pro Græciæ libertate tantum dimicare (quāquam is quoq; egregius titulus eſſet,liberatam à Philippo antè, nūc ab Aetolis & ab Antiocho liberare) nec ea tantum in præmium ueſtrum ceſſura, quæ

nunc in regijs castris sunt, sed illum quoq; omnem apparatum qui in dies ab Epheso expectatur, prædæ futurum, Asiam deinde, Syriamq;, & omnia usq; ad ortus Solis ditissima regna imperio Romano aperturos. Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare rubrũ Oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit? & omne humanum genus secundum Deos nomen Romanum ueneretur? In hæc tãta præmia dignos parate animos, ut crastino die bene iuuantibus Dijs acie decernamus.

Plerosq; omnium ordinum.) Exhortatio est ad bellum, in qua exordium petitur à re incidente simili. In hac magna ex parte à facili sumpto ex circunstantijs, ut loci, generis hostium, suadet.

Macedonico bello.) Constat hic totus locus imminutione per comparationem, ubi hostium nomẽ eleuat. Seruituti nata.) Noue dixit, pro ad seruitutem nata. Summa uirium.) præcipuum siue caput. In iuga.) cacumina, uertices. Illud proponere.) inducere in animum, aut subijcere, & tanquam ostendere. A' spe hortatur. In præmium uestrum cessura.) Cedere in præmium, dedecus, bonum, commodum, detrimentũ, & mille id genus alia ornate dicũtur, pro quibus dicimus esse præmium, dedecus, aut trahi uertiq; in præmiũ. Secundũ Deos.) post Deos. Nomẽ Roma-

manũ.)gloria,fama Romanorũ, *aut* Romani *ipsi.*

Argumentum in CLX.

Zacinthus insula erat,quã Hiero Agrigentinus, Aminãdri,cuius in possessione erat,præfectus,poste aquã dominum à Philippo Megalopolitano Athamania pulsum audiuit, pecunia pactã Achæis tradiderat. T. Quintius hac re cognita conciliũ Achæorũ edicit,ubi de Zacintho ageretur. Ad diẽ præstitutum Romani insulã ut suã repetebãt. Diaphanes contrà prætor Achæorũ suæ ditionis esse , iureq́; à se poßideri cõtendebat. Achæi multi eã iam ab initio se aspernatos esse testabantur,quo magis prætoris pertinaciam admirari non desistebant. In tanta opinionum uarietate res tota T. Quintij permissa est arbitrio,qui quod uelit nunc exponit.

T. Quintij de Zacintho pronunciatio ad Achæos. CLX.

SI utilẽ possessionẽ eius insulę censerẽ Achęis esse,autor essem senatui populoq́ȝRom. ut eã uos habere sinerẽt. Cęterũ sicut testudinẽ,ubi collecta in suũ tegumẽ est,tutã ad omnes ictus uideo esse, ubi exerit partes aliquas, quodcũqȝ nudabit, obnoxiũ atqȝ infirmũ habere, haud dissimiliter uobis, Achæi,clausis undiqȝ maris quod intra Pelopõnesum est termino, ea & iungere uobis, & iuncta tueri facile;simul auiditate plura amplectẽdi hinc excedatis,

nuda uobis omnia, quæ extra sint, & exposita ad omnes ictus esse.

Autor essem.) suaderẽ, seu quod uulgò dicimus ponerem in capite eorum. Collecta in suum tegumen.) congregata, inclusa, se recepit et condidit intra suam testam, domum, cochleam. Tutam ad omnes ictus.) id est nõ timere ictus. Vbi exerit.) profert, aperit, denudat, extrahit.

Argumentum in CLXI.

M. Attilius quũ delatis pacis conditionibus Aetolos Naupactum ad sustinendam totam belli molẽ confugiße comperisset, tum demum ui atq; armis agendum esse cum ijs ratus, urbem ipsam obsidere cœpit. In castra eo ipso tempore T. Quintius ex concilio Achaico redierat, qui quum ex composito muros obambularet, ut ab Aetolis ipsis nosceretur, omnes extemplo nomine eum inclamabant, orabantq; ut se seruare uellet. Mouit ea uox Quintium, qui in castra descendens, ita M. Attilium monuit, ut soluta obsidione aliò transferret bellum.

T. Quintij ad M. Attilium consulem *uerba pro Aetolis.* CLXI.

VTrum fallit te, M. Attili, quid agatur? an quum satis prouideas, nihil id magnopere ad summam Reipu. pertinere censes? (Erexerat expectatione cõsulem.) Et quin expromis, inquit Attilius, quid rei sit? Tũ Quintius

tius, Ecquid uides te deuicto Antiocho in duabus urbibus oppugnandis tempus terere, quũ iam propè annus circumactus sit imperij tui? Philippum autem qui non aciem, nõ signa hostium uidit, non solum urbes, sed tot iam gentes, Athamaniam, Perrhœbiam, Aperantiã, Dolopiam sibi adiunxisse? Atqui non tantum interest nostra Aetolorum opes ac uires minui, quantum non supra modum Philippũ crescere, & uictoriæ tuæ præmium te militesq; tuos nondum tot urbes, quot Philippũ gentes Græciæ habere.

Argumentum in CLXII.

Cognitio huius à superiore petenda oratione. M. *Attilius consul uerbis* T. *Quintij motus totam ipsi rem permiserat. Itaq; rursus obambulare circa eandem partem muri, circa quam paulo ante uociferati erant Aetoli, pergit. Vbi quum eum rursus Aetoli animaduerterent, impensius orabant ut sui misereretur. Tum egredi aliquot ad se iubet, quibus ad pedes prouolutis, quid ipse uellet, ita exposuit.*

T. *Quintij uerba ad Aetolorũ principes de reconciliatione.* CLXII.

FOrtuna uestra facit, ut & irę meę & orationi tempora euenerint quæ prædixi euentura, & ne hoc quidem reliqui uobis est, ut indignis accidisse ea uideantur. Ego tamen sorte quadam nutriendæ Græciæ datus, ne ingratis quidem

quidem benefacere absistam. Mittite oratores ad consulem, qui inducias tantum temporis petant, ut mittere legatos Romam possitis, per quos senatui de uobis permittatis. Ego apud consulem deprecator defensorq; uobis adero.

EX LIBRO SEPTIMO QVARTAE DECAdos, qui XXXVIII.

Argumentum in CLXIII.

L. Aemilio prætori inter prouincias decernendas claßis Romana decreta erat. Eũ quũ Samo Eleam ut regi Eumeni opem ferret, cũ classe Romana uenisse Antiochus audiret, Publiumq; Scipionem consulem iam in Macedonia cum exercitu esse, de pace agendi tempus uenisse ratus, Caduceatorem ad Aemilium misit, qui de pace se agere uelle nunciaret. Tum concilium hac de re Aemilius edicit, in quo quum de re ipsa referret, Rhodij quidem rogati sententiam, censebant pacem esse faciendam, cæterum Eumenes contrà sentiebat, quam sententiam ita peregit.

Eumenis in concilio sententia. CLXIII.

QVi enim aut honeste inclusi mœnibus, & obsessi uelut leges pacis accipiemus? Aut cui rata ista pax erit, quam sine consule, non ex autoritate senatus, non iussu populi Romani peregerimus? Quæro enim, pace

per

per te facta, rediturus'ne extemplo in Italiam sis, classem exercitumq; deducturus? an expectaturus quid de ea re consuli placeat, quid senatus censeat, quid populus iubeat? Restat ergo ut maneas in Asia, & rursus in hyberna copiæ reductæ omisso ibi bello exhauriant cõmeatibus præbendis socios, deinde si ita uisum sit ijs penes quos potestas fuerit, instauremus nouum deintegro bellum, quod possumus, si ex hoc impetu rerum nihil prolatando remittitur, ante hyemẽ Dijs uolentibus perfecisse.

Argumentum in CLXIIII.

Heraclides Byzantius ab Antiocho missus de pace legatus, P. Scipioni inter cæteras conditiones eam quoque detulerat, Antiochum paratum esse restituere Romanis quascunq; in Asia teneret urbes, dimidiamq; partem impensarum in bellum factarum præstare. Eas Romanis non placere uidens, priuatim Scipionem alloquitur, sicuti mandatum ipsi erat, fore si conditiones acciperet, ut Antiochus ipsi filium etiam sine precio redderet. Magnum deinde auri pondus pollicitus, in societatem regni eum uenturum professus est, si pacem fecisset. Nunc Scipio respondet.

Scipionis ad legati Antiochi uerba responsum. CLXIIII.

Quod

QVòd Romanos omneis, quod me, ad quem missus es, ignoras, minus miror quum te fortunam eius à quo uenis, ignorare cernam. Lysimachia tenenda erat, ne Chersonesum intraremus, aut ad Hellespontũ obsistendum, ne in Asiam traijceremus, si pacẽ tanquam à solicitis de belli euentu petituri eratis. Concesso uerò in Asiam transitu, & non solum frenis, sed etiam iugo accepto, quæ disceptatio ex æquo, quum imperium patiendum sit relicta est? Ego ex munificentia regia maximũ donum filium habebo: alijs Deos precor ne unquam fortuna egeat mea, animus certe non egebit. Pro tanto in me munere gratum me esse in se sentiet, si priuatam gratiã pro priuato beneficio desiderabit: sed publicè nec habebo quicquam ab illo, nec dabo Quod in præsentia dare possim, fidele consilium est, abi, nuncia meis uerbis, bello absistat, pacis conditionem nullam recuset.

Argumentum in CLXV.

Antiochus eo prælio quod aduersus Romanos *ad* Phrygium *flumẽ commisit, fuga sibi salutẽ quærere coactus erat.* Ex *ea fuga nocte Sardis primum, deinde* Apameam *se recepit, ubi de pace agendum esse ut in tam aduersis rebus in animum inducens, legatos ad consulem de ea re mittit.* Dato *concilio,* Zeusis *legatorum princeps ita causam egit.*

Zeusis

Zeusis legati Antiochi ad Romanos de pace oratio. CLXV.

NOn tam quid ipsi dicamus, habemus, quàm ut à uobis quæramus, Romani, quo piaculo expiare errorem regis, pacē ueniamq; impetrare à uictoribus possimus. Maximo semper animo uictis regibus populisq; ignouistis, quanto id maiore & placatiore animo decet uos facere in hac uictoria, quæ uos dominos orbis terrarum fecit? Positis iam aduersus omnes mortales certaminibus, haud secus quàm deos consulere & parcere uos generi humano oportet.

Scipionis ad ea responsum. CLXVI.

ROmani ex ijs quæ in deûm immortaliū potestate erant, ea habemus, quæ dij dederunt, animos, qui nostræ mentis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus, gerimusq;, neq; eos sequundæ res extulerunt, nec aduersę minuerunt. Eius rei, ut alios omittam, Annibalem uestrum uobis darem testem, nisi uos ipsos dare possem. Posteaquam Hellespontum traiecimus, priusquam castra regia, priusquam aciē uideremus, quum communis Mars, & incertus belli euētus esset, de pace uobis agētibus quas pares paribus ferebamus conditiones, easdem nunc uictores uictis ferimus. Europa abstinete, Asiaq; omni quæ cis Taurum montem est,

decedite, pro impensis deinde in bellum factis, 15 milia talentûm Euboicorũ dabitis, quingenta præsentia, duo milia & quingenta, quum senatus populusq; Romanus pacem comprobauerint, mille deinde talentûm per 12. annos. Eumeni quoq; reddi 400 talenta, & quod frumẽti reliquum ex eo, quod patri debitum est, placet. Hæc quũ pepigerimus, facturos uos ut pro certo habeamus, erit quidem aliquod pignus, si obsides uiginti nostro arbitratu dabitis. Sed nunquam satis liquebit nobis, ibi pacem esse pop. Rom. ubi Annibal erit. eum ante omnia deposcimus. Thoantem quoq; Aetolum concitatorem Aetolici belli, qui & illorũ fiducia uos, & uestra illos in nos armauit, dedetis, et cum eo Mnasymmachum Acarnanem, & Chalcidenses Philonem & Eubolum. In deteriore sua fortuna pacem faciet rex, quia serius facit, quàm facere potuit. si nunc remoratus fuerit, sciat regum maiestatẽ difficilius ab summo fastigio ad mediũ detrahi, quàm à medijs ad ima præcipitari.

Neq; eos sequundæ.) Hic *iactat æquabilitatem uitæ* Romanorum, *quam tamen non ita planè seruatam esse ab ipsis, ex* Liuiana *lectione quiuis deprehendat, eo præsertim tempore, quo infeliciter ad* Cannas *pugnatum est.* Pro *impensis.) sumptibus.* XV *milia talentûm* Euboicorũ.) *Gul.* Budæus

dæus in Asse contra Festum Pompeium talentum Euboicum docet octogenarium esse, hoc est, continere & efficere minas Atticas octoginta, ut eius ad minus Atticum talentum proportio sit sesquitertia, id est, efficiat ipsum semel, atque tertiam eius partem. Ita talentum Atticum minus sexagenariū erit, id est minas Atticas sexaginta explebit. Nam maius Priscianus autor est ualere minas 83, & uncias quatuor. Mina autem Attica siue libra 75 drachmas efficit, drachmæ octo unciam, uncia duodecima pars est aßis. Ita minam seu libram Atticam deducenti, uncias nouenas drachmasq; ternas efficere facile apparebit. Aestimatione autem nostra sexcentos coronatos ualet talentum. De his Budæus noster latißime atque scitißime ut qui alius disserit, cuius in eo conatus omnes occupati sunt; ut felicitas illa antiquorum, quæ multis seculis aut inscitia hominum, aut certe desidia atq; inertia non dicam imminuta erat, sed iam plane emortua, atque ab stirpe extincta, de integro uelut à mortuis reuocata paßim renascatur, atque cuilibet sese offerat. Cuius si quem similem maiorum nostrorum ætate nostra Gallia tulisset, non esset cur maioribus illis nostris uel inuideremus, uel propè dixerim, malum imprecaremur, quod posteris nobis non consuluerint.

Sed hæc ipsa deplorandi alius bene iuuantibus diuis locus dabitur. Iam ad rem ipsam redeamus. Quingenta præsentia.) talenta scilicet, ut uulgò dicimus, contenta, siue in præsenti.

Argumentum in CLXVII.

Delatis Antiocho Asiatico regi pacis conditionibus, Eumenes rex Romam proficiscitur, quem sequuntur Rhodiorum, Antiochi, aliorumq; Asiaticorum populorum legationes. Ipse Eumenes atq; Rhodij in id unum uenerunt, ut pro impensis atq; laboribus in bella Romanorum exhaustis dignum aliquod præmium acciperent. Eumeni primum senatus datus. Ibi quum merita primo Romanorum erga se exposuisset, gratulatusq; ipsis esset uictoriam, pudore atq; uerecundia prohibitus, merita sua in eos malle se ex imperatoribus cognosci, quàm se referēte dicebat. Iussus referre, quum se uerecundia prohiberi testaretur, uererique ne quid aut immoderate cupisse, aut immodice petisse uideretur, egredi templo cœpit. Reuocatus, & merita sua, & quod ob ea præmium sibi dari optaret, expromere cogitur. Ita uictus rem in hæc uerba demonstrauit.

Eumenis in senatu petitio. CLXVII.

Perseuerassem tacere, P.C. nisi Rhodiorū legationem mox uocaturos uos scirem, & illis auditis mihi necessitatem fore dicēdi

di, quæ quidem eo difficilior erit, quod ea postu lata eorum futura sunt, ut non solũ nihil quod contra me sit, sed ne quod ad ipsos quidem propriè pertineat, petere uideantur. Agent enim causam ciuitatum Græcarum, & liberari eas dicẽt debere. quo impetrato, cui dubium est, quin & à nobis auersuri sint non eas modo ciuitates quæ liberabuntur, sed etiam ueteres stipendiarias nostras? sibi autem tanto obligatos beneficio, uerbo socios, re uera subiectos imperio & obnoxios habituri sint? Et (si dijs placet) quum has tantas opes affectabunt, dissimulabunt ulla parte id ad se pertinere, uos modo id decere, & conueniens esse antè factis dicent. Hæc uos ne decipiat oratio, prouidendum uobis erit, neue non solum inæqualiter alios nimium deprimatis ex socijs uestris, alios præter modum extollatis, sed etiam ne qui aduersus uos arma tulerint, in meliore statu sint, quàm socij & amici uestri. Quod ad me attinet, in alijs rebus cessisse intra finem iuris mei cuilibet uideri malim, quàm nimis pertinaciter in obtinendo eo tetendisse. In certamine autem amicitiæ uestræ, beneuolentiæ erga uos, honoris qui à uobis habebitur, minime æquo animo uinci possum. Hanc ego maximã hæreditatem à patre accepi, qui primus omnium Asiam Græciamq; incolentium in amicitiam uestram uenit,

eamq́ perpetua & constanti fide ad extremum finem uitę perduxit, nec animum duntaxat uobis bonum ac fidelem præstitit, sed omnibus interfuit bellis quę in Gręcia gessistis, terrestribus naualibusq́, omni genere commeatuum, ita ut nemo sociorum uestrorum æquari ulla parte possit, uos adiuuit. Postremo quū Bœotios ad societatem uestram hortaretur, in ipsa cōcione intermortuus haud multo post expirauit. Huius ego uestigia ingressus, uoluntate quidem & studio in colendis uobis adijcere (etenim inexpugnabilia hæc erant) nihil potui, rebus ipsis, meritisq́, & impensis officiorum ut superare possem, fortuna, tempora, Antiochus, & bellum in Asia gestum, præbuerunt materiam. Rex Asiæ & partis Europæ Antiochus filiam suam in matrimonium mihi dabat, restituebat extemplo ciuitates quæ defecerant à nobis, spē magnam in posterum amplificandi regni faciebat, si secum aduersus uos bellum gessissem. Non gloriabor eo, quod nihil in uos deliquerim, illa potius, quæ uetustissima domus nostrę uobiscum amicitia digna sunt, referam. Terrestribus naualibusq́ copijs, ut nemo uestrorum sociorum me æquiparare posset, imperatores uestros adiuui, commeatus terra mariq́ suppeditaui, naualibus prælijs, quæ multis locis facta sunt, omnibus affui, nec labori meo, nec periculo

riculo usquã peperci, quod miserrimũ est, in bello obsidionẽ passus sum, Pergami inclusus cũ discrimine ultimo simul uitæ regniq́ꝫ. Liberatus deinde obsidione, quũ alia parte Antiochus, alia Seleucus circa arcẽ regni mei castra haberẽt, relictis rebus meis, tota classe ad Hellespontũ L. Scipioni cõsuli uestro occurri, ut eũ in traijciendo exercitu adiuuarẽ. Postea quàm in Asiam exercitus uester est trãsgressus, nunquã à cõsule abscessi, nemo miles Romanus magis assiduus in castris uestris fuit, quàm ego, fratresq́ꝫ mei. Nulla expeditio, nullum equestre prælium sine me factum est, in acie ubi steti, eam partem sum tutatus, in qua me consul esse uoluit. Non sum hoc dicturus, P. C. quis hoc bello meritis erga uos mecum comparari potest? Ego nulli omnium neque populorum neque regũ quos in magno honore habetis, non ausim me comparare. Masinissa hostis uobis antequàm socius fuit, nec incolumi regno cum auxilijs suis, sed extorris, expulsus, amissis omnibus copijs, cum turma equitum in castra confugit uestra, tamen eum, quia in Africa aduersus Syphacem & Carthaginenses fideliter atqꝫ impigrè uobiscum stetit, non in patrium solũ regnũ restituistis, sed adiecta opulentissima parte Syphacis regni, præpotentem inter Africæ reges fecistis. Quo tandem igitur nos præmio

atq; honore digni apud uos sumus, qui nunquam hostes, semper socij fuimus? Pater, ego, fratresq; mei non in Asia tantum, sed etiã procul ab domo in Peloponneso, in Bœotia, in Aetolia, Philippi, Antiochi, Aetolico bello terra mariq; pro uobis arma tulimus. Quid ergo postulas? dicat aliquis. Ego, P.C. quoniam dicere utiq; uolentibus uobis parendum est, si uos ea mente ultra Tauri iuga Antiochum eiecistis, ut ipsi teneretis eas terras, nullos accolas nec finitimos habere, quàm uos malo, nec ulla alia re tutius stabiliusq; regnum meum futurum spero. Sed si uobis decedere inde, atq; exercitus deducere in animo est, neminem digniorem esse ex socijs uestris, qui bello à uobis parta possideat, quàm me, dicere ausim. Atenim magnificũ est liberare ciuitates seruas, ita opinor, si nihil hostile aduersus uos fecerunt. Sin autem Antiochi partis fuerunt, quanto est uestra prudentia & æquitate dignius, socijs benemeritis, quàm hostibus uos consulere?

Perseuerassem.) Petitio est præmij laborũ pro ijs exhaustorũ à quibus petitur. Exorditur à re ea de qua aduersarij dicturi erant. Potentißimum certe uel ad conciliandos iudicum animos, uel imminuendam gratiam aduersariorum, iam de quibus dicturi ipsi sint, ante concepisse, quorum aut atrocitatẽ aut indignitatem referentes facimus ne iudices ijs faci-

facile credant, imò propè aduersentur. Legatio*nem.) ambassadam ut uocamus.* Quod ad me at*tinet.)* Ab amore suo erga Romanos. Hanc e*go.)* Ab officijs & meritis primum patris, deindè *suis.* Concione intermortuus.) Intermortuum *appellat puto, quem animus defecerat. Vulgò dicimus euanuitum.* Rex Asiæ.) A' signo probat fir*mitatem amicitiæ.* Pedestribus.) A' laboribus *& periculis.* Masinissa.) Exemplum à minore *per amplificationem.* Pater, ego.) Grammatici *præcipiunt ubi per conceptionem personarum iungantur uoces diuersarum personarum, quæ sit primæ personæ, primo loco debere collocari, tũ quæ secundæ, postremo quæ tertiæ, iam hic uides tertiã ante primam locari.* Ea mente ultra Tauri.) Mẽ*tem hic appellat, quam uulgò intentionem dicimus. aliàs consilium uocat, alias propositum.* Ego P.C.) *Quid petat, tandem, sed uerecundè exponit.* Atenim.) *Præsumptio est à causa Rhodiorũ.*

Rhodiorum in senatu actio. CLXVIII.

NIhil nobis tota nostra actione, P.C. neq; difficilius neque molestius est, quàm quod cũ Eumene nobis disceptatio est, cum quo uno maxime regum & priuatum singulis, & (quod magis nos mouet) publicum ciuitati nostræ hospitium est. Cæterum non ani-

mi nostri, P. C. nos, sed rerum natura, quæ potentissima est, disiungit, ut nos liberi etiam aliorum libertatis causam agamus, reges serua omnia & subiecta imperio suo esse uelint. Vtcunque tamen res habet, magis uerecundia nostra aduersus regem nobis obstat, quàm ipsa disceptatio aut nobis impedita est, aut uobis perplexã deliberationem præbitura uidetur. Nam si aliter socio atque amico regi, & benemerito hoc ipso in bello de cuius præmijs agitur, honos haberi nullus posset, nisi liberas ciuitates ei in seruitutem traderetis, esset deliberatio anceps, ne aut regem amicum inhonoratum dimitteretis, aut decederetis instituto uestro, & gloriam Philippi bello partam nũc seruiture tot ciuitatum deformaretis. Sed ab hac necessitate aut gratiæ in amicum imminuendæ, aut gloriæ uestræ egregiè uos fortuna uindicat. Est enim Deûm benignitate nõ gloriosa magis, quàm diues uictoria uestra, quæ uos facile isto uelut ære alieno exoluat. Nã & Lycaonia, & Phrygia utraque, & Pysidia omnis & Chersonesus, quæque circũiacent Europæ, in uestra sunt potestate, quarũ una quælibet regi adiecta multiplicare regnũ Eumenis potest, omnes uerò datæ maximis eũ regibus æquare. Licet ergo uobis & præmijs belli ditare socios, & non decedere instituto uestro. Debetis etiam meminisse, quem titulum

prætenderitis prius aduersus Philippum, nunc aduersus Antiochum, belli, quid feceritis Philippo uicto, quid nunc à nobis, non magis quia fecistis, quàm quia id uos facere decet, desideretur atq; expectetur. Alia enim aliis & honesta & probabilis est causa armorum. Illi agrum, hi uicos, hi oppida, hi portus, orãq; aliquam maris ut possideant, uos nec cupistis hæc antequã haberetis, nec nunc quum orbis terrarum in ditione uestra sit, cupere potestis. Pro dignitate & gloria apud omne genus humanũ, quod uestrum nomen imperiũq; iuxta ac Deos immortales iampridem intuetur, pugnastis, quæ parare & quærere arduum fuit, nescio an tueri difficilius sit. Gentis nobilissimæ uetustissimæq; uel fama rerum gestarum, uel omni commendatione humanitatis doctrinarumq; tuendam ab seruitio regio libertatem suscepistis. Hoc patrociniũ receptę in fidẽ & clientelam uestrã uniuersæ gentis perpetuũ uos pręstare decet. Nõ quæ in solo modo antiquo sunt, Græciæ magis urbes sunt, quàm coloniæ earum, illinc quondã profectę in Asiã, nec terra mutata mutauit genus aut mores. Certare pio certamine cuiuslibet bonæ artis ac uirtutis ausi sumus cũ parentibus quęq; ciuitas et conditoribus suis. Adistis Græciæ, adistis Asiæ urbes pleriq;, nisi quod lõgius à uobis absumus, nulla uincimur alia re.

Massi.

Massilienses, quos, si natura insita uelut ingenio terræ uinci posset, iampridem efferassent tot indomitæ circumfusæ gentes, in eo honore, in ea meritò dignitate audimus apud uos esse, ac si medium umbilicum Græciæ incolerent. Non enim sonum modo linguæ, uestitumque et habitum, sed ante omnia mores & leges & ingenium syncerum integrumque à contagione accolarum seruauerunt. Terminus est nunc imperij uestri mons Taurus, quicquid intra eum cardinem est, nihil longinquum uobis uideri debet, quò arma uestra peruenerũt, eodem ius hinc profectum perueniat. Barbari, quibus pro legibus semper dominorum imperia fuerunt, quo gaudent, reges habeant. Græci suam fortunam, uestros animos gerunt, domesticis quondam uiribus etiam imperium amplectebantur, nunc imperium ubi est, ibi ut sit perpetuum optant, libertatem uestris tueri armis satis habent, quoniam suis non possunt. At enim quædam ciuitates cum Antiocho senserunt, & aliæ prius cum Philippo, & cum Pyrrho Tarentini (ne alios populos enumerem) Carthago libera cum suis legibus est. Huic uestro exemplo quantum debeatis, uidete P. C. ne inducatis in animum negare Eumenis cupiditati, quod iustissimæ iræ uestræ negastis. Rhodij & in hoc & in omnibus bellis quæ in illa ora gessistis, quàm forti fidelique opera uos adiuuerimus, uestro iudicio

cio relinquimus. Nunc in pace id consilium afferimus, quod si comprobaueritis, magnificentius uos uictoria usos esse, quàm uicisse, omnes existimaturi sunt.

Nihil nobis.) *Dissuasio in id quæsita, ne urbes postulatæ Eumenis regno adiungerentur. Exordium mire est elegans, sumptum à societate quæ Rhodijs cum Eumene intercedebat.* *Vtcunq; tamẽ.*) *Propositio est, ac ceu thesis.* *Nã si aliter.*) *Hic uide quàm honorifica appellatione Eumenem nominet, ne Romanorum animos aut alienet à se, aut auertat. Nam hoc quoq; Fabius præcipit uidẽdum esse, ne maledici aut contumeliosi in quenquam hominem ordinem'ue uideamur, eorum præsertim qui lædi nisi aduersa iudicum uoluntate non possunt.* *Dimitteretis.*) *remitteretis, aut abire sineretis.* *Decederetis.*) *Decedere suo instituto sic dicitur, ut decedere suo more, iure, officio. Est autem decedere suo more atq; officio, agere aliter, aut contrà quàm solitus quis sit, atq; deceat, officiosumq; sit. Ita decedere suo instituto, est facere secus, contrá ue quàm consueuerit quis, atq; instituerit. Decedere uerò suo iure, est non omnia sic rigorose, ut uulgò dicimus, facere, ut iure quis poßit. uulgò sinere perdi ius, aut præterire dicimus. Contrarium eius est, suo iure agere.* *Deformaretis.*) *obscuraretis, detur-*

deturparetis, eleuaretis, minueretis. Sed ab hac necessitate.) Corrigit postulata Eumenis propositione aliarũ ciuitatũ quæ ipsi traderentur. Vindicat.) liberat, seu quod dicimus, saluat. Deûm benignitate.) Hic nota, quoties Liuius aliquid Romanis à Dijs datũ esse significat, uocabulo benignitatis uti solere. adhuc plus decies usurpauit in eã rẽ.

Aere alieno.) Aes alienũ dicitur, quod alicui creditũ est. Contrahere æs alienũ, est quod uulgò dicimus, se indebitare, siue se ponere in debito. Cuius cõtrarium est exoluere se ære alieno, quod dicimus, se amouere ex debito. Hic similitudo est, simileq; alieno æri, quod quis alteri pro meritis ipsius in se debet, ostendit. Debetis etiã.) Ab hoc loco adiecta laude Romanorum apertè causam earum ciuitatum agit. Quem titulum prætenderitis.) quod ius, quam belli causam. Nam ad eam dictionem belli uocabulum procul separatum pertinet. Iuxta ac Deos.) pariter, æque. Receptæ in fidem.) quod dicimus in feudum & homagium. Certare pio.) À laude & opportunitate urbium.

EX LIBRO OCTAVO QVARTAE DECAdos, qui XXXVIII.

Argumentum in CLXIX.

Galli ducibus Lomnorio ac Lutario in Asiam regiones

regiones omnes quacunq; ibant debellando, uectigalesq; faciendo penetrauerant, mixtiq; cum Græcis iam Gallogræcorum nomen sibi imposuerant. Cum ijs hostibus Cn. Manlius congrediendum esse animo suo proponens, quod Antiochum in bello adiuuissent, ne fama eius gentis belligerandi deterriti milites, aut minus acriter pugnarent, aut certamen detrectarent, prius quàm in aciem educerentur, ita eorum animos præparauit.

C. *Manlij consulis ad suos adhortatio.*
CLXIX.

NOn me præterit, milites, omnium quæ Asiam colunt gentium, Gallos fama belli præstare, inter mitissimum genus hominum ferox natio peruagata bello propè orbem terrarũ sedẽ cepit. procera corpora, promissę & rutilatę comę, uasta scuta, pręlõgi gladij, ad hæc ineuntiũ præliũ cantus & ululatus, & tripudia, & quatientiũ scuta in patriũ quendã morẽ horrendus armorũ crepitus, omnia de industria cõposita ad terrorẽ. Sed hæc quibus insolita atque insueta sunt, Græci, Phryges, & Cares timeant, Romanis Gallici tumultus assuetis etiam uanitates notæ sunt. Semel primo congressu ad Alliam olim fuderunt maiores nostros, eos ex eo tempore per ducentos iã annos pecorum in modum consternatos cædunt

fugantq;

fugantq́; & plures propè de Gallis triumphi quàm de toto orbe terrarum acti sunt. Iam usu hoc cognitum est, si primum impetum, quem feruido ingenio & cæca ira effundunt, sustinueritis, fluunt sudore & lassitudine membra, labant arma, mollia corpora, molles ubi ira consedit, animos, sol, puluis, sitis, ut ferrum nō admoueas, prosternunt. Non legionibus legiones eorum solum experti sumus, sed uir unus cū uiro uno congrediendo, T. Manlius, M. Valerius quantum Gallicam rabiem uinceret Romana uirtus, docuerūt. Iam M. Manlius unus agmine scandentes in Capitolium Gallos detrusit. Et illis maioribus nostris cum haud dubijs Gallis in terra sua genitis res erat, hi iam degeneres sunt, mixti & Galli & Græci, unoq́; nomine Gallogræci uerè appellantur, sicut in frugibus pecudibusq́; non tantum semina ad seruandum indolem ualent, quantū terræ proprietas, cœliq́; sub quo aluntur, mutat. Macedones qui Alexandriam in Aegypto, qui Seleuciā ac Babyloniam, quiq́; alias sparsas per orbem terrarum colonias habent, in Syros, Parthos, Aegyptios degenerarunt. Massilia inter Gallos subtraxit aliquantulum ab accolis animorum, nisi quod ex Spartana dura illa & horrida disciplina mansit. Generosius in sua quicquid sede gignitur, insitum alienæ terræ, in id quo alitur,

tur, natura uertente se degenerat. Phrygas igitur Gallicis oneratos armis, sicut in acie Antiochi cecidistis, uictos uictores cædetis. Magis uereor ne parum inde gloriæ, quàm ne nimium belli sit. Attalus eos rex sæpe fudit, fugauitq;. Nolite existimare belluas tantum recens captas feritatem illam syluestrem primò seruare, deinde quum diu manibus humanis alantur, mitescere, in hominum feritate mulcenda non eandem naturam esse. Eosdemne hos creditis esse, qui patres eorum auiq; fuerunt? Extorres inopia agrorum, profecti domo, per asperrimam Illyrici oram Pæoniam, inde & Thraciã, pugnãdo cum ferocissimis gentibus emensi, has terras cepērũt, duratos eos tot malis exasperatósq; accepit terra quæ copia rerum omnium saginaret uberrimo agro, mitissimo cœlo, clementibus accolarum ingenijs omnis illa cum qua uenerãt, mansuefacta est feritas. Vobis me hercule Martis uiris cauenda ac fugienda quamprimum amœnitas est Asiæ, tantum hæ peregrinæ uoluptates ad extinguendum animorum uigorẽ possunt, quantum contagio disciplinæ morisq; accolarum ualet. Hoc tamẽ feliciter euenit, quod sicut uim aduersus uos nequaquam, ita famam apud Græcos parem illi antiquę obtinent, cum qua uenerunt, belliq; gloriam uictores eandẽ inter socios habebitis, quàm si seruantes antiquum specimẽ animorum Gallos uicissetis.

Non me præterit.) Exhortatio ad bellum, in qua exordium ducitur ab opinione & fama hostium. Exhortatur tota oratione à genere hostium. *Semel primo congressu.)* A' facili & poßibili, à quibus locis fere hortatur. *Indolem ualent.)* possunt, uim obtinent. *Recens captas.)* recenter. nomen pro aduerbio. *Mitißimo cœlo.)* aëre clemētißimo.

Argumentum in CLXX.

Cneus Manlius proconsul perfecto bello Gallogræcorum Romam redierat, ubi dato senatu quū propter res à se gestas peteret ut Dijs honos haberetur, sibiq; triumphanti in Vrbem uehi liceret, inter alios duo extiterūt legati, L. Furius Purpurio, L. Aemilius Paulus, qui maxime intercessere. Inter alia obijciebant, quum legati mißi essent de pace cū Antiocho facienda, ab eo pacem eam turbatam & impeditam esse. Nunc quæ ad bellum Gallogræcum pertinent, obijciunt.

L. Furij Purpurionis, & Pauli Aemilij oratio aduersus Cn. Manlium, ne triūphus ei decernatur. CLXX.

Quid eorum, Cnei Manli, factum est, ut istud publicum populi Romani bellū, & non tuum priuatum latrocinium dicamus? An eo ipso contentus fuisti? recto itinere duxisti exercitum ad eos, quos tibi hostes de-

sumpse-

ſumpſeras, an per omnes anfractus uiarum, quum uia conſiſteres, ut quò flexiſſet agmen Attalus Eumenis frater, eò conſul mercenarius cum exercitu Romano ſequereris? Pyſidiæ, Lycaoniæq́; & Phrygiæ receſſus omnes atq; angulos peragraſti, ſtipem à tyrannis caſtellanisq́; deuijs colligens. Quid enim tibi cum Orondis, quid cum alijs æque innoxijs populis? Bellum autem ipſum cuius nomine triumphum petis, quomodo geſſiſti, loco æquo, tempore tuo pugnans? Tu uerò rectè ut Dijs immortalibus honos habeatur, poſtulas, primum, quod pro temeritate imperatoris nullo iure gentium bellum inferentis pœnas luere exercitum noluerunt, deinde quod belluas, non hoſtes nobis obiecerunt. Nolite tamen tantum exiſtimare mixtũ eſſe Gallogræcorum, multo antè & corpore & animo mixti ac mutati ſunt. An ſi illi Galli eſſent, cũ quibus millies uario euentu in Italia pugnatũ eſt, quantũ in imperatore noſtro fuit, nuncius illinc rediſſet? Bis cũ ijs pugnatum eſt, bis loco iniquo ſubijt, in ualle inferiore pedibus penè hoſtium aciem ſubiecit, ut ſi nõ tela ex ſuperiore loco mitterent, ſed corpora ſua nuda inijcerent, obruere nos potuerint. Quid igitur incidit? Magna fortuna populi Romani eſt, magnum & terribile nomen. Recenti ruina Annibalis, Philippi, Antiochi, propè attonitæ erãt tãtæ corporum moles: fundis ſagittisq́; in fugam

consternatæ sunt, gladius in acie cruentatus nō est Gallico bello, uelut auium examina ad crepitum primum missilium auolauere. At hercule idem nos admonente fortuna, quid si hostē habuissemus, casurum fuisset, quum redeuntes, in latrunculos Thracas incidissemus, cæsi, fugati, exuti impedimentis sumus. Q. Minutius Thermus, in quo haud paulo plus damni factū est, quàm si Cn. Manlius, cuius temeritate ea clades inciderat, perisset, cum multis uiris fortibus cecidit, exercitus spolia regis Antiochi referens, trifariam dissipatus, alibi primum, alibi postremum agmen, alibi impedimenta, inter uepres in latebris ferarum noctem unam delituit. Pro his triumphus petitur? Si nihil in Thracia cladis ignominiæq; foret acceptum, de quibus hostibus triumphum peteres? de ijs, ut opinor, quos tibi hostes senatus aut populus Romanus dedisset. Sic huic L. Scipioni, sic illi M. Attilio de rege Antiocho, sic paulo antè T. Quintio de rege Philippo, sic P. Africano de Annibale, Pœnis, & Syphace triumphus datus. Et minima illa quū iam senatus censuisset bella, quęsita tamē sunt, quibus nunciandum esset, ipsis utiq; regibus nunciarentur? an satis esset ad præsidium aliquod nunciari? Vultis ergo hæc omnia pollui & confundi, tolli fœcialia iura, nullos esse fœciales? Fiat (pace Deûm dixerim) iactura religionis, obliuio Deorum capiat pectora uestra,
num

num senatum quoq; de bello consuli non placere: non ad populum ferri, uelint, iubeant ne cum Gallis bellum geri? Modo certe consules Græciam atq; Asiam uolebant, tamen perseuerantibus uobis Ligures prouinciam decernere, dicto audientes fuerunt. Merito igitur à uobis, prosperè bello gesto, triumphum petent, quibus autoribus gesserunt.

Quid eorum.) Non est hoc principium orationis totius, refert alia Liuius. Dissuasio est in id petita, ne triumphus petitus Manlio decerneretur. *Consul mercenarius.)* quod mercede ductus omnia fecisset. *Recessus omnes.)* Loca omnia à publica uia separata atq; remota. Recessus commode appellare possumus uias eas Lutetiæ, quæ angustæ admodum à paucis frequentãtur et incolũntur, per quas in publicam difficilis transitus est. Cabinetos uulgò & recoingnos appellamus. *Castellanisq; deuijs.)* Castellanos appellat, qui castella occupant, aut incolunt. Docui alio loco id deuium dici, quod est extra uiam publicam, seu, ut uulgò dicimus, magnum & regium iter. Ita castellani deuij sunt, qui castella incolunt siue tenent in recessibus & angulis sita. *An si illi.)* A temeritate Manlij magna ex parte dissuadet, eoq; uenit, ut ostendat eius ductu, uirtute & auspicio de Gallogræcis triumphatum non esse. *Si nihil cladis.)* Iam probat iura ab ipso soluta esse.

Cnei Manlij refutatio. CLXXI.

TRibunipl.antea solebant triũphum postulantibus aduersari, P. C. quibus ego gratiã habeo,quod seu mihi,seu magnitudini rerum gestarum hoc dederunt, ut non solum silentio comprobarent honorem meũ, sed referre etiam, si opus esse uideretur, parati essent.Ex decem legatis (si dijs placet)quod cõsilium dispensandæ cohonestandæq; uictoriæ imperatoribus maiores dederunt nostri, aduersarios habeo.Lucius Furius, & Aemilius currũ triumphalem me conscendere prohibent, coronam insignem capiti detrahunt,quos ego,si tribuni me triumphare prohiberent,testes citaturus fui rerum à me gestarum.Nullius equidem inuideo honori, uos tribunospl. nuper uiros fortes ac strenuos impedientes.Q.Fabij Labeonis triumphum autoritate uestra deterruistis. Triumphauit,quem non bellum iniustum gessisse,sed hostem omnino non uidisse inimici iactabant.Ego,qui cum centum milibus ferocissimorum signis hostium collatis toties pugnaui,qui plus quadraginta milia hominum cepi aut occidi,qui bina castra eorũ expugnaui, qui citra iuga Tauri omnia pacatiora, quàm terra Italia est,reliqui, nõ triumpho modo fraudor, sed causam apud uos P. C. accusantibus meis ipse legatis dico. Duplex eorum, ut animaduertistis,P. C. accusatio fuit. Nam nec gerendum

dum mihi fuisse bellum cum Gallis,& gestum temere atque imprudenter dixerunt. Non erant Galli hostes, sed tu eos pacatos imperata facientes uiolasti. Nō sum postulaturus à uobis P. C. ut quæ communiter de immanitate gẽtis Gallorũ, de infestissimo odio in nomẽ Romanũ scitis, ea de illis quoq; qui Asiã incolũt, existimetis Gallis. remota uniuersæ gentis infamia atq; inuidia, per se ipsos æstimate. Vtinam rex Eumenes, utinã Asiæ ciuitates omnes adessent,& illos potius querentes, quàm me accusantem audiretis. Mittite agedum legatos circa Asiam ad omnes urbes,& quærite utrum à grauiori seruitute, Antiocho ultra Tauri iuga moto, an Gallis subactis liberati sint. Quoties agri eorum uastati sint, quoties prædæ abactæ, referant, quum uix redimendi captiuos copia esset, & mactatas humanas hostias, immolatosq; liberos suos audirent. Stipendium scitote pependisse socios uestros Gallis,& nunc liberatos per uos regio imperio fuisse pensuros, si à me foret cessatum, quo longius Antiochus emotus esset, hoc impotentius in Asia Galli dominarentur,& quicquid est terrarum citra Tauri iuga, Gallorum imperio, non uestro adiecissetis. Atenim sunt hæc ita, uerum etiam Delphos quondam commune humani generis oraculum, umbilicum orbis terrarum, Galli spoliauerunt, nec ideo populus Romanus his bel-

lum indixit aut intulit. Equidem aliquid interesse rebar inter id tempus quo nondum in iure ac ditione uestra Græcia atq; Asia erat, ad curandum animaduertendumq; quid in ijs terris fieret, & hoc, quo finem imperij Romani Taurũ montem statuistis, quo libertatem immunitatem'ue ciuitatibus datis, quo alijs fines adijcitis, alios agro mulctatis, uectigal imponitis, regna augetis, minuitis, donatis, adimitis, curæ uestræ censetis esse, ut pacem terra mariq; habeant. An nisi præsidia deduxisset Antiochus, quæ quieta in suis partibus erant, non putaretis liberatam Asiam? Si Gallorum exercitus effusi uagarentur, rata dona uestra, quæ dedistis regi Eumeni, rata libertas ciuitatibus esset? Sed quid ego hæc ita argumentor, tanquam non acceperim, sed fecerim hostes Gallos? Te L. Scipio appello, cuius ego imperio succedens, inuicem imperij tui uirtutẽ felicitatemq; pariter non frustra ab Dijs immortalibus precatus sum, te P. Scipio, qui legati ius, collegæ maiestatem et apud fratrem cõsulem, & apud exercitum habuisti. Scitis'ne in exercitu Antiochi Gallorum legiones fuisse? Vid800eritis in acie eos in cornu utroq; (id enim roboris esse uidebatur) locatos? pugnaueritis ut cum hostibus iustis, cecideritis, spolia eorum retuleritis? Atqui cum Antiocho, non cum Gallis bellum senatus decreuerat, neq; populus iusserat. Sed simul, ut opinor, cum ijs decreuerant

iusse-

iusserantq́ue, qui inter eius præsidia fuissent, ex quibus præter Antiochum, cum quo pacem pe pigerat Scipio, & cum quo nominatim fœdus ut fieret mandaueratis, omnes hostes erāt qui pro Antiocho arma aduersus nos tulerunt. In qua causa quum Galli ante omnes fuissent, & reguli quidam, & tyranni, ego tamen & cum a liis pro dignitate imperii uestri coactis luere peccata sua, pacem pepigi, & Gallorū animos, si possent mitigari à feritate insita, tentaui, & posteа quàm indomitos atque implacabiles cernebam, tum demum ui atque armis coërcendos ratus sum. Nunc quoniam suscepti belli purgatum est crimen, gesti reddenda est ratio, in quo confiderem equidem causæ meæ, etiam si non apud Romanum, sed apud Carthaginensem senatum agerem, ubi in crucem tolli imperatores dicuntur, si prospero euentu, prauo consilio rem gesserunt. Sed si ego in ea ciuitate, quæ ideo omnibus rebus incipiendis gerendisq́ue deos adhibet, quia nullius calūniæ subiicit ea quę Dii comprobauerunt, & in solennibus uerbis habet, quum supplicationem aut triumphum decernit, quod bene ac feliciter Rempub. administrarit, si nollem, si graue ac superbum existimarem uirtute gloriari pro felicitate mea, exercitusq́ue mei, quòd tantam nationem sine ulla militum iactura deuicimus, postularemq́ue ut Diis immortalibus honos haberetur, & ipse tri

umphans in Capitolium aſcenderē, unde uotis rite nūcupatis profectus ſum, negaretis hoc mihi cū Dijs immortalibus? iniquo enim loco dimicaui. Dic igitur quo æquiore potuerim dimicare, quū montem hoſtes cepiſſent, loco munito ſe tenerent? Nempe ad hoſtes eundum erat, ſi uincere uellem. Quid ſi urbem eo loco haberent, & mœnibus ſe tenerent? nempe oppugnādi erāt. Quid? ad Thermopylas æquo'ne loco M. Attilius cū rege Antiocho pugnauit? Quid Philippum non eodem modo ſuper Aoum amnem iuga tenentē montiū T. Quintius deiecit? Equidem adhuc qualem aut ſibi fingant, aut uobis uideri uelint hoſtem fuiſſe, non inuenio. ſi degenerem, & emollitum amœnitate Aſiæ, quid periculi uel iniquo loco ſubeūtibus fuit? ſi timendū & feritate animorū, & robore corporū, huic ne tantæ uictoriæ triumphum negatis? Cæca inuidia eſt, P. C. nec quicquam aliud ſcit, quàm detrectare uirtutes; corrūpere honores ac præmia eorū. Mihi quæſo, ita ignoſcatis P. C. ſi longiorē orationē non cupiditas gloriandi, ſed neceſſaria criminū defenſio fecit. An etiā per Thraciam ſaltus patentes qui anguſti erāt, & plana ex arduis, & culta ex ſilueſtribus facere potui? & præſtare necubi notis ſibi latebris deliteſcerent latrones Thraces, ne quid ſarcinarum raperetur, ne quod iumentum ex tāto agmine abſtraheretur? ne quis uulneraretur? ne

ex

ex uulnere uir fortis ac strenuus Q. Minutius moreretur? In hoc casu, quo infeliciter incidit ut talem ciuẽ amitteremus, hærẽt, quod saltu iniquo, loco alieno quũ adortus hostis nos esset, duæ simul acies primi & nouissimi agminis hærentẽ ad impedimenta nostra exercitum barbarorũ circunuenerũt, quod multa milia ipso die, plura multo post dies paucos ceciderũt, & ceperũt, hoc si ipsi tacuerint, uos scituros, quũ testis orationis meæ totus exercitus sit, nõ credũt. Si gladiũ in Asia nõ strinxissem, si hostẽ nõ uidissem, tamẽ triumphũ in Thracia duobus prælijs meruerã. Sed iam dictum satis est, quin pro eo quod pluribus uerbis uos quàm uolui, fatigaui, ueniam à uobis petitam impetratamq; uelim, Patres conscripti.

Tribuni plebis.) *Defensio est atque refutatio criminum obiectorum. Exordium ducitur à consuetudine, & ab aduersariorum persona. Hæc causa coniuncta est, status absolutus.* Aduersari.) *contradicere, intercedere, repugnare.* Hoc dederunt.) *concesserunt, tribuerunt, aßignarunt.*

Sed referre.) id est deliberandum proponere.

Vos tribunos plebis.) A' *minore per amplificationem.* *Sed causam.) uide supra quid sit causam dicere.* Duplex eorũ.) *Diuisio.* Non *sum postulaturus.) Refutat quod erat sibi obiectũ, desumptos à se Gallos hostes, qui hostes non erant.*

Longe

Longa oratione bellum Gallogræcum ostendit iustum fuisse. Stipendium scitote.) Pendere stipendium, id significat, quod uulgò dicimus soluere tributum. Inde pensio id quod penditur. Vmbilicũ orbis.) Vmbilicus dicitur quicquid cuiuslibet rei medium est, ac uelut centrum. Vmbilicum orbis terrarum, medium, ac centrum mundi Delphos esse ex hac lectione facile apparet. Ad umbilicum aliquid deduci dicitur, quando finitur, quod (inquit Porphyrio) in fine librorum ex ligno uel osse umbilici quidam nostris his similes poni solerẽt, quos & hodie cupreos aut argenteos figi uidemus. In qua causa.) In causa qualibet esse ab eo deducitur, quod ante posuit, in causam descendere. In causa igitur esse, nihil aliud est, quàm adiungi ad rem quamlibet faciendam aut curandam. sumitur tam in bonum, quàm in malum. Quoties in malum sumitur, ferè quum suspicamur de quopiam, dicimus tu es de ijs ipsis, pro, tu in eadẽ es causa. In quo confiderem.) Confidere suæ causæ in aliqua re, est quod uulgò dicimus putare se habere in ea re æquũ, siue bonum ius. Et in solennibus uerbis.) legitimis, quæ solent in ea re nuncupari. Vnde uotis rite nuncupatis. Votorum nuncupandorum formulam exprimit Liuius sexto huius, sed speciem tãtum unius, unde cæterorum quoq; formula colligi potest.

potest, Itaq; uisum fuit uerba ipsa subijcere. Hæc ipsa sunt: Si duellum quo cum rege Antiocho sumi populus iußit, id ex sententia senatus populiq; Romani confectũ erit, tum tibi, Iupiter, populus Ro. ludos magnos dies decem continuos faciet, donaq; ad omnia puluinaria dabuntur de pecunia, quantã senatus decreuerit. Quisquis magistratus eos ludos quando, ubiq; faxit, hi ludi recte facti, donaq; recte sunto. Hactenus Liuius. Hic notandum illud, quod soli consuli nuncupare uotum licebat. Eam autem formulam in nuncupandis uotis præeunte Pontifice maximo exprimebant. Quid sit nuncupare uotum, supra exposui. Dic igitur.) A necessario pugnandum fuisse iniquo loco demonstrat. Quid? ad Thermopylas.) Exempla à pari. Equidem qualem.) Complexione constat totus hic locus. Et præstare.) efficere. Ne ex uulnere.) Hoc loco nota diligenter hanc formulam, ex uulnere mori, pro quo dicimus mori ex ictu. Ad impedimenta nostra.) Impedimenta in re militari dicuntur sarcinæ totius exercitus, quæ uehuntur, quocunq; mouẽtur castra, sed ferè post exercitum. Vulgò bagagia dicuntur.

Argumentum in CLXXII.

Supra ostensum est, quum Antiochus pacem cũ Scipione Aphricano atq; Romanis pacisci uellet,

ab ipso datum legato negotium, ut si publicè impetrare non posset, priuatim cum Scipione ageret, ita regi placere, ut filius sinè pretio reddatur, ingẽsq; auri pondus detur, si per ipsum pacem impetraret. Inde ambo Qu. Pleminij Scipionis criminandi occasionem se nactos esse rati, ei diem dicunt. Is uerò quum postero die citatus reus magna multitudine amicorum septus in Rostra subisset, in hæc uerba populum Romanum admonebat, ut secum Dijs actum gratias irent, quòd eorum auspicijs tali die de Carthaginensibus triumphasset, ne uidelicet in ea ciuitate quam paulo antè ab hostium infestißimorum impetu atq; armis uindicauerat, causam diceret.

P. Scipionis Aphricani rei ad Quirites uerba. CLXXII.

HOc die, tribuni pleb. uosq; Quirites, cũ Annibale & Carthaginensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnaui. Itaq; quum hodie litibus & iurgijs supersedere æquum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem optimũ maximum, Iunonẽq; & Mineruam, cæterosq; Deos qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo, ijsq; gratias agam, quod mihi & hoc ipso die & sæpe aliàs egregiè gerendæ Reip. mentem facultatemq; dederunt. Vestrum quoq;, Quirites, quibus com-

modum

modum est, ite mecum, & orate Deos, ut mei similes principes habeatis. Ita si ab annis septendecim ad senectutem semper uos ætatem meam honoribus uestris anteistis, ego uestros honores rebus gerendis præcessi.

EX LIBRO NONO QVARTAE DECADOS, QUI XXXIX.

Argumentum in CLXXIII.

Sacra Bacchi, quæ Bacchanalia dicuntur, ex Græcia in Ethruriam prius, deinde uelut contagione quadam ex Ethruria Romã inuecta erant. Qui sacris ijs initiabantur seu mares seu fœminæ, noctu cœtus conciliabulaq; faciebant tota Vrbe, fœminæ faces ardentes præferebant, quas in aquam demißas magia quadam flamma integra efferebant, mares uelut capta mente cum iactatione fanatica uaticinabantur. Inde permixti uiri fœminis nullum genus libidinis reliquum faciebant, postremo & uirorum inter se & fœminarum paßim concubitus fiebant. Hinc rixæ, hinc cõiurationes, hinc cædes, hinc nullũ non mali genus serpebat. Sed nihil non reuelat dies, quanquam diu celatum atq; abstrusum. Tandem indicio cuiusdam Ebutiæ primum, deinde Hispalæ, quàm Ebutia manumiserat, ad Posthumium consulem res tota defertur. Is primo quoque tempore ad senatum quicquid acceperat, defert, cui ob id

ipsum

ipsum habitæ à senatu gratiæ. Patres quæstionem de Bacchanalibus sacrisq; nocturnis consulibus decernunt. Tum uerò et ne qui cœtus nocturni fierēt, decretum, et datum negotium, ut sacerdotes qui sacris ijs præerant, conquirerentur. Iam suum cuiq; magistratui officium de ijs sacris tollendis iniunctū erat, quum M. Porcius Cato consul in Rostra concione aduocata conscendit, unde comprecatus primum Deos, siculi assolet quoties ad populum magistratus uerba facturus est, in hæc uerba de tollendis Bacchanalibus disseruit.

M. Porcij Catonis consulis ad populum in fœdum Bacchanalium ritum concio. CLXXIII.

NVlli unquam concioni, Quirites, tam non solum apta, sed etiā necessaria hæc solennis comprecatio Deorum fuit, quę uos admoneret hos esse Deos, quos colere, uenerari, precariq; maiores uestri instituissent, nō illos qui prauis & externis religionibus captas mentes, uelut furialibus stimulis ad omne scelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem nec quid taceam, nec quatenus proloquar, inuenio, si aliquid ignorabitis, ne locum negligentiæ dem, si omnia nudauero, ne nimium terroris offundam uobis, uereor. Quicquid dixero, minus quàm pro atrocitate & magnitudine rei

dictum

dictum scitote esse, ut ad cauendum satis sit, dabitur opera à nobis. Bacchanalia tota iampridem Italia, & nunc per Vrbem etiam multis locis esse, non fama modo accepisse uos, sed crepitibus etiam ululatibusq; nocturnis, qui personant tota Vrbe, certum habeo, cæterum quæ ea res sit, ignorare, alios deorũ aliquem cultum, alios concessum ludum & lasciuiam credere esse, & qualecunq; sit, ad paucos pertinere. Quod ad multitudinem eorum attinet, si dixero multa milia hominum esse, illico necesse est exterreamini, nisi adiunxero, qui, qualesq; sint. Primum igitur mulierũ magna pars est, & is fons mali huiusce fuit, deinde simillimi fœminis mares stuprati, & constupratores, fanatici uigiles, uino, strepitibus, clamoribusq; nocturnis attoniti. Nullas adhuc uires coniuratio, cæterum incrementum ingens uirium habet, quòd indies plures fiunt. Maiores uestri ne uos quidem, nisi quum aut uexillo in arce posito comitiorũ causa exercitus edictus esset, aut plebi conciliũ tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem uocasset, forte temere coire uoluerunt, & ubicunq; multitudo esset, ibi & legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse. Quales primum nocturnos cœtus, deinde promiscuos mulierum ac uirorũ esse creditis? Si quibus ætatibus initientur mares, sciatis, nõ misereat uos eorum solum, sed etiam pudeat.

H Hoc

Hoc sacramento initiatos iuuenes, milites faciē dos censetis Quirites, ijs ex obscœno sacrario eductis arma committenda? hi cooperti stupris suis, alienisq;, pro pudicitia coniugum ac liberorum uestrorum ferro decernerent? Minus tamen esset, si flagitijs tantum effœminati forent (ipsorum id magna ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, mentem à fraudibus abstinuissent. Nunquam tantum malum in Repub. fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinēs. Quicquid his annis libidine, quicquid fraude, quicquid scelere peccatum est, ex uno illo sacrario scitote ortum esse. Nec omnia in quæ coniurauerunt edita facinora habent. adhuc priuatis noxijs, quia nondum ad Rempublicam opprimendam satis uirium est, coniuratio sese impia tenet. Crescit & serpit quotidie malū, iā maius est, quàm capere id priuata fortuna possit, ad summam Reipublicæ spectat, nisi præcauetis Quirites. Iam huic diurnæ legitimæ ab consule uocatæ par nocturna concio esse poterit. Nunc illi uos singuli uniuersos concionantes timent, iam ubi uos dilapsi domos & in rura uestra eritis, illi coierint, consultabunt de sua salute, simul ac uestra pernicie, tum singulis uobis uniuersi timendi erunt. Optare igitur unusquisq; uestrûm debet, ut bona mens suis omnibus fuerit, si quem libido, si furor in illum gurgitem abripuit, illorum eum, cum quibus in omne

mne flagitium & facinus coniurauit, non suũ iudicet esse. Ne quis etiam errore labatur uestrûm quidem, non sum securus. Nihil enim in specie fallacius est, quàm praua religio. Vbi Deorũ numen prætenditur, celerius subit animũ timor, ne fraudibus humanis uindicandis diuini iuris aliquid mixtum uiolemus. Hac uos religione innumerabilia decreta põtificum, senatusconsulta, aruspicum denique responsa liberant. Quoties hoc patrum auorumque ætate negotium est magistratibus datum, ut sacra externa fieri uetarent: sacrificulos uatesque foro, circo, urbe prohiberent: uaticinios libros conquirerent, comburerentque: omnem disciplinam sacrificandi, præterquàm more Romano, abolerent: Iudicabant enim prudentissimi uiri omnis diuini humanique iuris, nihil æque dissoluendæ religionis esse, quàm ubi nõ patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Hæc uobis prędicenda ratus sum, ne qua superstitio agitaret animos uestros, quũ demolientes nos Bacchanalia, discutientesque nefarios cœtus, cerneretis. Omnia Dijs propitijs uolẽtibusque ea facimus, qui quia suũ numẽ sceleribus libidinibusque cõtaminari indigne ferebãt, ex occultis ea tenebris in lucẽ extraxerũt, nec patefieri, ut impunita essent, sed ut uindicarẽtur & opprimerentur, uoluerunt. Senatus quæstionem extra ordinem de ea re mihi collegæque meo mandauit, nos ipsi, quæ no-

 bis

bis agenda sunt, impigre exequemur: uigiliarũ nocturnarum curã per urbem minoribus magistratibus mandauimus. Vos quoq; æquũ est, quæ uestra munia sunt, quo quis loco positus erit, quod imperabitur, impigre præstare, & dare operam, ne quid fraude noxiorum periculi aut tumultus oriatur.

Nulli unquam.) Suasio in id comparata, ut Bacchanalia tollerentur. Exorditur *Cato à comprecatione Deorum, & atrocitate rei. Agerent.) impellerent, ducerent. Equidem nec quid.) Dubitatio ut in tali re maxime conueniens. Si omnia nudauero.) aperuero, patefecero. Bacchanalia.) Narratiuncula est, quæ propositionis uicẽ subire uideri potest. Fama modo accepisse.) à multis audiuisse. Cæterum quæ ea res sit.) Alij libri hanc totam orationem indigesto quodam & indistincto ordine habent, ita ut uix decimùm repetita legentibus se offerat, atq; prodat. Itaq; post dictiones Certum habeo, à quibus intellectus primum inuestigari & duci debet, comma subieci, detracto atq; expuncto altero esse, quod abundabat. Fanatici.) sunt autore Festo, qui uelut numine diuino afflati atq; agitati uaticinantur, quum re ipsa furore correpti sint. à fano deduci docet. Maiores uestri.) À more & instituto maiorum damnat eum ritum. Initientur mares.) addicantur & deuoueantur*

ueantur ijs sacris. Hoc adijcit, quòd Hispala inter alia fœdißima quæ de Bacchanalibus ad Posthumium consulem detulerat, addiderat id quoq;, biennio antè institutum esse, ne quis maior uiginti annis initiaretur. Initiari uerbum est quod principium cuiuslibet rei magni momenti denotat, perinde quasi dicas adiungi, adsciscі, deuoueri, aut consecrari incipere. Atq; hoc loco Liuiano adducor ut facile in animum inducam, uere eos initiari, qui Diui cuiuslibet institutis sese mancipant, ut initiari sacris Frãcisci, Dominici, Benedicti, aut initiari Benedicto, Francisco. Nam Liuius paulo supra Bacchis initiari dixit, quem locum si quis diligenter inspiciat ea parte qua de Duroniæ cuiusdam consilio agitur, hoc ipsum constare poterit. Minus tamen.) Ab expectatione malorum publicorum. Nec omnia.) A metu. Vbi Deorum.) Ex hoc uno loco facile apparet quid Romanis religio fuerit, ac quẽadmodum religione obstringerentur. Supra multa quæ ad hanc rem pertinent, subieci. Dissoluendæ religionis.) Dissoluere religionẽ multũ ab eo differt, quod prius dixit, exoluere religione. Qui enim secus aut contra quàm religio concepta dictet atq; præscribat, facit, is religionem dissoluit. Qui uerò exoluit religione, timorem eum qui animum subijt, ne contrà aut secus quàm conceptum est fiat,

alteri adimit, & ut uulgò dicimus, deobligat eum, nonnunquam suo malo, nec ut religionem uiolet necesse est. Nam fieri potest, ut errore labamur, quemadmodum Romanos Cato hoc loco quod ad religionē Bacchi attinet, errore labi propè fatetur. Huic simile est quod paulo antè dixit, liberare religione, atq; significat quod uulgò dicimus, deobligare. Liberari uerò & exolui religione, deobligari, quibus & alij ablatiui addi possunt, ut legibus, præceptis, moribus maiorum, in eadem etiam significatione.

Hæc uobis.) Cōclusio. Ne qua superstitio.) Iam uides quemadmodum & religio et superstitio animis nostris timorem inijciāt ne Deos uiolemus. Superstitio autem à religione sic separatur, ut audacia à fortitudine. Nam qui minima etiam, et quæ Diuorum cultum non uiolatura sint, si fiunt, fortè temere, aut consultò uertit in religionem, superstitiosus dicitur. Superstitio uerò lex quædam concepta de ijs ipsis uocatur. Vnde ducta sit superstitio, Cicero De natura Deorum tradit, in hæc uerba. Qui totos dies precabantur & immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomen patuit postea latius. Quæstionem.) ut nos informemus de hac re. Minoribus magistratibus. Maiorem magistratum appellat Festus consulem, quod si uerum

rum est definitè, ac sine exceptione (dictatorem excipio) reliqui omnes minores magistratuus erunt. Certe hoc mandauerant consules ædilibus curulibus, plebeijs, & triumuiris capitalibus. Cæterum Gellius ex sententia M. Messalæ ex auspiciorum ratione maiores minoresq; magistratus intelligit, ut maiores sint, quorū maiora sint auspicia, in quibus consulem, prætorem, & censorem annumerat. Reliquos minores appellat, quorum minora auspicia essent. Vide Gellium. Fraude noxiorum.) Noxij appellantur, quos uulgò criminales dicimus. Innoxius, innocens.

Argumentum in CLXXIIII.

Philippus Macedo multa oppida Thessalorum, Perrhœbiorum, Maronitarum, aliorumque populorum suæ ditionis fecerat, quæ quum repetita per missu se Romanorum occupare diceret, communi uoluntate atque uno consensu eam rem ij populi ad senatū deferunt. Senatusconsulto legati tres, in quibus Qu. Cæcilius Metellus fuit, ad disceptationem finiendam missi, quorum primo statim aduentu de ea ipsa re concilium indictum est, ad quod etiam Philippus conuenit. Cognita causa legati decernunt, ut præsidia Macedonum ex urbibus Thessalorum & Perrhœbiorum deducerentur. Inde in Thraciam profecti, de urbibus eius gentis

cognoſcunt. Philippus indigne ferebat omnia non ex animi ſui ſententia, & iure fieri, itaq; iniurias ſuas in hanc ſententiam legatis expoſuit.

Philippi Macedonis ad legatos Romanorum oratio. CLXXIIII.

NOn cum Maronitis mihi, aut cum Eumene diſceptatio eſt, ſed iam uobiſcum, Romani, à quibus nihil æqui me impetrare iamdiu animaduerto. Ciuitates Macedonum, quæ à me inter inducias defecerant, reddi mihi æquum cenſebam, non quia magna acceſſio ea regni futura eſſet (ſunt enim & parua oppida, et in finibus extremis poſita) ſed quia multum ad reliquos Macedonas continendos exẽplum pertinebat, negatum eſt mihi. Bello Aetolico Lamiam oppugnare iuſſus à conſule M. Attilio, quũ diu fatigatus ibi prælijs operibusq; eſſem, tranſcendentem me iam muros à capta propè urbe reuocauit conſul, & abducere inde copias coëgit. Ad huius ſolatium iniuriæ permiſſum eſt ut Theſſaliæ, Perrhœbiæq; & Athamanũ reciperẽ quædam caſtella magis, quàm urbes. Ea quoq; ipſa uos mihi, Q. Cæcili, paucos ante dies ademiſtis. Pro non dubio paulo ante (ſi Dijs placet) legati Eumenis ſumebant quæ Antiochi fuerunt. Eumenem æquius eſſe quàm me habere, id ego aliter longe iudico eſſe. Eumenes enim, non niſi uiciſſent Romani, ſed niſi bellum geſſiſſent, manere in regno ſuo

non

non potuit. Itaq; ille ueſtrum meritum habet, non uos illius. Mei autem regni tantum aberat ut ulla pars in diſcrimine fuerit, ut tria milia talentûm, & quinquaginta tectas naues, & omnes Græciæ ciuitates, quas antea tenuiſſem, pollicentem ultro Antiochum in mercedem ſocietatis, ſim aſpernatus, hoſtemq; ei me eſſe prius etiam quidam M. Attilius exercitum in Græciã traijceret, præ me tuli, & cũ eo conſule belli partem quamcunq; mihi delegauit, geſſi, & inſequenti conſuli. L. Scipioni, quũ terra ſtatuiſſet ducere exercitum ad Helleſpontum, non iter tãtum per regnum noſtrum dedi, ſed uias etiam muniui, pontes feci, cõmeatus præbui, nec per Macedoniam tantum, ſed per Thraciam, ubi etiam inter cætera pax quoq; præſtanda barbaris erat. Pro hoc ſtudio meo erga uos, ne dicam merito, utrum adijcere uos Romani aliquid, et amplificare & augere regnum meum munificentia ueſtra oportebat, an quæ haberem aut meo iure, aut beneficio ueſtro, eripere? id quod nunc facitis. Macedonum ciuitates, quas regni mei fuiſſe fatemini, non reſtituuntur. Eumenes tanquam ad Antiochum, ad ſpoliandũ me uenit, & (ſi Dijs placet) decem legatorum decretũ ſpecimen calumniæ impudentiſſimæ prætẽdit, in quo maxime & refelli & coargui poteſt. Diſertiſſimè enim planiſſimeq; in eo ſcriptum eſt Cherſoneſum & Lyſimachiam Eumeni dari.

Vbi tandem Aenus & Maronea & Thraciç ci uitates adſcriptæ ſunt? Quod ab illis ne poſtu lare quidem eſt auſus, id apud uos tanquam ab illis impetrauerit, obtinebit? Quo in numero me apud uos eſſe uelitis, refert. Si tanquam ini micum & hoſtem inſectari propoſitum eſt, per gite ut cœpiſtis facere. Sin aliquis reſpectus eſt mei, ut ſocij, atque amici regis, deprecor ne me tanta iniuria dignum iudicetis.

Non cum Maronitis.) *Expoſtulatoria eſt tota, in qua exordium quod furorem quendam & indi gnationem indicat, ab indignitate ſententiæ latæ à legatis ſumitur. Tota oratione iniuriarũ primũ, deinde officiorum nomine cum legatis expoſtulat.*

Quo in loco.) *uulgare eſt, ut in exprobratione atq; inuectiua ſub finem aduerſarijs utramque par tem proponamus utram uelint ſequi. Ferè fit tamẽ ut eam qua ſocietas atque amicitia continetur, ma gis optare, ad eamq; magis flecti uideamur, quod Liuius hac parte diligenter ſeruauit. Quare fortaſ ſis cuipiam exprobrationem uerius exprimere uide bitur, quàm expoſtulationem.*

Argumentum in CLXXV.

Lacedæmonij apud Qu. Cæcilium legatum pri mum, deinde Romæ apud ſenatum de iniurijs ſuis quas ab Achæis acceperant, conqueſti ſunt. Inter

cætera

cætera id quoq; criminabantur, mœnia Lacedæmonis ab ijs diruta eße, abductam plebem uenditam, Lycurgi leges ademptas. Legatio deinde decreta, cuius Appius Claudius princeps erat. Is quum dato cōcilio exposuißet Achæis ægre ferre senatū quòd Lacedæmonijs tot tamq; graues clades intulissent, cædemq; fecissent eorum qui mißi fuerant à Philopœmene, tum Lycortas prætor eorum ita obiectis respondit.

Lycortæ prioris Achæorum ad legatos Romani defensio. CLXXV.

DIfficilior nobis, Appi Claudi, apud uos oratio est, quàm Romæ nuper apud senatum fuit. Tunc enim Lacedæmonijs accusantibus respondendum erat, nunc à uobis ipsis accusati sumus, apud quos causa dicenda est, quam iniquitatem conditionis subimus, quòd ab illa spe decidimus, iudicis animo te auditurum esse, posita contentione, qua pauló antè egisti. Ego certe quum ea quæ & hic antea apud Qu. Cæcilium, & postea Romæ quæsti sunt Lacedæmonij, à te paulo antè relata sint, non tibi, sed illis me apud te respondere credebam. Cædem obijcitis eorum qui à Philopœmene prætore euocati ad causam dicendam, interfecti sunt. Hoc ego crimen non modo non à uobis, Romani, sed ne

apud

apud uos quidem nobis obiiciendum fuisse arbitror. Quid ita? quia in uestro fœdere erat, ut maritimis urbibus abstinerent Lacedæmonii. Quo tempore armis captis urbes quibus abstinere iussi erant, nocturno impetu occupauerunt, si T. Quintius, si exercitus Romanus, sicut antea, in Peloponneso fuisset, eò nimirum capti & oppressi confugissent. Cum uos procul essetis, quò aliò nisi ad nos socios uestros, quos antea Cyphio opem ferentes, quos Lacedæmonem uobiscum simili de causa oppugnātes uiderant, confugerent? Pro uobis igitur iustum piumq́ bellum suscepimus, quod quum alij laudent, reprehēdere ne Lacedæmonij quidem possint, Dij quoq; ipsi comprobauerint, qui nobis uictoriam dederunt, quonam igitur modo ea quæ belli iure acta sunt, in disceptationem ueniunt, quorum tamen maxima pars nihil pertinet ad uos? Nostrum est quòd euocauimus eos ad causam dicēdam, qui ad arma multitudinem exciuerant, qui expugnauerant maritima oppida, qui diripuerant, qui cædem principum fecerant. Quòd uerò illi uenientes in castra, interfecti sunt, uestrum est Areu & Alcibiade, qui nunc nos (si Dijs placet) accusatis, non nostrum. Exules Lacedęmoniorum, quo in numero ij quoq; duo fuerunt, & tunc nobiscum erant, & quòd domicilio sibi delegerant maritima oppida, se petitos credentes, in eos quorum

opera

opera patria extorres ne in tuto quidem exilio posse consenescere se indignabantur, impetum fecerunt. Lacedæmonij igitur Lacedæmonios, non Achæi interfecerunt, nec iure, an iniuria cæsi sint, argumentari refert. Atenim illa certe uestra sunt, Achæi, quòd leges, disciplinamq; uetustissimam Lycurgi sustulistis, quod muros diruistis, quæ utraq; ab ijsdem obijci quî possunt? quum muri Lacedæmonis non à Lycurgo, sed paucos ante annos ad dissoluendam Lycurgi disciplinam extructi sint? Tyranni enim nuper eos arcem & munimentum sibi, non ciuitati parauerunt, & si existat hodie ab inferis Lycurgus, gaudeat ruinis eorum, & nunc se patriam, & Spartam antiquam agnoscere dicat. Nõ Philopœmenẽ expectare, nec Achæos, sed uos ipsi Lacedæmonij uestris manibus amoliri & diruere omnia tyrannidis uestigia debuistis. Vestræ enim illæ deformes notæ seruitutis erãt, & quum sine muris per octingentos propè annos liberi, aliquando etiam principes Græciæ fuissetis, muris uelut compedibus circundatis uincti per centum annos seruistis. Quod ad leges ademptas attinet, nego antiquas Lacedæmonijs leges Achæos ademisse, quas non habebant, sed nostras leges dedisse, nec male consuluisse ciuitati, quum concilij nostri eam fecerimus, & nobis miscuerimus, ut corpus unum et concilium totius Peloponnesi esset. Tunc, opi-
nor

nor, si aliis ipsi legibus uiueremus, alias istis iniunxissemus, queri se iniquo iure esse, & indignari possent. Scio ego, Appi Claudi, hanc orationem qua sum adhuc usus, neq; sociorum apud socios, neq; liberæ gentis esse, sed uerè seruorum disceptantium apud dominos. Nam si non uox illa uana præconis fuit, qua liberos esse omnium primos Achæos iussistis, si fœdus ratum est, si societas & amicitia obseruatur ex æquo, cur ego quid Capua capta feceritis, Romani, non quæro? Vos rationē reposcitis, quid Achæi Lacedæmoniis bello uictis fecerimus? Interfecti aliqui sunt, finge à nobis, quid? uos senatores Campanos securi non percussistis? Muros diruimus, uos non muros tantum, sed urbem & agros ademistis. Specie, inquis, æquum est fœdus apud Achæos, precaria libertas, apud Romanos etiam imperium est. Sentio, Appi, & si non oportet, non indignor, sed oro uos, quãtumlibet intersit inter Romanos & Achæos, modo ne in æquo hostes uestri nostriq; apud uos sint, ac nos socii, imò ne meliore iure sint. Nã ut in æquo essent, nos fecimus, quum leges iis nostras dedimus, quum ut Achæi concilii essent, effecimus. Parum est uictis, quod uictoribus satis est, plus postulant hostes, quàm socii habent. Quæ iureiurando, quæ monumentis literarum in lapide insculptis in æter-

nam

nā memoriā sancta atq; sacrata sunt, ea cū periurio nostro tollere parāt. Veremur quidē uos, Romani, & si ita uultis, etiā timemus, sed plus ueremur & timemus Deos immortales.

Difficilior nobis.) *Defensio est atque refutatio criminum obiectorum.* Exorditur *à genere accusatorum.* *Causa dicenda.*) *id est, respondendum est criminibus obiectis.* Alibi *exposui pluribus quid sit causam dicere.* *Cædem obijcitis.*) *Refutationis principiū.* *Hoc ego crimen.*) *Ostendit bellum aduersus* Lacedæmonios *susceptum iustum fuisse, à pacto.* *Nostrum est.*) *Huius partis status est inficiatiuus.* *Ad causam dicendam.*) *ad præstandum iudicio ipso culpas fraudesq́; actorum. nam in hanc significationem hic sumi puto.* *Quæ utraq; ab ijsdem.*) *Iam uide qua arte defendat muros* Lacedæmonis *dirutos esse, ut uideantur* Achæi *ob factum non accusari & reprehendi, sed laudari debere.* *Et si existat.*) *emergat, prodeat, reuocetur.* *Nō* Philopœmenem.) Prosopœia *uidetur. Nam hæc ipsa* Lycurgus *dicit, quanquam & à* Lycorta *dici uideri possunt.* *Nam si non uox.*) *Potentißimis nunc argumentis crimen defendit à simili facto* Romanorum. *Illud enim plurimum ualet non solum ad defendendū crimen, sed etiam ad perficiendum, ne contra nos senten-*

ſententiam iudex pronunciet, ſi eius facto noſtrum tuebimur. Si enim contra nos pronunciauerit, ſe ipſe pœna eadem dignũ fatebitur. Securi non percuſsiſtis.) Hic nota quod nos uulgò dicimus decollari, à Liuio ſecuri percuti dici. Ac nos ſocij.) Particula Ac nõ, connexionem innuit, ſed comparationem, perindeq; ualet ac ſi dicas quàm. pertinet autem ad uocẽ Aequo. Nam ut in æquo eſſent.) iure ſcilicet. Eſſe in æquo iure dicũtur quicũq; æque liberi ſunt, quod uulgò dicimus eſſe tam magnum magiſtrum unum, quàm alterum. Ita uiuere æquo iure dicuntur, quibus eædem omnino leges impoſitæ ſunt. Cum periurio.) Periurium, dictum eſt aut factum, quo quod iureiurando firmatum eſt, uiolatur. Lacedæmones quæ ab Achæis ſacrata fuerãt in æternam memoriã, uiſi fuiſſent cogere Achæos peierare, quòd iureiurando interpoſito illi ſacraſſent, cæterum uerè à periurio liberati fuiſſent, quin etiam à iureiurando, dum nec autores, nec conſcij.

EX LIBRO DECIMO QVARTAE DECADOS, QUI XL.

Argumentum in tres proximas.

Philippo regi Macedonum filij erant duo, Perſeus, & Demetrius. Minor Demetrius multitudinis

nis fauorē emeruerat, gratus iā ab initio Romanis, legationum quas pro patre impigrè executus erat, nomine, alijsq; præclaris rebus quæ in eo prælucebant. Hoc ipsum Perseus ægre ferebat, quod eo pacto imperij summam mortuo patre ad eum deferendam esse facilè appareret. Itaq; sibi adsciscit Macedonum magnum numerum, qui secum patrem regē suapte natura in Romanos odio atq; ira concitatū, ad bellum incitarent. Nacti eius rei occasionem, alij alia in Romanos iaciebant, etiam præsente Demetrio. Impatiens irarum iuuenis, amoris uidelicet sui erga Romanos uelut igniculis agitatus, quæcunque in Romanos dicebant, extemplo dictis refellebat, ita patri se suspectum faciēs. Inde in consilium non adhibebatur quoties de Romanis erat consultādum. Ex eo uerò colloquio Perseus uiam sibi ad augendam eam suspicionem factam esse ratus, nunquā non eius consilij sui perficiendi opportunitatem quærebat. forte Basternæ quidam regij sanguinis eius gentis in Macedoniam uenientes, sororem suam alteri liberorum Philippi se dare uelle in matrimonium dixerant, quo nuncio Philippo supra modum lætanti, Quid hæc (inquit Perseus) profutura sunt nobis, quum fraude domestica plus immineat periculi, quàm præsidij ab externis auxilijs? Præterea post conditum lustrum, quum pro more iuuenes re-

gij suis quisq; copijs stipati concurrerent, ita tamē ut Persei præsertim furore nihil ad iustam prælij speciem præter ferrum deesset; eo certamine tandē longe superior Demetrij acies apparuit. Quod indigne passus Perseus, quum ad conuiuium à fratre uocaretur, se adfuturum acerrime negat. Festo deinde die iactatis de ludicro utrinque sermonibus, speculator ex conuiuio Persei ad audiendum quæ iactarentur, forte Persei iussu egreditur, qui à iuuenibus ex triclinio itidem Demetrij egreßis uulneratus absceßit. Eius rei ignarus Demetrius; mox, Quin comesatum, inquit, ad fratrem imus? & iram, si qua forte ex certamine residet, nostra hilaritate lenimus? Conclamarunt omnes qui aderant, præter eos qui ausi erant facinus, eundum esse. Ita quum soli abnuerent, à Demetrio ire coguntur, ac facti sui non obliti, gladios sub ueste occultant, quibus se, si qua uis forte oriretur, defenderent. Speculatores in uestibulo ædium Persei stabant, qui extemplo ingreßi ad Perseum, nunciant Demetrium uenire inter multos gladijs cinctos. Hoc nuncio permotus Perseus, uelut in re trepida, claudi quamprimum ianuam iubet. Ita nequicquam pulsatis foribus, domum suam totius eius rei ignarus Demetrius ad conuiuium redit. Postero die quamprimum

licuit,

licuit, in regiam ad patrem Perseus ire pergit, quem quum solito tristiorem Philippus animaduerteret, quid ea mœstitia portenderet, rogat. Perseus ordine rem totam exponit. Tum pater & Demetrium uocari, & amicos aliquot iubet, quibus miseram suam & liberorum conditionem ita ut sequitur, indicauit. Post patrem Perseus prior Demetrium parricidij accusat, secuta est deinde rei defensio.

Philippi Macedonis de sua liberorũq; infœlici conditione pronunciatio. CLXXVI.

SEdeo miserrimus pater iudex inter duos filios, accusatorem parricidij, & reum aut conficti aut admissi criminis, labem apud meos inuenturus. Iampridem quidem hãc procellam imminentem timebã, quũ uultus inter uos minime fraternos cernerem, quum uoces quasdam exaudirem, sed interdum spes animũ subibat, deflagrare iras uestras, purgari suspiciones posse, etiam hostes armis positis fœdus icisse, & priuatas multorum simultates finitas, subituram uobis aliquando germanitatis memoriam, puerilis quondam simplicitatis consuetudinisque inter uos, meorum denique præceptorum, quæ uereor ne uana surdis auribus cecinerim. Quoties ego audientibus uo-

bis deteſtatus exempla diſcordiarum fraternarum, horrendos euentus eorum retuli, quibus ſe, ſtirpemq́; ſuam, domos, regna funditus euertiſſent? Meliora quoq; exempla parte altera poſui, ſociabilem conſortionem inter binos Lacedæmoniorum reges, ſalutarem per multa ſecula ipſis, patriæq;, eandem ciuitatem, poſteaquã mos ſibi cuiq; rapiendi tyrannidem exortus ſit euerſam. Iam hos Eumenem Attalumq; fratres à quàm exiguis rebus, propè ut puderet regij nominis, mihi, Antiocho, & cuilibet regum huius ætatis nulla re magis, quàm fraterno unanimitate regnum æquaſſe. Ne Romanis quidem exemplis abſtinui, quę aut uiſa aut audita habebam, T. & L. Quintiorum, qui bellum mecum geſſerunt, P. & L. Scipionum, qui Antiochum deuicerunt, patris patruiq; eorum, quorum perpetuam uitæ concordiam mors quoq; miſcuit. Neq; uos illorum ſcelus, ſimilisq; ſceleri euentus deterrere à uecordi diſcordia potuit, neq; horum bona mens, bona fortuna ad ſanitatem flectere. Viuo & ſpirante me hæreditatē meam ambo & ſpe & cupiditate improba petitis. Eo uſq; me uiuere uultis, donec alterius ueſtrûm ſuperſtes haud ambiguum regem alterum mea morte faciam. Nec patrem poteſtis pati, nihil chari, nihil ſancti nominis noſtis, cuius uice regni unius inſatiabilis amor ſucceſſit.

Agite,

Agite, conſcelerate aures paternas, decernite criminibus, mox ferro decreturi, dicite palã quicquid aut ueri poteſtis, aut comminiſci libet, reſeratæ aures ſunt, quæ poſthac ſecretis alterius ab altero criminibus claudentur.

Sedeo miſerrimus.) *Pronunciatio eſt amarulenta & flebilis patris liberorum conditionem & uicem deflentis, criminantisq;*. *Exordium ducitur à rei atrocitate & indignitate.* *Accuſatorem parricidij.)* *Parricidium non tantum ad parentum cædem pertinet, ſed qualiſcunq; etiam hominis. Nam parricida (inquit Feſtus) non utiq; is dicebatur, qui parentem occidiſſet, ſed qualemcũq; hominẽ. Hinc ab eodem parrici quæſtores appellantur, qui creari ſolebant cauſa rerum capitalium quærendarum, quos hodie præpoſitos Mareſchallorum uulgò dicimus. ab alijs parricidarij uocantur.* *Et reũ.)* *Reus proprie is dicitur fieri, qui apud prætorem (ut Aſconius tradit) legibus de crimine obiecto interrogatur. Vt latius pátet, reus dicitur, cui crimẽ capitis præſertim obiectum eſt, ſiue admiſſum, ſiue confictum. Confictum autẽ crimen dicitur, quod odio, inuidia ue aut qua alia maleuolentia alius ductus in alium confert. Admiſſum uero, quod quis cõcepit, ſiue ſuſcepit, aut re ipſa commiſit atq; perpetrauit. Quod eo libentius notaui, quòd hoc loco ad*

missum crimen pro suscepto tantum capitur, quũ uix admissum dicatur, nisi re ipsa extrinsecus actio secuta fuerit. Exaudire.) *uulgò exaudio uerbo utimur pro eo quod est concedo, aut potius exoror, in quam rem autores omnes probatißimi uerbum audio usurpant, nunquam exaudio. Quod siquando usurpent, non in eam rem, sed perinde ualet quá si dicas percipio, intelligo, sed ferè dum alium agimus.* Spes animum subibat.) *sperabam.* Repeti *debent hac tota oratione.* Iam hos Eumenem.) *proposui, aut commemoraui.* Neq; uos illorũ.) *quorum discordijs & simultatibus euentus miserabiles Respublicis acciderunt.* Conscelerate aures.) *contaminate, polluite.* Decernite criminibus.) *certate, disceptate, contendite.*

Persei accusatoris actio in Demetrium fratrem parricidij reum.

CLXXVII.

APerienda nimirum nocte ianua fuit, & armati comesatores accipiendi, præbendumq; ferro iugulum, quando non creditur nisi perpetratum facinus. Eadem petitus insidijs audio, quæ latro, atq; insidiator. Non nequicquã isti unũ Demetriũ filiũ te habere, me subditũ, & pellice genitũ appellant. Nam si gradum, si charitatem filij apud te haberem, non in me querentẽ deprehensas insidias, sed in eũ

qui

qui fecisset, sequires. Nec adeo tibi uilis uita esset nostra, ut nec præterito periculo meo mouereris, neq; futuro, si insidiãtibus sit impune. Itaq; si mori tacitum oportet, taceamus, precati tantum deos, ut à me cœptum scelus, in me finem habeat, nec per meum latus tu petaris. Sin autẽ quod circũuentis in solitudine natura ipsa subijcit, ut hominum quos nunquam uiderint, fidem tamen implorent, mihi quoq; ferrũ in me strictum cernenti, uocem mittere liceat, Per te, patriumq; nomen, quod utri nostrum sanctius sit, iampridem sentis, ita me audias, precor, tanquam si uoce & comploratione nocturna excitus mihi quiritanti interuenisses, Demetrium cũ armatis nocte intempesta in uestibulo meo deprehendisses. Quod tũ uociferarer in re præsenti pauidus, hoc nunc postero die queror. Frater, non comesantium in uicem iamdiu uiuimus inter nos, regnare utique uis, huic spei tuæ obstat ætas mea, obstat gentium ius, obstat uetustus Macedoniæ mos, obstat uero etiam patris iudicium. Huc transcendere nisi per meum sanguinem non potes. Omnia moliris, & tentas, adhuc seu cura mea, seu fortuna restitit parricidio tuo. Hesterna die in lustratione & decursu & simulachro ludicro pugnæ funestũ propè pręlium fecisti, nec me à morte aliud uindicauit, quàm quod me ac meos uinci passus sum. Ab hostili prælio tanquam fraterno lusu

pertrahere me ad cœnam uoluiſti. Credis ne, pater, inter inermes conuiuas me cœnaturum fuiſſe, ad quem armati comeſatum uenerunt? Credis nihil à gladijs nocte periculum fuiſſe, quem ſudibus te inſpectante propè occiderũt? Quid hoc noctis? quid ut inimicus ad iratum? Quid cum ferro ſuccinctis iuuenibus uenis? Conuiuam me tibi committere auſus nõ ſum, comeſatorem te cum armatis uenientem recipiam? Si aperta ianua fuiſſet, funus meum parares hoc tempore, pater, quo querentem audis. Nihil ego tanquam accuſator crimino ſe, nec dubia argumẽtis colligendo, ago. Quid enim? negat ſe cum multitudine ueniſſe ad ianuã meam, aut ferro ſuccinctos ſecum fuiſſe? Quos nominauero, accerſe, poſſunt quidem omnia audere, qui hoc auſi ſunt, non tamen audebũt negare ſe deprehenſos intra limen meum cũ ferro. Si ad te deducerem, rem pro manifeſto haberes, fatentes pro deprehenſis habe. Execrare nunc cupiditatem regni, & furias fraternas cogita, ſed ne ſint cæcæ, pater, execrationes tuæ, diſcerne, diſpice inſidiatorem, et petitum inſidijs, noxium huic eſſe caput, qui occiſurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos Deos, qui periturus fraterno ſcelere fuit, perfugium in patris miſericordia & iuſtitia habeat. Quò enim aliò confugiam? cui non ſolenne luſtrale exerci

tus,cui non decursus militum,non domus,nõ epulæ,non nox ad quietem data naturæ beneficio mortalibus, tuta est? Si iero ad fratrem inuitatus,moriendum est,si recepero intra ianuã comesatum fratrem,moriendum est. Nec eundo,nec manendo insidias euito. Quò me conferam? nihil præter Deos,pater,& te colui. Nõ Romanos habeo, ad quos confugiam, perisse expetunt,quia tuis iniurijs doleo,quia tibi adẽptas tot urbes,tot gentes, modo Thraciæ maritimam oram indignor. Nec me, nec te incolumi Macedoniam suam futuram sperant,sed si me scelus fratris,te senectus absumpserit, aut nec ea quidem expectata fuerit,regem regnũq; Macedoniæ sua futura sciunt. Si quid extra Macedoniam tibi Romani reliquissent, mihi quoque id relictum crederem receptaculum. At in Macedonibus satis præsidij est. Vidisti hesterno die impetum in me militum. Quid illis defuit, nisi ferrum? Quod illis defuit interdiu, conuiuæ fratris noctu assumpserunt. Quid de magna parte principùm loquar, qui in Romanis spem omnem dignitatis & fortunæ posuerũt, & in eo qui omnia apud Romanos potest? Neque hercule istum mihi tantum fratri maiori, sed prope est ut tibi quoq; ipsi regi & patri præferant. Iste enim est,cuius beneficio pœnam tibi senatus remisit,qui nunc te ab armis Romanis protegit, qui tuam senectutem obligatam

& obnoxiam adolescentiæ suæ esse ęquum censet. Pro isto Romani stant, pro isto omnes urbes tuo imperio liberatæ, pro isto Macedones, qui pace Romana gaudent. Mihi præter te, pater, quid usquam aut spei, aut præsidij est? Quò spectare illas literas ad te nunc missas T. Quintij credis? quibus & bene te consuluisse rebus tuis ait, quòd Demetrium Romã miseris, & hortatur ut iterum, & cum pluribus legatis, & primoribus quoq; Macedonum remittas eum? T. Quintius, qui nunc est autor omnium rerum isti & magister, eum sibi, te abdicato patre, in locum tuum substituit, illic ante omnia clandestina concepta sunt consilia, quæ rũtur adiutores consilijs, quũ te plures & principes Macedonũ cũ isto mittere iubet. Qui hinc integri & synceri Romã eunt, Philippũ regem se habere credentes, imbuti illinc & infecti Romanis delinimẽtis redeũt. Demetrius ijs unus omnia est, eum iam regem uiuo patre appellãt. Hæc si indignor, audiendum est statim non ab alijs solum, sed etiam à te, pater, cupiditatis regni crimen. Ego uero, si in medio ponitur, non agnosco. quẽ enim suo loco moueo, ut ipse in eius locum succedam? Vnus ante me pater est, et ut diu sit, Deos rogo, superstes ei ita sim, si merebor ut ipse me esse uelit. Hęreditatem regni si pater tradet, accipiam. Cupit regnum, & quidẽ

scelerate

ſcelerate cupit, qui tranſcendere feſtinat ordinē ætatis, naturæ, moris Macedonum, iuris gentium. Obſtat frater maior, ad quem iure, uoluntate etiam patris regnū pertinet. Tollatur nunc primus in regnum, fraterna cæde ſit potior, pater ſenex, & filio ſolus orbatus magis timebit ne iraſcatur, quàm ut filij ulciſci necem patiatur. Romani lætabuntur, probabunt, defendēt factum. Hæ ſpes incertæ, pater, ſed non inanes ſunt. ita enim res ſe habet, periculum uitæ propellere à me potes, puniendo eos qui ad me interficiendum ferrum ſumpſerunt. Si facinori eorum ſucceſſerit, mortem meam idem tu perſequi non poteris.

Aperienda nimirum.) Accuſatio eſt parricidij, & affectati regni. Vide quàm ſubdola atque occulta ratione & arte à patris regis, qui æque utrunq; reprehenderat, oratione exordiatur, primū ut maiore ratione queri uideatur, deinde ne oratio uideatur præmeditata, et domi compoſita. Nō nequicquam.) nō ſine cauſa. Me ſubditū.) ſuppoſiticiū, non uerum, & nothū. Et pellice genitū.) Quæ dicatur pellex, Feſtus his uerbis exponit. Pellices nunc quidem appellantur alienis ſuccumbentes, nō ſolum fœminæ, ſed etiam mares. Antiqui eam proprie pellicem nominabant, quæ uxorem habēti nubat. Hæc Feſtus. Budæo uerò pellex eſt quæ uiro adhæ-

adhæret,cui uxor eſt,tamen ipſa uxor non eſt. Pallax uerò,quæ cum cœlibe conſueſcit. Querentem deprehenſas.) Liuius citra diſcrimen nunc accuſatiuum, nunc ablatiuum cum præpoſitione De uerbo queror iungit. Itaq; ſi mori.) A' perſona patris captat beneuolentiam, rei atrocitate in odium et inuidiam aduerſarium adducendo. Subijcit.) dictat,ſuadet,præſcribit,monet. Frater.) Auerſio ſermonis ad Demetrium. Speciem habet narrationis magis, quàm confirmationis. In uicem.) in modum,in morem. Obſtat ætas.) quòd maior natu Perſeus,Demetrius quintum & uigeſimū tātum annum ingreſſus erat,Perſeus quinquennio maior. Obſtat gentium.)quòd iure gentium ad maiores natu regni hæreditas pertineat,atq; perueniat. Luſtratione.)Luſtrandi exercitus is mos Macedonibus erat,ut inter caput mediæ canis præciſæ cum parte adhærente atq; extis ad dextram poſitum,& partem reliquam ad læuā, totus exercitus per uiam mediam traduceretur. Ac primo quidem agmini arma inſignia omnium Macedoniæ regum qui ad eam diem fuerant, præferebantur, quæ rex cum liberis ad latera ſua conſiſtentibus ſequebatur. Poſt regem ſubibat regia cohors,cuſtodesq; corporis,poſtremum agmē cætera multitudo claudebat. Peracto ſacro luſtrationis, ex eo loco decurrere

moris

moris erat, diuisasq; duas acies ex aduerso cõcurrere, in quo certamine sudibus modo præacutis utebãtur, atq; in id unum spectaculũ exhibebatur, ut speciem quandam & imaginem ueri belli præberent. Ego puto hunc Macedonum modum ad nos translatum esse, uereq; decursum concursumq; esse anno antè Lutetiæ, in aduẽtu Leonoræ reginæ Lutetiam. Itaq; decursus & concursus mihi esse uidẽtur, quod uulgò dicimus ioustas, decurrere et cõcurrere quod ioustare. Credis ne.) nunc à coniecturis et signis probat facinus susceptum fuiße. hic ab antecedentibus. Quid hoc noctis.) A' uoluntate & facultate. Quos nominauero.) A' testibus & confeßis.

Si ad te deducerem.) Alloquitur patrem. Deprehensos.) quos dicimus inuentos super factum. Alio loco qui deprehensi essent, exposui. Qui occisurus.) Antitheton, siue antithesis. Quò enim aliò.) Auget nunc atrocitatem criminis, se infirmũ ostendendo, aduersarium potentem, ut uideatur causæ suæ confidere fretus uiribus amicorum. Videtur hic locus constare amplificatione per congeriem. Solenne.) Substantiuum est, nisi sacrum intelligas.

Quò me conferam.) Tacitus in inuidiam trahit aduersarium, aperiendo societatem eius cum aduersarijs patris. Pro isto.) Collectio est quædam suprà confirmatorum. Quò spectare.) Auget suspici-

ſpicionem à re incidēte tanquā ab antecedentibus.

Demetrij parricidij rei defenſio.
CLXXIII.

OMnia quæ reorum antea fuerant auxilia, pater, præoccupauit accuſator, ſimulatisq; lachrymis in alterius perniciem, ueras meas lachrymas ſuſpectas tibi fecit, quū ipſe ex quo ab Roma redij, per occulta cū ſuis colloquia dies noctesq; inſidietur ultro mihi, nunc non inſidiatoris modo, ſed latronis manifeſti & percuſſoris ſpeciem induit. Periculo ſuo te exterret, ut innoxio fratri per eundem te maturet perniciem. perfugium ſibi nuſquam gentium eſſe ait, ut ego ne apud te quidē ſpei quicquam reliqui habeam, circumuentum, ſolum, inopem, inuidia gratiæ externæ, quæ obeſt potius quàm prodeſt, onerat. Iam illud, quàm accuſatoriè, quòd noctis huius crimen miſcuit cum cætera inſectatione uitæ meæ? ut & hoc quod iam quale ſit, ſcies, ſuſpectum alio uitæ noſtræ tenore faceret, & illam uanam cirminationem ſpei, uoluntatis, conſiliorum meorum, nocturno hoc ficto & compoſito argumento fulciret, ſimul & illud quæſiuit, ut repentina minimeq; præparata accuſatio uideretur, quippe ex noctis huius metu & tumultu repentino exorta. Oportuit autem, Perſeu,

ſeu, ſi proditor ego patris regniq; eram, ſi cum Romanis, ſi cum aliis inimicis patris inieram conſilia, non expectatam fabulam eſſe noctis huius, ſed proditionis meæ antè me accuſatum, ſi illa criminoſa ac uana accuſatio erat, inuidiamque tuam aduerſus me magis, quàm crimen meum indicatura, hoc die quoq; eam aut prætermitti, aut in aliud tempus differri, ut perſpiceretur utrum ego tibi, an tu mihi nouo quidem & ſingulari genere odij inſidias feciſſes. Ego tamen, quantum in hac ſubita perturbatione potero, ſeparabo ea quæ tu confudiſti, & noctis huius inſidias aut tuas aut meas detegam. Occidendi ſui conſilium me iniſſe uideri uult, ut ſcilicet maiore fratre ſublato, cuius iure gentium, more Macedonũ, tuo etiã (ut ait) iudicio regnum futurum eſt, ego minor in eius, quem occidiſſem, ſuccederem locum. Quid ergo illa ſibi uult pars altera orationis, qua Romanos à me cultos ait, atq; eorum fiducia in ſpem regni me ueniſſe? Nam & ſi in Romanis tantum momenti eſſe credebam, ut quem uellent imponerent Macedoniæ regem, & meæ tantũ apud eos gratiæ confidebã, quid opus parricidio fuit? an ut cruentũ fraterna cæde diadema gererem? ut illis ipſis, apud quos aut uera, aut certe ſimulata probitate partã gratiam habeo (ſi quam forte habeo) execrabilis et

inuiſus

inuisus essem? nisi T. Quintiũ credis, cuius uirtute & consilijs me nunc arguis regi, quum & ipse tali pietate uiuat cum fratre, mihi fraternæ cædis fuisse autorem. Idem non Romanorum solum gratiam, sed Macedonum iudicia, ac penè omnium Deorum hominumq; consensum collegit, per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit, idem tanquam in alijs omnibus rebus inferior essem, ad sceleris spem ultimã confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cognitionis esse, ut uter timuerit, ne alter dignior uideretur regno, is consiliũ opprimendi fratris iudicetur cepisse? Exequamur tamen quocunq; modo conficti ordinem criminis. Pluribus modis se petitũ criminatus est, & omnes insidiarum uias in unum diem contulit. Volui interdiu eum post lustrationem quum concurrimus, & quidem (si Dijs placet) lustrationum die occidere, uolui quum ad cœnam inuitaui, ueneno scilicet tollere, uolui quũ comesatum gladijs accincti me secuti sunt, ferro interficere. Tempora quidem qualia sint ad parricidium electa, uides, lusus, conuiuij comesationis, quis dies, qualis, quo lustratus exercitus, quo inter diuisam uictimam prælatis omnium qui unquam fuere, Macedoniæ regum armis, reges duo solito more tua tegentes latera, pater, præuecti sumus, & secutum est Macedonum agmen. Hæc ego, etiam si quid antè ad-

misissem piaculo dignum, lustratus & expiatus sacra tum, quum maxime in hostiam itineri nostro circundatam intuens, parricidium, uenena, gladios in comesatione præparatos uolutabam in animo, ut quibus alijs deinde sacris contaminatam omni scelere gentem expiarē? Sed cæcus criminandi cupiditate animus, dum omnia suspecta efficere uult, aliud alio confundit. Nam si ueneno te inter cœnam tollere uolui, quid minus aptum fuit, quàm pertinaci certamine et concursu iratum te efficere, ut merito sicut fecisti, inuitatus ad cœnā, abnueres? Quū autem iratus negasses, utrum ut placarem te, danda opera fuit, ut aliam quærerem occasionem, quoniam semel uenenum parauerām? an ab illo consilio uelut transiliendū ad aliud fuit, ut ferro te, & quidem eo die, per speciem comesationis occiderē? Quo deinde modo, si te metu mortis credebam cœnam euitasse meam, nō ab eodem metu comesationem quoq; euitaturum existimabam? Non est res qua erubescam, pater, si die festo inter æquales largiore uino sum usus. Tu quoq; uelim inquiras, qua lętitia, quo lusu apud me celebratum hesternum conuiuium sit. Illic etiam prauo forsitan odio prouehente, quod in iuuenili armorum certamine pars nostra non inferior fuerat, miseria hæc & metus crapulam facile excusserunt. quòd si nō interuenissent insidiatores, somno sopiti iace-

inuisus essem? nisi T. Quintiũ credis, cuius uirtute & consilijs me nunc arguis regi, quum & ipse tali pietate uiuat cum fratre, mihi fraternæ cædis fuisse autorem. Idem non Romanorum solum gratiam, sed Macedonum iudicia, ac penè omnium Deorum hominumq; consensum collegit, per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit, idem tanquam in alijs omnibus rebus inferior essem, ad sceleris spem ultimã confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cognitionis esse, ut uter timuerit, ne alter dignior uideretur regno, is consiliũ opprimendi fratris iudicetur cepisse? Exequamur tamen quocunq; modo conficti ordinem criminis. Pluribus modis se petitũ criminatus est, & omnes insidiarum uias in unum diem contulit. Volui interdiu eum post lustrationem quum concurrimus, & quidem (si Dijs placet) lustrationum die occidere, uolui quum ad cœnam inuitaui, ueneno scilicet tollere, uolui quũ comesatum gladijs accincti me secuti sunt, ferro interficere. Tempora quidem qualia sint ad parricidium electa, uides, lusus, conuiuij comesationis, quis dies, qualis, quo lustratus exercitus, quo inter diuisam uictimam prælatis omnium qui unquam fuere, Macedoniæ regum armis, reges duo solito more tua tegentes latera, pater, præuecti sumus, & secutum est Macedonum agmen. Hæc ego, etiam si quid antè admisissem

misissem piaculo dignum, lustratus & expiatus sacra tum, quum maxime in hostiam itineri nostro circundatam intuens, parricidium, uenena, gladios in comesatione præparatos uolutabam in animo, ut quibus alijs deinde sacris contaminatam omni scelere gentem expiarē? Sed cæcus criminandi cupiditate animus, dum omnia suspecta efficere uult, aliud alio confundit. Nam si ueneno te inter cœnam tollere uolui, quid minus aptum fuit, quàm pertinaci certamine et concursu iratum te efficere, ut merito sicut fecisti, inuitatus ad cœnā, abnueres? Quū autem iratus negasses, utrum ut placarem te, danda opera fuit, ut aliam quærerem occasionem, quoniam semel uenenum paraueram? an ab illo consilio uelut transiliendū ad aliud fuit, ut ferro te, & quidem eo die, per speciem comesationis occiderē? Quo deinde modo, si te metu mortis credebam cœnam euitasse meam, nō ab eodem metu comesationem quoq; euitaturum existimabam? Non est res qua erubescam, pater, si die festo inter æquales largiore uino sum usus. Tu quoq; uelim inquiras, qua lętitia, quo lusu apud me celebratum hesternum conuiuium sit. Illic etiam prauo forsitan odio prouehente, quod in iuuenili armorum certamine pars nostra non inferior fuerat, miseria hæc & metus crapulam facile excusserunt. quòd si nō interuenissent insidiatores, somno sopiti iace-

remus. Si domum tuam expugnaturus, capta domo dominum interfecturus eram, non temperassem uino in unum diem, non milites meos abstinuissem? Et ne ego me solũ nimia simplicitate tuear, ipse quoque minime malus ac suspicax frater, Nihil aliud scio, inquit, neque arguo, nisi quod cum ferro comesatum uenerunt. Si quærã, unde idipsum scias, necesse erit aut speculatorum tuorum plenam domum fuisse meam, aut illos ita apertè sumpsisse ferrum, ut omnes uiderent. Et ne quid ipse aut prius inquisisse, aut nunc criminose argumentari uideretur, te quærere ex ijs quos nominasset, iubebat, an ferrum habuissent, ut tanquam in re dubia quũ id quæsisses quod ipsi fatentur, pro conuictis haberentur. Quin tu illud quæri iubes, nũ tui occidendi causa ferrum sumpserint, nũ me autore & sciente? Hoc enim uideri uis, non illud quod fatentur, & palam est, & sui se tuendi causa sumpsisse dicunt. Recte an perperã fecerint, ipsi sui facti rationem reddent, meam causam, quæ nihil eo facto contingitur, ne miscueris, aut explica utrum aperte, an clam te aggressuri fuerimus. Si aperte, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo præter eos qui tum speculatorem pulsarunt? si clam, quis ordo consilij fuit? Conuiuio soluto, quum comesator ego discessissem, quatuor substitissent, ut sopitum te aggrederentur? Quomodo fefellissent & alieni

&

& mei et maxime suspecti quia paulo antè in rixa fuerant? Quomodo autem trucidato te ipsi euasuri fuerint? quatuor gladijs domus tua capi & expugnari potuit? Quin tu omissa ista nocturna fabula, ad id quod doles, quod inuidiã urit, reuerteris? Cur usquam regni tui mentio fuit, Demetri? Cur dignior patris fortunæ successor quibusdam uideris, quàm ego? cum spẽ meam, quę, si tu non esses, certa erat, dubiam & solicitam facis? Hæc sentit Perseus, & si non dicit, hæc istum inimicum, hæc accusatorem faciunt, hæc domum, hæc regnum tuum criminibus & suspicionibus replent. Ego autẽ, pater, quemadmodum nec nunc sperare regnũ, nec ambigere unquã de eo forsitan debeam, quia minor sum, quia tu me maiori credere uis, sic illud nec debui facere, nec debeo, ut indignus te patre, indignus omnibus uidear. Id enim uitijs meis, non cedendo cui ius fasq; est, non modestia cõsequar. Romanos obijcis mihi, & ea quę gloriæ esse debent, in crimẽ uertis. Ego nec obses Romanis ut traderer, nec ut legatus Romã mitterer, à te petij, missus, ire nõ recusaui, utroque tempore ita me gessi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum essem. Itaq; mihi cum Romanis amicitiæ causa tu fuisti, pater, quoad tecum illis pax manebit, mecum quoq; gratia erit. Si bellum esse cœperit, qui obses, qui legatus pro patre non inutilis fui, idem hostis

illis acerrimus ero. Nec hodie ut prosit mihi Romanorum gratia, postulo, ne obsit, tantum deprecor, nec in bello cœpit, nec ad bellum reseruetur. Pacis pignus fui, ad pacem retinendam legatus missus sum, neutra res mihi nec gloriæ nec crimini sit. Ego si quid impiè in te, pater, si quid sceleratè in fratrem admisi, nullam deprecor pœnam. Si innocens sum, ne inuidia conflagrem, quum crimine non possum, deprecor. Non hodie me primum frater accusat, sed hodie primum aperte, nullo meo in se merito. Si mihi pater succenseret, te maiorem fratrem pro minore deprecari oportebat, te adolescentiæ, te errori ueniam impetrare. In eo ubi præsidium esse oportebat, ibi exitium est. E conuiuio & comesatione propè semisomnus raptus sum ad causam parricidij dicendam, sine aduocatis, sine patronis ipse pro me dicere cogor. Si pro alio dicendum esset, tempus ad meditandum, & ad cōponendam orationem sumpsissem, quū quid aliud quàm ingenij fama periclitarer? Ignarus quid accersitus essem, te iratum, te iubētem dicere causam, fratrem accusantem audiui. Ille diu antè præparata, meditata in me oratione est usus, ego id tantum temporis, quo accusatus sum, ad cognoscendum quid ageretur, habui. Vtrum illo momento horę accusatorem audirem, an defensionem meditarer? Attonitus repentino atq; inopinato malo, uix quid obijceretur,

etur, intelligere potui, nedum satis sciam quomodo me tuear. Quid mihi spei esset, nisi patrem iudicem haberem? apud quem, etiamsi à fratre charitate uincor, misericordia certe reus uinci non debeo. Ego enim, ut me mihi tibiq; serues, precor, ille ut me in securitatem suam occidas, postulat. Quid eum, quum regnum ei tradideris, facturum credis in me esse, qui iã nunc sanguine meo sibi indulgeri æquum censet?

Omnia quæ reorum.) Defensio est parricidij et cupiditatis regni. Exorditur ab aduersarij persona, maxime ab ijs quæ tota propè oratione obiecta erant, in summa ea referendo. Oportuit autem.) Hoc uerbum repeti debet hac tota oratione. Auersio est ad aduersarium. Occidendi sui.) Legitimæ refutationis principium. Quid ergo.) Diluit causas obiecti criminis à coniecturis, orationẽq; non inter se conuenire docet. Tempora quidẽ.) Tollit suspicionem à circumstantijs, ut temporis, loci, instrumenti. Diuisam uictimam.) canem scilicet in partes duas præcisam, ut proximis annotationibus docui. Sed cæcus.) Iam apertius monstrat, quàm ea quæ congesta erant, non consentiant in summam. Te quærere.) Ad patrem auertit sermonem. Aut explica.) A coniecturis. Complexione constat. Cur usquam.) Se ipse persona accu

satoris alloquitur. Nunc *causas aperit cur hæc* Perseus *cōfinxisset.* Ego *si quid.*) *Perorationis principium uidetur, qua magna ex parte affectus mouētur.* E' *conuiuio.*) Commiserationem *mouet à ratione defensionis, accusatoremq́; suspectum à præmeditata oratione facit.*

Argumentum in CLXXVIII.

L. *Minutius legatus, & duo tribuni militum regreßi* Romam *ex* Hispania *nūciarant senatui quæ prospere ac feliciter illic gesta erant, inter alia duo sequunda prælia, Celtiberorum deditionem, confectam prouinciam esse.* Id *tamē postularant, ut* Qu. Fuluio *inde exercitum deducere liceret, milites enim iam ultrà in ea prouincia retineri non posse, alioqui iniussu abituros esse, aut certe seditionem moturos.* T. *erat* Sempronius *prætor, cui ea prouincia decreta erat.* Is *ne quid faceret quod è* Rep. *non uideretur, iam ex* Minutio *ipso quærit quidnam sentiat ea in re faciundum.*

T. *Sempronij prætoris ad* L. *Minutium legatum interrogationes.* CLXXVIII.

QVæro de te, L. Minuti, quum confectā prouinciam nuncies, existimesne Celtiberos perpetuò in fide mansuros, ita ut sine exercitu ea prouincia obtineri possit? Si neque de fide barbarorū quicquam recipere aut affirmare nobis potes, & habendum illic utile exerci-

exercitum censes, utrum tandem autor senatui sis, supplementum in Hispaniam mittendi? ut ij modo quibus emerita stipendia sint, milites dimittãtur, ueteribus militibus tyrones immisceantur? an deductis de prouincia ueteribus legionibus, nouas conscribendi & mittendi? quũ contemptum tyrociniũ etiã mitiores barbaros excitare ad rebellandum possit? dictu quàm re facilius sit prouinciam ingenio ferocem rebellatricem confecisse? Paucæ ciuitates, ut quidem ego audio, quas uicina maxime hyberna premebant, in ius deditionemq; uenerunt, ulteriores in armis sunt. Quæ quum ita sint, ego tamẽ hæc prædico, P. C. me exercitu eo qui nunc est, Rempub. administraturum, si deducat secum Flaccus legiones, loca pacata me ad hybernacula electurum, neque nouum militem ferocissimo hosti obiecturum.

Confectam prouinciã.) Confectũ dicitur, quod perfectum est & finitum. Confecta prouincia, quæ tota in fidem recepta est, et pacata. In *fide mansuros.) Alio loco exposui, quidnam sit in fide manere.* De *fide quicquam recipere.) spondere, polliceri. Supplementum.) milites erant, qui cæsorũ, aut eorum qui deducti fuerant, supplebant locum.* Tyrones.) *noui milites, qui rem militarem nunquam secuti sunt. Emerita stipendia.) Veterani*

ni erant, alijq; milites, quorum merito id conceßum erat, ut cogi militare non poßent, non minus tamẽ ſtipendia de publico accipiebant. ea emerita dicebantur. T. Liuius I X *huius ubi de præmio eorum quorum opera* Bacchanalia *detecta & indicata erant, Senatuſconſultum (inquit) factum eſt, ut ſingulis bis centena milia æris quæſtores urbani ex ærario darent, utiq; conſul cum tribuniſ pleb. ageret, uti ad plebem primo quoq; tempore ferrent, ut* P. Ebutio *emerita ſtipendia eſſent, ne inuitus militaret, neue cenſores equum publicum aßignarent.*

Argumentum in CLXXIX.

M. Aemilius Lepidus *pontifex maximus &* M. Fuluius *graues iã ſæpe ac diu antè inuicẽ exercuerant inimicitias, quũ omniũ tribuũ conſenſu creati cẽſores fuere.* Declarati *quũ nihilo magis redirẽt in gratiã, quàm ante communem magiſtratũ, id ægrè paßi primores ſenatorũ, ad eos ad arã* Martis *dimiſſis comitijs pro more conſidẽtes, ueniũt, inter quos* Q. Metellus *pro omnibus unus in hæc uerba ad reconciliationẽ eos deducere ac reuocare conabatur.*

Qu. *Cæcilij* Metelli *ad* M. Lepidum *&* M. Fuluium *cenſores declaratos de reconciliatione uerba.* CLXXIX.

NOn obliti ſumus, Cenſores, uos paulo ante ab uniuerſo populo Rom. moribus noſtris præpoſitos eſſe, & nos à uo bis

bis ea admoneri & fieri, non uos à nobis his debere. Indicandũ tamen eſt, quid omnes bonos in uobis aut offendat, aut certe mutatum malint. Singulos quum intuemur, M. Aemili, M. Fului, neminẽ hodie in ciuitate habemus, quẽ, ſi reuocemur in ſuffragium, uelimus uobis prę latum eſſe. Ambos quum ſimul aſpicimus, non poſſumus uereri, ne male comparati ſitis, nec tã tum Reipub. proſit, quod omnibus nobis egregie placens, quàm quod alter alteri diſplicens, noceat. Inimicitias per annos multos uobis ipſis graues & atroces geritis, quæ periculum eſt ne ex hac die nobis & Reip. quàm uobis grauiores fiãt. De quibus cauſis hoc timeamus, multa ſuccurrunt, quæ dicerentur, niſi forte implacabiles fueritis, implicauerint animos ueſtros. Haſ ut hodie, ut in iſto templo finiatis ſimultates, quæſumus uos uniuerſi, & quos coniũxit ſuffragijs ſuis populus Romanus, hos etiam reconciliatione gratiæ coniungi à nobis ſinatis. Vno animo, uno conſilio eligatis ſenatum, equites recenſeatis, agatis cenſum, luſtrum condatis, quod in omnibus fere precationibus nũcupatis his uerbis, ut ea res mihi collegæq; meo bene & feliciter eueniat, id ita ut uere, ut ex animo uelitis euenire, efficiatisq; ut quod Deos precati eritis, id uos uelle etiam homines credamus. T. Tatius & Romulus, in cuius urbis medio foro acie hoſtes concurrerant, ibi cõcordes

regnarũt. Non modo simultates, sed bella quoque finiuntur, ex infestis hostibus plerumq; socij fideles, interdum etiam ciues fiunt. Albani diruta Alba Romam traducti sunt, Latini, Sabini in ciuitatem accepti. Vulgatum illud, quia uerum erat, in prouerbium uenit, Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse.

Non obliti sumus.) Ratio est deducendi in societatem & amicitiam eos præsertim, qui quum communem magistratum gerant, inuicem inimicitias exercent. Exordium ducitur à re pertinente ad caussam, nempe quòd omnium suffragio ad magistratũ gerendum delecti sunt & declarati. Suadet maximè à communi magistratu. *Si reuocemur in suffragium.*) si deintegro comitia indicantur ad creandos alios censores. *Prælatum esse.*) antepositum uobis digniorem quàm uos, censura. *Has ut hodie.*) À circumstantijs temporis & loci. *Vno animo.*) Hinc collige censorum partes. *Quod in omnibus.*) Ex hoc loco facile apparet nouos magistratus, ut primum declarati & renunciati fuissent, nuncupare solitos certa uerba, quæ mox subijciuntur. *T. Tatius.*) À pari. *Vulgatum illud.*) Et amici siquando inimicitias gerant secum ubi redeũt in gratiam, uehementius se amãt. Quod Terentius indicat his uerbis, Amicorum iræ, amoris redintegratio est.

Argumentum in CLXXX.

Perseus maior Philippi liberorum non æquo animo ferens, audita inuicem accusatione ac defensione parricidij, à patre de ea re iudicium in aliud tempus dilatum esse, ubi disquisitionibus atq; inquisitionibus in uitam & mores utriusq; compertum esset uter culpandus foret, nec die nec nocte quicquã prætermittebat, quod ad augendam suspicionem, finiendamq; quàm primum disceptationem pertineret. Ac eius, puto, importunitate ac querelis pater rex uictus, Romam legatos duos, quos in neutram partem inclinari putabat, re uera Persei fautores, mittit, qui de ijs ipsis, quæ in Demetriũ cõgesta crimina erant, cognoscerent. Ii erant Philocles & Apelles, qui Roma in Macedoniam regreßi, literas falsas adulterino T. Quintij signo notatas regi reddiderunt, quibus facile apparebat crimina Persei in fratrem iacta uera esse. Tum uerò Perseus iam uictoriam propè in manibus cernens, rursus fratrem apud patrem accusat, quo quidem iudicio nihil palàm contra reum pronunciatum, ut dolo potius interficeretur. Itaque ab Thessalonica Demetriadem profecturus Philippus, Dida quodam prætore, qui Persei partium erat, comite Demetrium ad Astreum Pœoniæ oppidum mittit.

Nec abest suspicio, quin ei Didæ digredienti

de filio occidendo mandata pater dederit. Profecti ab Astreo Heracleam, cum alijs cœnam illic hilariter celebrant, quo in conuiuio epoto ueneno non ita multo post & patris crudelitatē, & fratris parricidium, & Didæ scelus conquerens innoxius iuuenis absumptus est. Exinde pater rex comperta morte, conscientia scelerum premente, uitam tristē ac miserabilem egit. Iam Antigonus erat Antigoni alterius (Philippi tutor fuerat) nepos, qui amicus Philippi permanserat. Is per inuidiam legatorum supra nominatorum, qui literis falsis confirmarāt crimina Persei in fratrem, Demetrio occiso, animo suo proponens, mortuo quoque patre magnum sibi à Perseo periculum fore, Philippum quotidie soli citabat ad ueritatem criminis explorandam. Ac forte Xychus consilij particeps, quum ipsi obuius egredienti à Philippo foret, eius iudicio ad Philippum ut conscius defertur. Adductus, paruo metu iniecto ordinē omnem facinoris exponit. De legatis sumptum supplicium. Detectas esse fraudes audiens Perseus, non temere se patri committere ausus, procul inde abfuit. Philippus deinde per occasionem Antigono uoluntatem suam de regni hæreditate, quam ad eum se mortuo uenturam destinabat, in hæc uerba declarauit.

Philippi

Philippi regis Macedonum ad Antigonum de regni hæreditate uerba. CLXXX.

QVando in eam fortunam ueni, Antigone, ut orbitas mihi, quam alij detestantur parentes, optabilis esse debeat, regnum quod à patruo tuo forti non solum fideli tutela eius custoditum & auctum etiam accepi, id tibi tradere in animo est. Te unum habeo quem dignum regno iudicem, si neminem haberem, perire & extingui id mallem, quàm Perseo scelestæ fraudis præmium esse. Demetrium excitatum ab inferis, restitutumq; credã mihi, si te, qui morti innocentis, qui meo infelici errori unus illachrymasti, in locum eius substitutum relinquam.

In eam fortunam.)conditionem. Perire et extingui.)funditus euerti. Scelestæ fraudis.) quod legatos subornauerat. Infelici errori.)quod infeliciter errauit dando mandata Didæ de filio occidẽdo, quodq; temere delatis criminibus credidisset. Vide *argumentum.*

EX LIBRO PRIMO QVINTAE DECADOS, qui XLI.

Argumentum in CLXXXI.

Altius repetenda est priorum temporum ratio. Perseus, qui patris Philippi fugiens conspectum in Thra-

Thracia erat, per medicum qui curationi Philippi præerat, eo ipso tempore quo desperationis notæ apparuerant, de patris morte factus est certior. Eo nuncio lætus factus, quanta maxima celeritate potuit in Macedoniam rediit. Ita præter omnium prope opinionem & expectationem regno potitur, ac primo quoque tempore legatos Romam mittit, non solum ad amicitiam paternam renouandam, sed ad petendum quoque ut rex appellaretur. Solicitabat inde ad bellum suorum animos, mixtisq; inter Dardanos Bastarnasq; certaminibus, facile apparebat ex ijs quæ legati Romanorũ retulerant, breui oriturum bellum, quum Romam ipse legatos mittit, qui purgarent nec accitos ab eo Bastarnas, nec eo autore quicquã facere. Romani excusationẽ non acceperunt, tantumq; moneri per legatos iussus est, ut fœdus renouatum non uiolaret. Forte per eos dies quidã Dolopum iam parêre imperio eius abnuebant, ita ut si quibus forte de rebus disceptandũ esset, ab eo ad Romanos reuocarent. Ipse cum exercitu profectus eam totam gentem sub ius iudiciũq; suum coëgit. Inde per Oetæos montes transgressus, religionibus quibusdam animo iniectis, oraculum aditurus, Delphos ascendit. Terror omnium ad quos fama eius transitus peruenerat, mentes occupauerat, ne bellum inferre uellet. Is tamen

tamen ille tres dies commoratus, per Achaiam Thessaliamq; sine damno & iniuria agrorum per quos iter fecit, in Macedoniam regressus est. Exinde cogitare cœpit omnium earum gentium quibuscum patri regi simultates fuerant, societatem & amicitiam conciliandam esse. Fortè paucis antè diebus Achæi Macedonibus finibus suis interdixerāt, quo propè tempore seruitia eius gentis in Macedoniam fugerant. Itaq; iam tempus uenisse ratus Perseus reconciliandæ gratiæ cum Achæis, comprehēsos seruos remisit cum literis, quibus, ut facile apparet ex concione proxima (nam hoc loco sensus nonnulli apud Liuium desiderantur) societatem repetebat. Iam tum factiones Achæorum erant duæ, Xenarchus prætor pro Perseo stabat, Callicrates aduersarius. Itaq; quum ab Xenarcho prætore eæ ipsæ literæ recitatæ forent, tum Callicrates in hæc uerba inuiolatum fœdus Romanis seruandum esse, non societatem cum Perseo iungendam suasit, quæ deinde Xenarchus refutat.

Callicratis Achæi aduersus Perseum oratio. CLXXXI.

PArua, aut mediocris res, Achæi, quibusdā uidetur agi, ego maxime grauissimā omniū non agi tantum arbitror, sed quodāmodo actam esse. Nā qui regibus Macedonū,

Macedo-

Macedonibusq; ipsis finibus interdixissemus, manereq; id decretum, scilicet ne legatos, ne nũcios admitteremus regum, per quos aliquorũ ex nobis animi solicitarentur, ij concionantem quodammodo absentem audimus regem, &, si Dijs placet, orationẽ eius probamus, & quũ feræ bestiæ cibum ad fraudem suam positum plerunq; aspernentur & refugiant, nos cęci specie parui beneficij inescamur, & seruulorũ minimi pretij recipiendorum spe, nostram ipsorũ libertatẽ subrui & tentari patimur. Quis enim non uidet uiam regiæ societatis quæri, qua Romanum fœdus, quo nostra omnia cõtinentur, uioletur? nisi hoc dubium alicui est, bellandum Romanis cum Perseo esse, & quod uiuo Philippo expectatum, morte eius interpellatũ est, id post mortem Philippi futurum. Duos, ut scitis, habuit filios Philippus, Demetrium, & Persea. Genere materno, uirtute, ingenio, fauore Macedonũ longe præstitit Demetrius, sed quia in Romanos odij regnum posuerat præmiũ, Demetrium nullo alio crimine, quàm Romanæ amicitiæ initæ occidit, Persea, quem populus Romanus prius penè quàm regni hæredẽ futurum sciebat, regem fecit. Itaq; quid hic post mortem patris egit aliud, quàm bellum parauit? Bastarnas primum ad terrorem omnium Dardaniam immisit, qui si sedem eam tenuissent, grauiores eos accolas Græcia habuisset, quàm

quàm Aſia Gallos habeat. Ea ſpe depulſus, nõ tamen belli cõſilia omiſit, imò ſi uera uolumus dicere, iam inchoauit bellum. Dolopiam armis ſubegit, nec prouincias de controuerſis ad diſceptationem pop. Romani audiuit. Inde tranſgreſſus Oetam, ut repente in medio umbilico Græciæ conſpiceretur, Delphos aſcendit. Hæc uſurpatio itineris inſoliti quò uobis ſpectare uidetur? Theſſaliam deinde peragrauit, quod ſi ne ullius eorum quos oderat, noxia, hòc magis tentationem metuo. Inde literas ad nos cũ muneris ſpecie miſit, & cogitare iubet quomodo in reliquum hoc munere non egeamus, hoc eſt ut decretum quo arcentur Peloponneſo Macedones, tollamus, rurſus legatos regios, & hoſpitia cum principibus, & mox Macedonum exercitus, ipſum quoq; à Delphis (quantum enim interluit fretum?) traijcientem in Peloponneſum uideamus, immiſceamur Macedonibus armantibus ſe aduerſus Romanos. Ego nihil noui cenſeo decernendum, ſeruandaq; omnia integra, donec ad certũ dirigantur, uanus ne hic timor noſter, an uerus fuerit. Si pax inuiolata inter Macedonas Romanosq; manebit, nobis quoq; amicitia & commercium ſit, nunc de eo cogitare periculoſum & immaturum uidetur.

Parua aut mediocris.) *Ratio eſt auertendi animos à ſocietate eius qui multis ſuſpectus eſt, quum*

 præter-

præsertim petere uidetur. A re ipsa et deliberatione de ea re ducitur exordium. Dissuadet maxime ab æquo & iusto. Finibus interdixissemus.) Ita fere interdico pro arceo & prohibeo iungi solet datiuo personæ, & ablatiuo rei. Alias ablatiuus accusatiuo commutatur. Manereq;.) perseuerare, stare, perstare, & durare. Scilicet ne legatos.) Argumentum ipsum, quicquid continetur hac concione, plane indicabit. Ii concionantem.) nos Achæi. Inescamur.) fallimur, circumuenimur. Metaphora sumpta à piscibus, qui hamo cibis ijs quibus delectantur, circumfuso, ad odorem eorum uenientes, facile capiuntur. Interpellatum.) interturbatum impeditum. Egit aliud quàm.) Ferè in simili formula prius uerbum omittitur. Quid aliud quàm bellum parauit? Hoc notandum tanquã nouum. Quomodo in reliquum.) Noue dixit pro in posterum. Tollamus.) aboleamus, abrogemus. Commercium.) coniunctio, societas.

Arconis fratris Xenarchi prætoris Achæorum pro Perseo refutatio.

CLXXXII.

Difficilem orationem Callicrates et mihi, et omnibus qui ab eo dissentimus, fecit. Agendo enim Romanæ societatis causam ipse, tentarique et oppugnari dicendo, quẽ nemo

nemo neq; tentat, neq; oppugnat, effecit ut qui ab se dissentiret, aduersus Romanos dicere uideretur. Ac primũ omniũ tanquã nõ hic nobiscũ fuisset, sed aut ex curia populi Rom. ueniret, aut regũ arcanis interesset, omnia scit & nunciat quæ occultè facta sunt, diuinat etiã, quæ futura fuerãt si Philippus uixisset, quid ita Perseus regni hæres sit, quid parẽt Macedones, quid cogitent Romani. Nos autẽ, qui nec ob quã causam, nec quemadmodũ perierit Demetrius, scimus, nec quid Philippus si uixisset facturus fuerat, ad hæc quæ palã gerũtur, cõsilia nostra accõmodare oportet. Ac scimus Persea regno accepto ad legatos Romanos uenisse, ac regem Persea à populo Rom. appellatũ, audimus legatos Romanos uenisse ad regẽ, & eos benignè exceptos. Hæc omnia pacis equidẽ signa esse iudico, nõ belli, nec Romanos offendi posse, si ut bellum gerentes eos secuti sumus, nũc quoq; pacis autores sequamur. Cur quidem nos inexpiabile omnium soli bellum aduersus regnũ Macedonum geramus, nõ uideo. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniæ sumus, an infirmissimi omniũ, tanquã quos nuper subiecit Dolopes? Imò contra ea uel uiribus nostris Deûm benignitate, uel regionis interuallo tuti. Sed sumus æquè subiecti, ac Thessali, Aetoliq;. Nihilo plus fidei autoritatisq; habemus aduersus Romanos, qui semper socij atque amici fuimus,

præsertim petere uidetur. A re ipsa et deliberatione de ea re ducitur exordium. Dissuadet maxime ab æquo & iusto. Finibus interdixißemus.) Ita fere interdico pro arceo & prohibeo iungi solet datiuo personæ, & ablatiuo rei. Alias ablatiuus accusatiuo commutatur. Manereq;.) perseuerare, stare, perstare, & durare. Scilicet ne legatos.) Argumentum ipsum, quicquid continetur hac concione, planè indicabit. Ii concionantem.) nos Achæi. Inescamur.) fallimur, circumuenimur. Metaphora sumpta à piscibus, qui hamo cibis ijs quibus delectantur, circumfuso, ad odorem eorum uenientes, facile capiuntur. Interpellatum.) interturbatum, impeditum. Egit aliud quàm.) Ferè in simili formula prius uerbum omittitur. Quid aliud quàm bellum parauit? Hoc notandum tanquã nouum. Quomodo in reliquum.) Nouè dixit pro in posterum. Tollamus.) aboleamus, abrogemus. Commercium.) coniunctio, societas.

Arconis fratris Xenarchi prætoris Achæorum pro Perseo refutatio.

CLXXXII.

Difficilem orationem Callicrates et mihi, et omnibus qui ab eo dissentimus, fecit. Agendo enim Romanæ societatis causam ipse, tentarique et oppugnari dicendo, quã nemo

nemo neq; tentat, neq; oppugnat, effecit ut qui ab se dissentiret, aduersus Romanos dicere uideretur. Ac primũ omniũ tanquã nõ hic nobiscũ fuisset, sed aut ex curia populi Rom. ueniret, aut regũ arcanis interesset, omnia scit & nunciat quæ occultè facta sunt, diuinat etiã, quæ futura fuerãt si Philippus uixisset, quid ita Perseus regni hæres sit, quid parẽt Macedones, quid cogitent Romani. Nos autẽ, qui nec ob quã causam, nec quemadmodũ perierit Demetrius, scimus, nec quid Philippus si uixisset facturus fuerat, ad hæc quæ palã gerũtur, cõsilia nostra accõmodare oportet. Ac scimus Persea regno accepto ad legatos Romanos uenisse, ac regem Persea à populo Rom. appellatũ, audimus legatos Romanos uenisse ad regẽ, & eos benignè exceptos. Hæc omnia pacis equidẽ signa esse iudico, nõ belli, nec Romanos offendi posse, si ut bellum gerentes eos secuti sumus, nũc quoq; pacis autores sequamur. Cur quidem nos inexpiabile omnium soli bellum aduersus regnũ Macedonum geramus, nõ uideo. Opportuni propinquitate ipsa Macedoniæ sumus, an infirmissimi omniũ, tanquã quos nuper subiecit Dolopes? Imò contra ea uel uiribus nostris Deûm benignitate, uel regionis interuallo tuti. Sed sumus æquè subiecti, ac Thessali, Aetoliq;. Nihilo plus fidei autoritatisq; habemus aduersus Romanos, qui semper socij atque amici fuimus,

quàm Aetoli, qui paulo antè hoſtes fuerunt. Quod Aetolis, quod Theſſalis, quod Epirotis, omni deniq; Græciæ cum Macedonibus iuris eſt, idem & nobis ſit. Cur execrabilis iſta nobis ſolis uelut deſertio iuris humani eſt? Fecerit aliquid Philippus, cur aduerſus eum armatum & bellum gerentem hoc decerneremus, quid Perſeus nouus rex omnis iniuriæ inſons ſuo beneficio paternas ſimultates obliterãs meruit, cur ſoli omnium hoſtes ei ſumus? Quanquam & illud dicere poteram, tanta priorũ Macedoniæ regum merita erga nos fuiſſe, ut Philippi unius iniurias, ſi quæ forte fuerunt, utique poſt mortem quum claſſis Romana Cenchris ſtaret, cõſul cum exercitu Velatiæ eſſet, triduum in concilio fuimus conſultantes utrum Romanos an Philippum ſequeremur * nonihil metus præſens ab Romanis ſententias noſtras inclinarit, fuit certe tamen aliquid, quod tam longam deliberationem fecerat, id quod erat uetuſta coniunctio cum Macedonibus, uetera & magna in nos regum merita. Valeant & nunc eadem illa, non ut præcipuè amici, ſed ne præcipue inimici ſimus, ne id quod non agitur, Callicrates, ſimulauerimus. Nemo nouæ ſocietatis, aut noui fœderis, quo nos temere illigemus, conſcribẽdi eſt autor, ſed commercium tantum iuris præbendi, repetendiq; ſit, ne interdictione finium noſtrorum & nos quoq; regno arceamus, nec

Aliqua deſunt.

ſeruis

ſeruis noſtris aliquò fugere liceat. Quid hoc ad uerſus Romana fœdera eſt? Quid rem paruam & apertam magnam & ſuſpectam facimus? Quid uanos tumultus ciemus? Quid ut ipſi locũ aſſentãdi Romanis habeamus, ſuſpectos alios ac inuiſos efficimus? Si bellũ erit, ne Perſeus quidẽ dubitat quin Romanos ſecuturi ſimus, in pace etiã ſi non odia finiũtur, intermittãtur.

EX LIBRO SECVNDO QVINTAE DECADOS, qui XLII.

Argumentum in CLXXXIII.

Perſea regem Macedonum & à multis & ipſi Romani miſsis in Macedoniam legatis in eam rem, ſed alia ſpecie, bellum ſumma ui apparare audiuerant. Eumenes erat rex, cui à ſenatu maximus honos adiectis ipſius regno finitimis regionibus habitus erat. Ob hæc Romanorum in ſe merita, ad fidẽ ſuam pertinere ratus, uidere ne quid Romani caperent detrimenti, ea præſertim re, cui ſuo iudicio obſiſti ab ijs poſſet, Romam ueniens, nunciauit quidnam Perſeus moliretur, & qua ille fiducia tentare uellet. Poſtremo in hæc uerba rẽ totã confirmauit.

Eumenis regis in ſenatu oratio. 183.

NOn ego hęc incertis iactata rumoribus, & cupidius credita, quia uera eſſe de inimico crimina uolebam, affero ad uos

P.C. ſed cõperta et explorata, haud ſecus quàm ſi ſpeculator miſſus à uobis ſubiecta oculis referrem. Neq; relicto regno meo, quod amplum & egregium uos feciſtis, mare tantum traieciſſem ut uana ad uos afferendo, fidem abrogarẽ mihi. Cernebam nobiliſſimas Aſiæ & Græciæ ciuitates in dies magis denudanteis iudicia ſua, mox, ſi permitteretur, eò proceſſuras, unde receptum ad pœnitendum non haberent. Cernebam Perſea non continentem ſe Macedoniæ regno, alia armis occupantem, alia quæ ui ſubigi non poſſunt, fauore ac beneuolentia complectentem. Videbam quàm impar eſſet ſors, quũ ille uobis bellum, uos ei ſecuram pacem præſtaretis, quanquam mihi quidem non parare, ſed gerere penè bellum uidebatur. Abrupolim ſocium atq; amicum ueſtrum regno expulit. Artetarum Illyrium, quia ſcripta ab eo quædam uobis cõperit, ſocium item atq; amicum ueſtrũ interfecit. Euerſam & Callicritũ Thebanos, principes ciuitatis, quia liberius aduerſus eũ in concilio Bœotorũ locuti fuerãt, delaturosq; ad uos quæ agerentur, profeſſi erãt, tollendos curauit. Auxiliũ Byzantiis aduerſus fœdus tulit, Dolopiæ bella intulit. Theſſaliã & Doridem cum exercitu peruaſit, ut in bello inteſtino deterioris partis auxilio meliorem affligeret. Confudit et miſcuit omnia in Theſſalia Perrhœbiaq; ſpe

nouarum

nouarũ tabularũ, ut manu debitorũ obnoxia sibi optimates opprimeret. Hæc quũ uobis quiescentibus & patientibus fecerit, & concessam sibi Græciam esse à uobis uideat, pro certo habet neminem sibi antè quàm in Italiam traiecerit, armatum occursurum. Hoc quàm uobis tutũ aut honestum sit, uos uideritis, ego certe mihi turpe esse duxi prius Persea ad bellum inferendum, quàm me socium ad prædicendum ut caueretis, uenire in Italiam. Functus necessario mihi officio, & quodammodo liberata atq; exonerata fide mea, quid ultra facere possum, quàm uti Deos Deasq; precer, ut uos & uestræ Reip. & nobis socijs atq; amicis, qui ex uobis pendemus, consulatis?

Non ego hæc.) *Tota nunciatoria est, quæ non principium est totius orationis. Nam & multo plura* Liuius *sua persona refert.* Quàm si spe*culator.) Speculator cum magis significat, qui procùl mittitur, quidnam hostes faciant, facturi úe sint, cogniturus.* Explorator *ferè in propinquo consilium hostium peruestigat.* Index *is dicitur, qui factum occultum ad eos defert, ad quos aut pertinet, aut non pertinet.* Hinc indicium *demonstratio, atq; ut ita dicam, detectio facinoris clãdestini, sed per eũ qui eius conscius sit, impunitate*

L 4 pro-

proposita. Indicare, ita rem occultam deferre. Hæc fere in malũ accipiũtur. Indices uulgò appellamus decelatores. Hoc eo pluribus exposui, quod & paucis familiare sit, & Liuius in eam rem semper utatur. Subiecta oculis.) posita in oculis. Fidem abrogarem.) Fidem abrogare sibi, est aut mentiendo, aut agendo quæ ad fidem non pertinent, facere ne quid credatur. Vulgò dicimus perdere creditum suum erga aliquem. Non continentem se.) qui non contentus erat, cui non satis erat regnum. Quàm impar esset sors.) cõditio. Peruasit.) peragrauit, emensus est. Confudit & miscuit.) perturbauit, peruertit. Vt manu debitorum.) multitudine. Liberata atq; exonerata fide.) Hic rursus fides sumi uidetur pro conscientia. Et certe conscientia à fide non discrepat alio, quàm quod latius patet. Fidem intellige legem quandam, siue timorẽ, qui animum subijt ne uiolentur conuenta. Ita conscientia & religionem continet, & fidem, & iuris species, timor quidam scilicet, qui animis nostris iniectus est, ne quid eorum uiolemus. Hinc prouerbiũ natum, Conscientia mille testes. Alibi & de hoc ipso uocabulo dixi. Ex uobis pendemus.) quorum salus in uobis posita est.

Argumentum in CLXXXIIII.

P. erat Licinius consul, cui Macedonia prouin-

cia

cia obuenerat. Is ex autoritate Patrum legiones in Macedoniam contra Persea educturus, tribunis militum curam mandauerat citandi ueteres quosque milites, & centuriones. Iam illi cẽturiones, sed qui primos pilos alias duxissent, citabant, quum ex ijs qui citati erant, tres & uiginti tribunos ple. appellarunt. Agebatur res ad subsellia tribunorum, quò M. Popilius qui biennio antè consul fuerat, ueniẽs pro centurionibus uerba fecit. Licinius consul pro se ipse senatusconsultum recitari iußit, quo inter alia hòc quoque continebatur, ut ueteres cẽturiones ad bellum Macedonicum scriberentur, nec ulli qui maior annis quinquaginta non esset, ut uacatio militiæ concederetur. Itaq; deprecabatur ne à quoquam prohiberetur aßignare quem cuiq; ordinem ex Repu. uideretur. Sp. Ligustinus erat ex ijs qui tribunos ple. appellarãt. Is posteaquàm consul quæ uoluerat dixit, à consule & tribunis petijt, ut sibi aliquid ad populum agere liceret. Omnibus permittentibus in hanc sententiam suam causam egit.

Sp. Ligustini centurionis ad populum uerba, ne ipsi ordo inferior aßignaretur.

CLXXXIIII.

SPurius Ligustinus tribus Crustuminæ ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi iugerum agri reliquit, & paruum tugu-

proposita. Indicare, ita rem occultam deferre. Hæc fere in malũ accipiũtur. Indices uulgò appellamus decelatores. Hoc eo pluribus exposui, quod & paucis familiare sit, & Liuius in eam rem semper utatur. Subiecta oculis.) posita in oculis. Fidem abrogarem.) Fidem abrogare sibi, est aut mentiendo, aut agendo quæ ad fidem non pertinent, facere ne quid credatur. Vulgò dicimus perdere creditum suum erga aliquem. Non continentem se.) qui non contentus erat, cui non satis erat regnum. Quàm impar esset sors.) cõditio. Peruasit.) peragrauit, emensus est. Confudit & miscuit.) perturbauit, peruertit. Vt manu debitorum.) multitudine. Liberata atq; exonerata fide.) Hic rursus fides sumi uidetur pro conscientia. Et certe conscientia à fide non discrepat alio, quàm quod latius patet. Fidem intellige legem quandam, siue timorẽ, qui animum subijt ne uiolentur conuenta. Ita conscientia & religionem continet, & fidem, & iuris species, timor quidam scilicet, qui animis nostris iniectus est, ne quid eorum uiolemus. Hinc prouerbiũ natum, Conscientia mille testes. Alibi & de hoc ipso uocabulo dixi. Ex uobis pendemus.) quorum salus in uobis posita est.

Argumentum in CLXXXIIII.

P. erat Licinius consul, cui Macedonia prouincia

cia obuenerat. Is ex autoritate Patrum legiones in Macedoniam contra Persea educturus, tribunis militum curam mandauerat citandi ueteres quosque milites, & centuriones. Iam illi cẽturiones, sed qui primos pilos alias duxissent, citabant, quum ex ijs qui citati erant, tres & uiginti tribunos ple. appellarunt. Agebatur res ad subsellia tribunorum, quò M. Popilius qui biennio antè consul fuerat, ueniẽs pro centurionibus uerba fecit. Licinius consul pro se ipse senatusconsultum recitari iußit, quo inter alia hòc quoque continebatur, ut ueteres cẽturiones ad bellum Macedonicum scriberentur, nec ulli qui maior annis quinquaginta non esset, ut uacatio militiæ concederetur. Itaq; deprecabatur ne à quoquam prohiberetur aßignare quem cuiq; ordinem ex Repu. uideretur. Sp. Ligustinus erat ex ijs qui tribunos ple. appellarãt. Is posteaquàm consul quæ uoluerat dixit, à consule & tribunis petijt, ut sibi aliquid ad populum agere liceret. Omnibus permittentibus in hanc sententiam suam causam egit.

Sp. Ligustini centurionis ad populum uerba, ne ipsi ordo inferior aßignaretur.

CLXXXIIII.

SPurius Ligustinus tribus Crustuminæ ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi iugerum agri reliquit, & paruum tugu-

rium,in quo natus educatusq; sum, hodieq; ibi habito. Quum primum in ætatem ueni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit, quæ secum nihil attulit præter libertatem, pudicitiãq;, & cum his fœcunditatem quanta uel in diti domo satis esset. Sex filij nobis, duæ filiæ sunt, utræq; iam nuptæ. Filij togas uirileis habẽt, duo prætextati sunt. Miles sum factus P. Sulpitio C. Aurelio cõsulibus. In eo exercitu qui in Macedoniã est transportatus, bienniũ miles gregarius fui aduersus Philippũ regẽ, tertio anno uirtutis causa mihi T. Quintius Flaminius decumũ ordinẽ hastatũ assignauit. Deuicto Philippo, Macedonibusq;, quũ in Italiã portati ac dimissi essemus, cõtinuo miles uoluntarius cum M. Porcio consule in Hispaniã sum profectus. Neminem omniũ imperatorũ qui uiuant, acriorem uirtutis spectatorem ac iudicem fuisse sciunt, qui & illum et alios duces longa militia experti sunt. Hic me imperator dignũ iudicauit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret. Tertio iterum uolũtarius miles factus sum in eum exercitũ qui aduersus Aetolos & Antiochũ regem est missus, à M. Cælio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus. Expulso rege Antiocho, subactis Aetolis, reportati sumus in Italiã, & deinceps bis, quæ annua merebant legiones, stipendia feci. Bis deinde in Hi-
spania

ſpania militaui, ſemel Q. Fuluio Flacco, iterum T. Sempronio Graccho Prætoribus, à Flacco inter cæteros quos uirtutis cauſa ſecum ex prouincia ad triumphũ deducebat, deductus ſum à T. Graccho rogatus in prouinciã ij. Quater intra paucos annos primum pilum duxi, quater & tricies uirtutis cauſa donatus ab imperatoribus ſum, ſex ciuicas coronas accepi, 22. ſtipẽdia annua in exercitu emerita habeo, & maior ſum annis quinquaginta. Quod ſi mihi nec ſtipendia omnia emerita eſſent, nedum ætas uacationem daret, tamẽ quum quatuor milites pro me uno uobis dare, P. Licini, poſſem, æquum erat me dimitti. Sed hæc pro cauſa mea dicta accipiatis uelim, ipſe me quoad quiſquam qui exercitus ſcribit, idoneum militem iudicabit, nunquam ſum excuſaturus. Ordinem quo me dignum iudicent tribuni militum, ipſorũ eſt poteſtatis, ne quis me uirtute in exercitu præſtet, dabo operam, ut ſemper ita feciſſe me & imperatores mei, & qui unà ſtipendia fecerunt, teſtes ſunt. Vos quoque æquum eſt, commilitones, ſi appellationis uobis uſurpatis ius, quum adoleſcentes nihil aduerſus magiſtratuum ſenatusq́ꝫ autoritatem uſquã feceritis, nunc quoque in poteſtate ſenatus ac conſulum eſſe, & omnia honeſta loca ducere, quibus Remp. defenſuri ſitis.

Iuge-

Iugerum agri.) Budæus noster in *Asse* multis uerbis diligentißimè iugeri mensuram inuestigat. Ac eò tandem rem deducit, ut iugerum Romanū uulgare capere fateatur duodetriginta milia & octingentos pedes, Parisinum quadraginta octo milia & quadringentos pedes. Qui plura uelit, locū indicaui. *Filij togas uiriles.*) Ex hoc loco facile apparet prætextam fuisse etiam plebeiorum puerorum prius quàm togam uirilem sumerent. *Decumum ordinem hastatum.*) Hastati erāt, qui in prima acie pugnam occipiebant, ut alio loco ex Liuio docui. Ordo hastatus dicitur is, in quo hastati erāt. Decumum ordinem uocat decimū, sicut Cicero in Verrem decumam appellat, decimam partem frugum quæ ex iugero alijsque agris capiebantur (hodie decimas dicimus) uel legendum est Decumanū, quo nomine antiqui quidlibet magnum significabant, ut intelligatur magnus ordo hastatus ei aßignatus fuisse. Nam multos ordines hastatorum fuisse suprà ostendi. *Miles uoluntarius.*) dicebatur qui uoluntate atq; sponte sua, etiam si cogi non posset, nomina militiæ dabat. *Primus princeps.*) Centurio prioris centuriæ. Nam Liuius autor est, quum plures Romæ ordines militum fuerint, ordinem unumquenq; duos centuriones habuisse, unum uexillarium, quem hic primum principem appellat,

lat, nisi primus pilus, aut primipilus legendum sit. Sex ciuicas.) Ciuica corona erat, quæ à milite dabatur ei à quo seruatus in bello fuisset, tanquam testis salutis ac uitæ retentæ. Multa Gellius libro 5 præcipit. Stipendia annua.) Virtutis causa concessa. Ita cogi non poterat. Necdum ætas uacationem daret.) nec adhuc ætas mea me à militiæ munere uindicaret. Nam ex senatusconsulto ij modo scribi poterant, qui maiores annis quinquaginta nõ essent. Ordinem, quo me.) Aut nominandi casu ordo legi debet, aut certe uerbum aßignare siue attribuere intelligendum. Si appellationis.) prouocationis ad tribu. pleb.

Argumentum in CLXXXV.

Quo prope tempore in Macedoniam P. Licinius cõsul, cui ea prouincia obuenerat, legiones trãsportare pararet, quinq; legati, in quibus Qu. Martius, & A. Attilius erant, mißi in Græciam. Ii regiones ad quas profecturi erant, ita inter se diuiserant cum militibus, ut Martio & Attilio Epirus Aetolia & Thessalia circumeundæ aßignarentur, unde in Bœotiam & Eubœam transirent, inde uero in Peloponnesum traijcerent. Iam prius quàm à Corcyra digrederentur legati, à Perseo allatæ erant literæ, quibus inter alia ille quærebat, quænam esset causa Romanis in Græciam traijciendi copias, aut

urbes

urbes occupandi. Iis nullum responsum aliud dare placuit, quàm quod legatis datum negotium erat, ut regi nunciarent, præsidij tantum causa profectos. Quum uerò Martius & Attilius obeũtes regiones attributas, iam in Thessaliã peruenissent, legati rursus à Perseo uenerũt, qui facta dicendi potestate petierũt, uti regi fieret potestas in colloquiũ ueniẽdi. Martius nõ immemor hospitij Philippi regis, nõ grauatè cõcessit. Datis itaq; obsidibus nihil fraudis facturos Macedonas, consederũt Martius et Perseus, ac prior Martius ita quæ de Perseo iactata erãt ab Eumene, retulit. Ea deinde Perseus refutat.

Qu. Martij legati Rom. ad Persea regem Macedonum uerba. CLXXXV.

EXpectari nos arbitror, ut respondeamus literis tuis, quas Corcyram misisti, in quibus quæris, quid ita legati cum militibus uenerimus, & præsidia in singulas urbes dimittamus. Ad hanc interrogationem tuam & non respondere uereor, ne superbum sit, & uera respõdere, ne nimis acerbum audienti tibi uideatur. Sed quũ aut uerbis castigandus aut armis sit, qui fœdus rumpit, sicut bellum aduersus te alij quàm mihi mandatũ malim, ita orationis acerbitatem aduersus hospitem, utcũq; est, subibo, sicut medici, quũ salutis causa tristiora remedia adhibent. Ex quo regnum adeptus es, unã

tẽ te, quæ facienda fuerit, ſenatus feciſſe cenſet, quod legatos Romã ad renouandũ fœdus miſſos eſſe iudicat potius, quàm quũ renouatũ eſſet, uiolandũ. Abrypolim ſociũ atq; amicũ populi Ro. regno expuliſti, Artetari interfectores ut cæde (ne quid ultra dicã) lætatũ appareret, recepiſti, qui omniũ Illyricorum fidiſſimũ Romano nomini regulũ occiderant. Per Theſſaliam & Malienſem agrum cũ exercitu contra fœdus Delphos iſti, Byzãtijs itẽ cõtra fœdus miſiſti auxilia. Cũ Bœotijs ſocijs noſtris ſecretã tibiipſi ſocietatẽ, quã non licebat, iureiurando pepigiſti. Thebanos legatos Euerſam & Callicritũ uenientes à nobis quærere malo quis interfecerit, quã arguere. In Aetolia bellũ inteſtinũ, et cędes principum per quos niſi per tuos factæ uideri poſſunt? Dolopes à teipſo euaſtati ſunt. Eumenes rex ab Roma quũ in regnũ rediret, propè ut uictima Delphis in ſacrato loco ante aras mactatus quem inſimulet, piget referre. Quæ hoſpes Brũduſinus occulta facinora indicet, certũ habeo & ſcripta tibi omnia ab Roma eſſe, & legatos tuos renũciaſſe. Hęc ne dicerẽtur à me, uno modo uitare potuiſti, nõ quærẽdo quã ob cauſam exercitus in Macedoniam traijcerẽtur, aut præſidia in ſociorũ urbes mitteremus. Quærẽti tibi ſuperbius tacuiſſemus, quàm uera reſpõdimus. Equidem pro paterno noſtro hoſpitio

fauco

faueo orationi tuæ,& opto ut aliquã mihi materiã præbeas agendæ tuæ apud senatũ causæ.

Expectari nos.)*Tota nunciatoria est,quæ monitionis magis quàm criminationis speciem gerit. Sed quum aut uerbis.) Castigatio est dubitationis.* Tristiora remedia.)*acerbiora,acriora.* Adhibent.)*uerbum est medicorum peculiare, pro eo quod adiungere & applicare ad curationem dicimus.* Recepisti.)*aut fugientes in tutelam accepisti,aut quod uulgò dicimus,recelasti.* Delphos isti)*pro iuisti.* Bonam *partem eorum quæ hic obijciuntur, primo argumento huius retuli.* Eumenes rex.)*Perseus* Euandrum *Cretensem et tres* Macedonas *assuctos iam multo antè ministerijs faciendæ cædis,ad cædem* Eumenis *subornarat.* Ii *uerò regem per aliam speciem secuti* Delphos *ascendentẽ, nihil aliud quàm opportunitatem loci quærentes, forte maceriam,quæ iam à fundamento paulum extabat,inueniunt,quam ad facinus deligunt.* Post *eã maceriam se abdentes,in prætereuntem regem saxa duo ingentis molis deuoluunt,quorum altero caput ictum est regi,altero humerus ita sopitus,ut fama de morte non in regnum solum & ad fratres, sed* Romã *quoq; perlata sit.* Facinora indicet.) *denunciet.* Proximis *annotationibus per occasionẽ exposuimus.* Pro paterno nostro.) Nam *Martio*

tio cũ Philippo rege Persei patre hospitiũ fuerat.

Persei ad ea responsum. CLXXXVI.

BOnam causam, si apud iudices æquos ageretur, apud eosdem et accusatores & iudices agam. Eorum autem quæ obiecta sunt mihi, partim ea sunt quibus nescio an gloriari debeam, partim quæ fateri non erubescã, partim quæ uerbo obiecta, uerbo negare sit. Quid enim si legibus uestris hodie reus sim, aut index Brundusinus, aut Eumenes mihi obijciat, ut accusare potius uerè quàm conuitiari uideantur? Scilicet nec Eumenes, quum tã multis grauis publicè ac priuatim sit, alium quàm me inimicum habuit, neq; ego potiorem quenquam ad ministeria facinorum, quàm Rammium, quem neq; unquam antè uideram, nec erã postea uisurus, inuenire potui, & Thebanorũ, quos naufragio perisse constat, & Artetari cædis mihi reddenda ratio est, in qua tamen nihil ultra obijcitur, quàm interfectores eius in regno exulasse meo. Cuius conditionis iniquitatem ita non sum recusaturus, si uos quoq; accipitis ut quicunq; exules in Italiam aut Romã se contulerunt, his facinorum propter quæ dãnati sunt, autores uos fuisse fateamini. Si hoc et uos recusabitis, & omnes aliæ gentes, ego quoque inter cæteros ero. Et hercule quid attinet cuiquam exilium patere, si nusquam exuli fu-

turus locus est? Ego tamen istos ut primum in Macedonia esse admonitus à uobis cōperi, requisitos ex regno abire iussi, & in perpetuū interdixi finibus meis. Et hæc quidem mihi tanquā causam diceri reo obiecta sunt, illa tanquā regi, & quæ de fœdere, quod mihi uobiscū, disceptationē habeāt. Nā si est in fœdere ita scriptū, ut ne si bellū quidem quis inferat, tueri me regnūq; meū liceat, mihi fatendū est, quòd me armis aduersus Abrypolim sociū populi Rom. defenderim, fœdus uiolatū esse. Sin autē hoc et ex fœdere licuit, et iure gentiū ita comparatū est ut arma armis propulsentur, quid tandē me facere decuit, quū Abrypolis fineis mei regni usq; ad Amphipolim peruastasset? multa libera capita, magnā uim mancipiorū, multa milia pecorū abegisset? Quiescerē & paterer, donec Pellā & in regiā meam armatus peruenisset? At enim bello quidē iusto sum persecutus, sed uinci nō oportuit eum, neq; ea quę uictis accidunt, pati, quorum casum quū ego subierim, qui sum armis lacessitus, quid potest queri sibi accidisse, qui belli causa fuit? Non sum eodem modo defensurus, Romani, quòd Dolopas armis coërcuerim, quia etsi nō merito eorū, iure feci meo, quum mei regni, meæ ditionis essent, uestro decreto patri attributi meo. Nec, si causa reddēda sit, nō uobis nec fœderatis, sed ijs qui ne in ser-
nos

uos quidē sæua atq; iniusta imperia probant, plus æquo & bono sæuisse in eos uideri possum. Quippe Euphranorē pręfectū à me impositū ita occiderūt, ut mors pœnarū eius leuissima fuerit. At quū processissem inde ad uidendas Larissam & Antrona & Pylleō, quo in propinquo multo antè debita uota persoluerē, Delphos sacrificādi causa ascēdi. Et hic criminis augēdi causa cū exercitu me fuisse adijcitur, scilicet ut quod nūc uos facere queror, urbes occuparē, arcibus imponerē præsidia. Vocare in cōciliū Græciæ ciuitates, per quas iter feci si queratur unusquilibet militis mei iniuriā, nō recusabo quin simulato sacrificio aliud petisse uidear. Aetolis & Byzātijs præsidia misimus, & cū Bœotijs amicitiā fecimus. Hæc qualiacūq; sunt per legatos meos nō solū indicata, sed etiā excusata sunt sæpe in senatu uestro, ubi aliquos ego disceptatores non tam æquos, quàm te Q. Marci paternum amicum & hospitem habebā. Sed nondum Romā accusator Eumenes uenerat, qui calumniando omnia detorquendoq;, suspecta & inuisa efficeret, & persuadere uobis conaretur, non posse Gręciam in libertate esse, & uestro munere frui, quoad regnū Macedoniæ incolume esset. Circūagetur hic orbis, erit mox qui arguat nequicquam Antiochum ultra iuga Tauri remotum, grauiorem multo Asiæ, quàm

Antiochus fuerit, Eumenem esse, nec conquiescere socios uestros posse, quoad regia Pergami sit, eam arcem supra capita finitimarum ciuitatum impositam. Ego hæc, Q. Marci & A. Attili, quæ aut à uobis obiecta, aut purgata à me sunt, talia esse scio, ut aures, ut animi audientiū sint, nec tam referre quid ego, aut qua mente fecerim, quàm quomodo id uos factum accipiatis. Conscius mihi sum, nihil me scientem deliquisse, & si quid fecerim imprudentia lapsus, corrigi me & emendari castigatione hac posse. Nihil certe insanabile, nec quod bello & armis persequendum esse censeatis, commisi, aut frustra clementiæ grauitatisq; uestræ fama uulgata per gētes est, si talibus de causis, quæ uix querela & expostulatione dignæ sunt, arma capitis & regibus socijs bella infertis.

Bonam causam.) Refutatio est criminum obiectorum, in qua exordium ducitur à genere accusatorum. Coniuncta est causa. *Eorum autem.)* Diuisio. *Tam multis grauis.)* moles tus, imperiosus. *Potiorem quenquam.)* aptiorem, paratiorem, accommodatiorem. *Cuius conditionis.)* Vniuersali particulare destruit miro artificio, uelut à simili ducto argumento. *His facinorum.)* hæc pertinent ad uocem autores, id est, siue suasores, siue causa. *Sin autem.)* Ostendit bellū susceptum aduer-

ſus Abrypolim iuſtum fuiße tum pacto, tum æquo.

At enim.) Præſumptio. Debita uota perſoluerem.) quod uulgò dicimus, adimplerem uota quibus tenebar. Nã debeo ſæpe pro obligari ſumitur.

Per quas iter feci.) tranſij, traieci. Si quærantur.) Aſcenſiani codices, Si non habent, connexionis uirtus ipſum uidetur deſiderare. Incolume eſſet.) ſtaret, maneret, ſaluum eſſet. Quoad regia.) Hinc collige regum ueterum certo quodam in oppido hoſpitium fuiſſe.

Argumentum in CLXXXVII.

Perſeus quum regreßi legati, quos purgãdi cauſa Romam autore Qu. Martio legato miſerat, ſpẽ pacis omnino præciderent, ad cogitatum iam multo antè bellum animum intendebat. Poſt paucos in de dies concilio habito, quum fama conſtaret, P. Licinium conſulem cum exercitu aduentare, ille inter alia quibus ſuorum animos præparauerat, facilem uictoriam uel ex hoc ſibi ſuisq; pollicebatur, & quòd numero, & quod militum genere Romanis præſtarent. Ac eò adhortando ſuos adduxerat, ut ſublato clamore cum frequenti aßenſu magna pars eum bonum modo animum habere iuberet, ſe paratos alij dicerent quicquid imperaſſet, impigrè præſtare. Ita confirmatis militum animis, ipſe ad obſidendas oppugnandasq; circà ciuitates cum copijs

proficiſcitur. Forte Pheræos agros, qui erant ditionis & regni Eumenis, peruaſtari ab eo in caſtra Romanorum nuncius attulerat. Quo periculo motus ipſe Eumenes rem ad P. Licinium conſulem defert. Conſilium de ea re captum ante quàm finiretur, affertur hoſtes magno numero haud procul abeſſe, itaq; ſignum extemplo datũ. Bis inde congreſſi, primum ignari utri uicti, an uictores exceſſere. Poſtero die ad eũdem locum Perſeus caſtra mouit, tandem manu conſertum eſt. Eo prælio uicti Romani, in quo ſpolia cæſorum, & multi uiui in Perſei uenere poteſtatem, quæ inter milites diuiſit. Romanos uictos non mœſtitia modo, ſed etiam pauor tenebat, ne extemplo caſtra hoſtis aggrederetur. In qua trepidatione conſilium attulit Eumenes, ſi caſtra trans Peneum amnem transferrentur, in tuto omnia fore. Quod iam factum eſſe quum Perſeus poſtridie cerneret, peccatũ eſſe grauiter faſſus eſt, quod pridie uictis non inſtitiſſet, multo tamen magis, quòd nocte foret ceſſatum. Ille nihilominus elato animo ſuos ad concionem uocat, ad quos in hũc modum de uictoria uerba fecit.

Perſei ad ſuos de uictoria contra Romanos concio. CLXXXVII.

PRæiudicatum euentum belli habetis, meliorem partem hoſtium, equitatum Romanum, quo inuictos ſe eſſe gloriaban-

tur, fudiſtis. Equites enim illis principes iuuentutis, equites ſeminarium ſenatus, inde lectos in patrum numerum conſules, inde imperatores creant. Horum ſpolia paulo antè diuiſimus inter uos. Nec minorem de legionibus peditũ uictoriam habetis, quæ nocturna fuga uobis ſubtractæ, naufragorum trepidatione paſſim natantium, flumen compleuerunt. Sed facilius nobis ſequentibus uictos Peneum ſuperare erit, quàm illis trepidantibus fuit, tranſgreſſiq; extemplo caſtra oppugnabimus, quæ hodie cepiſſemus, niſi fugiſſent. Aut ſi acie decernere uolent, eundem pedeſtris pugnæ euentum expectate, qui equitum in certamine fuerit.

Præiudicatum euentum.) prædictum, & antè uiſum & animaduerſum exitum, caſum. Inde le*ctos.) ex equitibus minus quàm ex ſenatu.* Nã *principio rei* Roman*æ nemo conſul creabatur, niſi patricius.* Inde *imperatores.) ex conſulibus, quod rerum ſummæ atq; adminiſtrationi præeſſent.* Horum *ſpolia.) equitum.* Ducenti *enim eo prælio cecidiſſe à* Liuio *referuntur.* Hoc *ipſum etiam confirmat quod mox ſubijcit, eundem fore pedeſtris pugnæ euentum, qui equeſtris fuiſſet.* Idem *rurſus proximus ſenſus demonſtrat* Nec *minorem de legionibus.* Acie decernere.) *certare.*

EX LIBRO QVARTO (NAM IN TERTIO nulla est) qui XLIIII.

Argumentum in CLXXXVIII.

Creati erant consules L. *Aemilius Paulus, &* C. *Licinius Crassus, quorum Paulo Macedonia obuenerat. Extemplo in prouinciam eum profecturũ credebant, decretis omnibus quæ ei bello Macedonico usui essent, apparebatq; omnibus non segniter eum id bellum gesturum, quod crederetur iam multo antè agitare solere quæ ad id ipsum bellum pertinerent, quum petit, ut legati eò præmitterentur, qui rerum omnium illic statum cognoscerent. Ac perpaucis inde diebus quum in senatu in expectatione patres essent quidnam ille de prouincia referret, quum nihil se habere dixisset, quod legati nondum rediissent, se extemplo nihil fore in mora quin proficisceretur, ubi redissent, interim ciuitatum legationes audiri posse, ille confestim è curia in concionem progressus ita ad populum de suo imperio uerba fecit.*

L. *Aemilij Pauli consulis ad populũ concio.* CLXXXVIII

ANimaduertisse uideor, Quirites, maiorem mihi sortito Macedoniã prouinciã gratulationem factam, quàm quũ aut *consul*

consul essem cõsalutatus, aut quo die magistra tũ inissem, neq; id ob aliã causam, quàm quia bello in Macedonia, quod diu trahitur, existimastis dignum maiestate populi Romani exitum per me imponi posse. Deos quoq; huic fa uisse sorti spero, eosdemq; in rebus agendis affuturos esse. Hæc partim opinari, partim sperare possum. Illud affirmare pro certo habeo audeoq;, me omni ope adnisurum esse, ne frustra uos hanc spem de me conceperitis. Quæ ad bel lum opus sunt, & senatus decreuit, & (quoniã extemplo proficisci placet, neq; ego in mora sum) C. Licinius collega uir egregius æque eni xè parabit ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos quæ scripsero senatui aut uobis, credite, ru mores credulitate uestra ne alatis, quorum autor nemo extabit. Nam nunc quidẽ (quod uul gò fieri hoc præcipuè bello animaduertit) nemo tam famæ contemptor est, cuius non debilitari animus possit. In omnibus circulis, atq; etiam (si dijs placet) in conuiuijs sunt qui exercitus in Macedoniam ducant, ubi castra locanda sint sciant, quæ loca præsidijs occupanda, quã do aut quo saltu intranda Macedonia, ubi horrea ponenda, quà terra mariq; subuehantur cõ meatus, quãdo cum hoste manus conserendæ, quando quiescendum sit. Nec quid melius faciendum sit, modò statuũt, sed quicquid aliter

quàm ipsi censuere, factum est, consulem ueluti dicta die accusant. Hæc magna impedimenta res gerẽtibus sunt. Neq; enim omnes tam firmi & constantis animi contra aduersum rumorem esse possent, quàm Fabius fuit, qui suum imperium minui per uanitatẽ populi maluit, quàm sequũda fama malè rẽ gerere. Nõ sum is qui non existimẽ admonendos duces esse, imò eum, qui de sua unius sententia omnia gerat, superbum iudico magis, quàm sapientẽ. Quid ergo est? Primum à prudentibus, & propriè rei militaris peritis, & usu doctis, monendi imperatores sunt, deinde ab ijs qui intersunt gerendis loco, qui hostem, qui temporum opportunitatem uident, qui in eodẽ uelut nauigio participes sunt periculi. Itaq; si quis est, qui quod è Repub. sit, suadere se mihi in eo bello quod gesturus sum, confidat, ne deneget operã Reip. & in Macedoniam mecum ueniat, naue, equo, tabernaculo, uiatico etiam à me iuuabitur. Si quem facere id piget, ocium urbanum militiæ laboribus præoptat, è terra ne gubernauerit. Sermonum satis ipsa præbet urbs, loquacitatẽ suam contineat, nos castrensibus consilijs contentos futuros esse sciat.

Mihi sortito.) adepto & consecuto per sortem cui obuenisset Macedonia prouincia. Prouinciæ aut sorte obueniebant, aut decernebantur. Licebat

tamen

tamen non sortiri. Nam *sæpe à patribus decretum fuisse apud* Liuium *reperias, ut consules aut sortirentur prouincias, aut compararent inter se*. Liuius XLII. *ab* Vrbe, *Senatusconsultum inde factum est, ut consules inter se prouincias* Italiam *&* Macedoniam *compararent, sortirenturue*. Magistratum inissem.) Magistratus *quo die renunciati à tribubus aut centurijs erant, non continuo ius ac potestatem eius sua ipsorum autoritate assumebant, sed dies aliquot interijciebantur, nisi patres censuissent ut quàm primum ius ipsum obtinerent*. Quum *ius ipsum obtinebant, tum primum inire magistratum dicebantur*. Affuturos esse.) *auxilium & opem laturos, si res poscat*. Vos quæ scripsero.) Hinc *propè ad finem rumorum incertorum damnat autores, & quatenus à quibusq; imperatores admonendi sint*.

Quàm Fabius fuit.) De *hoc* Fabio *multa retulimus alio loco, cuius dictaturæ magisterium equitum* Minutij *æquatum fuit imperio, quòd rumores afferrent, segniorem eum esse, ac negligentius rem gerere*. Ne deneget.) Notandæ *sunt uocum proprietates*. Petit *qui rem ab alio rogat, qui rogatur, aut impendit quod petitũ est, aut abnuit dare*. Hòc *denegare est, illud concedere*.

Tabernaculo.) *locus est & tanquam cella in*

castris

castris quæ cuiq; ad quietem & receptum attribuitur. Hinc prætorium, prætoris tabernaculum.
E terra ne gubernauerit.) uidetur hic locus corruptus atq; deprauatus.

Argumentum in CLXXXIX.

Gestis aliquot prælijs continuos dies, quum magno labore Macedonas Romani persequerentur, Perseus insequenti die suos in aciem educit consilio congrediendi cum Romanis. Iam tum ad meridiem hora diei uergebat, tempus anni post circum actum solstitium erat, iter multo puluere oppletū, sol incalescebat, laßitudo & sitis iam sentiebātur. In tanta rerum omnium iniquitate tamen Romani alacres nihil malebant, quàm cum hoste integro et recenti congredi. Itaq; per simulationem Aemilius consul circumeundo singulos ordines adhortari nō desistebat ad certamen militum animos. At quum increscente solis æstu, simul sensim uultus uigor, uocūq; contentio imminui, quidam incumbentes scutis, nixiq; pilis stare uiderentur, tum imperat Paulus, ut frontem castrorum metarentur, qua re læti milites facti sunt. Tum legati multi atq; duces erāt qui pugnaturum consulem credebant. Silentibus itaq; alijs, unus P. Nasica extitit qui ausus est monere consulem, ne uincendi oblatam occasionem omitteret. Cui respondit se didicisse multis belli casibus

ſibus, quando pugnandum, quãdo abſtinendum pugna eſſet, aliaq; multa, quibus auditis conticuit adoleſcens. Poſtero die aduocata concione ita rationem pugnæ dilatæ ſuis reddidit.

Oratio L. Aemilij Pauli conſulis ad milites. CLXXXIX.

PVb. Naſica egregius adoleſcẽs ex omnib. unus quibus heſterna die pugnari placuit, denudauit mihi ſuum conſilium, idẽ poſtea, ita ut tranſiſſe in meam ſententiam uideri poſſet, tacuit. Quibuſdam alijs abſentem carpere imperatorem, quàm præſentem monere melius uiſum eſt, & tibi, P. Naſica, & quicunque idem, quod tu, occultius ſenſerunt, nõ grauabor reddere dilatæ pugnæ rationem. Nam tantum abeſt, ut me heſternæ quietis pœniteat, ut ſeruatum à me exercitum eo cõſilio credam. In qua me opinione eſſe ne quis ſine cauſa ueſtrûm credat, recognoſcat agedum mecum ſi uidetur, quàm multa pro hoſte, & aduerſus nos fuerint. Iam omnium primum quantum numero nos præſtent, neminem ueſtrûm necantè ignoraſſe, & heſterno die implicatam intuenteis aciem animaduertiſſe certũ habeo. Ex hac noſtra paucitate quarta pars militum præſidio impedimentis relicta erat, nec ignauiſſimum quenq; relinqui ad cuſtodiam ſarcinarum ſcitis. Sed fuerimus omnes, paruum hoc tandem

esse credimus, quod ex his castris in quibus hac nocte mãsimus, exituri in aciem hodierno, aut ad summũ crastino die, si ita uidebitur, Dijs bene iuuãtibus sumus? Nihilne interest, utrũ milité quẽ neq; uiæ labor hodie, neq; operis fatigauerit, requietũ, integrũ, in tẽtorio suo arma capere iubeas, atq; in aciẽ plenũ uiriũ, uigentẽ & corpore & animo educas, an longo itinere fatigatũ, & onere fessum, madentẽ sudore, ardẽtibus siti faucibus, ore atq; oculis repletis puluere, torrentẽ meridiano sole hosti obijcias recenti, quieto, qui nulla re antè cõsumptas uires ad præliũ afferat? Qui prò Deûm fidẽ ita cõparatus uel iners atq; imbellis fortissimũ uirũ nõ uicerit? Quid? quòd hostes per summũ otium instruxerant aciem, reparauerant animos, stabãt compositi suis quisq; ordinibus, nobis tunc repente trepidãdum in acie instruenda erat, & incompositis concurrendum. At hercule aciẽ quidem inconditam inordinatamq; habuissemus, castra munita, prouisam aquationem, tutũ ad eam iter præsidijs impositis, explorata circà omnia, an nihil nostri habentes præter nudum campum, in quo pugnaremus? Maiores uestri castra munita, portũ ad omnes casus exercitus ducebant esse, unde ad pugnã exirẽt, quò iactati tẽpestate pugnæ, receptũ haberẽt. Ideo quũ munimentis ea sepsissent, præsidio quoque ua-

lido

lido firmabant, quòd qui castris exutus erat, etiam si pugnando acie uicisset, pro uicto haberetur. Castra sunt uictori receptaculum, uicto perfugium. Quàm multi exercitus quibus minus prospera pugnæ fortuna fuit, intra uallũ compulsi, tempore suo interdũ momento pòst eruptione facta uictorem hostem pepulerunt? Patria altera est militaris hæc sedes, uallũq; pro mœnibus, & tentoriũ suum cuiq; militi domus ac penates sunt. Sine ulla sede uagi dimicassemus, * ut quò uictores nos reciperemus? His difficultatibus & impedimẽtis pugnæ illud opponitur, quid si hostis hac interposita nocte abisset, quantum rursum sequendo eo penitus in ultimam Macedoniã exhauriendũ laboris erat? Ego autem neq; mansurum eum, neq; in aciẽ copias educturũ fuisse certum habeo, si cedere hinc statuisset. Quãto enim facilius abire fuit, quũ procul essemus, quàm nunc, quũ in ceruicibus sumus, nec falleret nos nec interdiu nec nocte abeũdo? Quid autẽ est nobis aptius quã ut quorũ castra præalta fluminis ripa tuta, uallo insuper septa, ac crebris turribus, oppugnare adorti sumus, eos relictis munimentis agmine effuso abeũtes in patẽtibus cãpis ab tergo adoriamur? Hę dilatę pugnę ex hesterno die in hodiernũ causę fuerũt. Pugnare enim & mihi placet, et ideo quia per Empeũ amnẽ septa ad hostẽ

Videtur magis desiderari Ignari pro Vt.

uia

uia erat, alio saltu, deiectis hostiũ præsidijs nouum iter aperui, neq; priusquàm debellauero, absistam.

P. Nasica.) *Est uelut defensio & purgatio dilatæ pugnæ. Exordium ducitur à re cum causa coniuncta.* Denudauit mihi.) *aperuit, exposuit, declarauit.* Non grauabor.) *non molestum erit mihi.* Recognoscat agedum.) *reputet, perpendat.*

Sed fuerimus omnes.) ponamus nos omnes fuisse, nullumq; relictum ad custodiam sarcinarum. Paruũ hoc.) parui momenti. Nihilne interest.) Comparat omnia ea quæ eo ipso die quo hanc orationem habuit, adiuuabant bellum cum ijs quæ pridie obfuißent. Videtur amplificatio per congeriẽ.

Hosti obijcias.) opponas. Ita comparatus.) instructus, affectus. Vel iners.) etiam. Maiores uestri.) Castrorum commoda lepidè refert. Patria altera.) Vide quid castris effici censeat. Et tentorium suum cuiq;.) Quod suprà tabernaculum uocauit, hic appellat tentorium, nisi credimus tentorium latius patêre, tabernaculum magis stratuum duntaxat fuisse. Vtcunque habet, ex hoc loco facile apparet, suum cuique militi tentorium fuiße, in quod tanquam domum suam se recipiebat.

EX

EX LIBRO QVINTO QVINTAE DECADOS, QUI XLV.

Argumentum in CXC.

Samothracam oppidum claßis Cn. Octauij, cui obuenerat, appulsa erat, ubi quum L. Attilius illustris adolescens populum ipsum in concione esse audiret, petijt ut sibi alloquendi populi fieret potestas. Permisso, quærere cœpit, utrum ea insula falso sacra, atq; inuiolati soli eßet. Cui quum responsum esset uere sanctam esse, Quid igitur, inquit, pollutam sanguine Eumenis regis homicida uiolauit? Tum alijs iactatis, summum magistratum ad Persea mittunt, qui nunciaret Euandrum Cretensem (is est quo usus erat ad ministerium cædis Eumenis faciẽdæ Delphis.) argui cædis. Perseus euocato Euandro rem totam exponit, qui quamuis se mortem subiturũ eße, quàm quæ iudicio statueretur, dixerat. at quum fuga salutẽ sibi quærere uelle uideretur, interfici iußit Perseus. Eo uerò facinore in amicũ per tot casus expertum perpetrato, ita omnium ab se animos abalienauit, ut omnes ad Romanos trãsirent, ille propè solus relictus fugæ consilium capere cogeretur. Oraandem itaq; quendam Cretensem ad se uocat, cui mandat ut se ad Cotym deueheret. Rex nocte media ad littus profectus, quum in portu

nauem non inueniret (nam primis tenebris solue-rat) uagatus aliquandiu frustra in littore, quum lux appeteret, non ausus in hospitium redire, in templo prope angulum quendam obscurum delituit. Interim per præconem ex Cn. Octauio pronunciatur, regios liberos, Macedonasq; alios, si transirent ad Romanos, libertatem suaque omnia seruaturos. Ad eam uocem omnes transeunt, regijq; liberi Octauio traditi præter Philippum maximum natu, qui cum rege relictus est. Quod quum ad Persea allatum esset, tum se filiumq; Octauio permisit. Paucis post diebus Cn. Octauius Perseum in castra ad Paulum consulem mittit, præmißis literis quibus monebat, regem in ipsius fore potestate qui adduceretur. His recitatis, Qu. Aelium Tuberonem ei mittit obuiam, cæteros in prætorio manere iubet. Iam in prætorium introducebatur, quum Paulus consul aliquantum progressus regi dextram porrigit, summittentemque se ad pedes comiter tollit, nec attingere genua passus, introductum in tabernaculũ considere aduersus aduocatos in consilium iußit. Tum uerò quum ab eo rogatus, qua tandem motus iniuria bellum aduersus Romanos suscepißet, quo se regnumque in ultimum discrimen adduxerat, terram intuens, diu tacitus fleret, rursus consul ita eum alloqui cœpit.

Verba

Verba L. Aemilij ad Perseũ, qui se permiserat Romanis. CXC.

SI iuuenis regnum accepisses, minus equidem mirarer ignorasse te quàm grauis aut amicus aut inimicus esset populus Romanus, nunc uerò quum & bello patris tui quod nobiscũ gessit, interfuisses, et pacis postea, quã cum summa fide aduersus eum coluimus, meminisses, quòd consilium, quorum & uim bello, & fidem in pace expertus esses, cum ijs tibi bellum esse quàm pacem malles? (Nec interrogatus, nec accusatus quum responderet) utcunque tamen hæc, siue errore humano, seu casu, seu necessitate inciderunt, bonum animũ habe, multorum regum, populorum casibus cognita populi Romani clementia non modo spem tibi, sed propè certam fiduciam salutis præbet. Hæc Græco sermone Perseo, Latinè deinde suis) Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. Vobis hoc præcipuè dico, iuuenes, ideo in sequundis rebus nihil in quenquam superbè ac uiolenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, quum quid uesper ferat, incertum sit. Is demum uir erit, cuius animum nec prospera flatu suo efferet, nec aduersa infringet.

Aduersus eũ coluimus.) erga eum sanctè seruauimus. Casibus cognita.) fortuna aduersa, & exitu infelici rerum perspecta. Exemplum insigne.) Rerum humanarum mutationem, & fortunæ mobilitatem scitè pariter ac piè proponit. Consulere decet.) statuere, tractare & agere cum aliquo. Nec præsenti credere.) committere, siue magis confidere. Quum quid uesper.) Prouerbium est eiusdem omnino generis, cuius illud ipsum quod Varro Satyræ titulum prætulit, Nescis quid uesper uehat. Eo admonemur, ne præsenti dulcedine capti, futuri temporis, quod ab hoc longe diuersum esse potest, omnino rationem & curam abijciamus negligamusq;. Is demum uir erit.) is solum. Hoc præcepto modestia atq; moderatio commendatur, animiq; magnitudo. Multa Cicero in Officijs. Flatu suo efferet.) Fortuna tum dicitur flare, quum fauet nobis, reflare contrà, quum deijcit nos, & nouerca est. Hoc ex rotæ mobilitate cognoscitur, quæ si à fortuna moueatur, efferuntur & tolluntur qui ad imum stabant, & contrà ubi rursus deuoluit rotam, tum qui elati erant, deprimuntur. Ita alijs atque alijs flare & reflare dicitur. Infringet.) imminuet, deijciet.

Argumentum in CXCI.

Rhodios multis legationibus in Græciã factis appa-

apparuerat Romanis iam inde ab initio belli Macedonici Perseo regi fauisse. Quod suum consilium qua fraude ac simulatione poterant, semper texerunt. Ac ut magis pro Romanis quàm pro Perseo stare uiderentur, in magnis belli Macedonici tumultibus Romam legatos misere, qui eo bello uastari suos fines dicerent, agerentq; de pace cum Perseo cōponenda. Inter alia, legati uerba quædam effutiuerant, ex quibus facile intelligi poterat & inita à Rhodijs contra populū Romanum sæpe consilia, & ea quæ tum dicerentur, per fraudem modò iactari. Itaq; Romani nihil legatis aliud responderunt, quàm quod finito eo bello, quod breui futurum erat, ciuitates sua quæq; præmia ex impensis in id bellum factis, & laboribus exhaustis acceptura essent. Perseo uerò capto & uicto legatos rursus Romam mittunt, qui in ueste candida Romanis gratularentur de Perseo uictoriam. Ii & hospitiū sibi dari, & senatum primo quoque tempore petebāt. Qua de re consulti à M. Iunio consule patres, censuerunt nullum hospitale ius in ijs seruandum. Senatusconsulto ijs cognito, extemplo consulē qui retulerat decretum, omnesq;, qui aderant, orabant, ut plus momenti ad gratiam uetera sua merita apud eos haberent, quàm noua & falsa crimina ad damnationem. Nec his contenti, sordida

ueste sumpta domos principum cum precibus et lachrymis adibant, orantes ut prius causam cognoscerent, quàm condemnarentur. Rhodij in hac causa M. Iuuentium Taluam prætorem, cuius inter ciues & peregrinos iurisdictio erat, aduersarium habebant, qui primo quoq; tempore rogationem promulgat, non antè consulto senatu, quod nefas erat, ut Rhodijs bellũ indiceretur. Huic actioni duo tribuni pl. aduersabantur. Certamine inde orto ea tota res in aduentum consulis intercessione tribunorum ple. differtur. Interim Rhodij in senatum puto (nam hac in parte multa desiderantur) introducti, causam suam in hanc sententiam egerunt.

Rhodiorum in senatu expostulatio cum purgatione. CXCI.

Peccauerimus ne, adhuc dubium est, pœnas, ignominias omnes iam patimur. Antea Carthaginẽsibus uictis, Philippo, Antiocho superatis, quũ Romam uenissemus ex publico hospitio in curiam gratulatum uobis, P.C. ex curia in Capitolium ad Deos uestros dona * ferentes, nunc ex sordido diuersorio uix mercede recepti, ac propè hostium more extra Vrbem manere iussi, in hoc squalore uenimus in curiam Romanam Rhodij, quos prouincijs nuper Lycia atq; Caria, quos præmijs atq; honoribus amplissimis donastis. Et Macedonas

Ferebamus magis legendum est.

donas Illyriosq; liberos esse, ut audimus, iubetis, quum seruierint antequam uobiscum bellarent, (nec cuiusquam fortunæ inuidemus, imò agnoscimus clemētiam populi Romani) Rhodios, qui nihil aliud quàm quieuerunt hoc bello, hostes ex socijs facturi estis? Certe quidem uos estis Romani, qui ideo felicia bella uestra esse, quia iusta sint, præ uobis fertis, nec tam exitu eorū, quod uincatis, quàm principijs, quod non sine causa suscipiatis, gloriamini. Messana in Sicilia oppugnata, Carthaginenses, Athenæ oppugnatæ, & Græcia in seruitutem petita, & adiutus Annibal pecunia auxilijs Philippum hostem fecerunt. Antiochus ipse ultro ab Aetolis hostibus uestris accersitus ex Asia classe in Græciam traiecit, Demetriade & Chalcide & saltu Thermopylarum occupato, de possessione imperij uos deijcere conatus. Cū Perseo socij uestri oppugnati, alij interfecti reguli, principesq; gentium aut populorum causa belli uobis fuere. Quē tandē titulū nostra calamitas habitura est, si perituri sumus? Nondū segrego ciuitatis causam à Polyarato & Dione ciuibus nostris, & ijs, quos ut traderemus uobis, adduximus. Si omnes Rhodij æque noxij essemus, quod nostrū in hoc bello crimē esset? Persei partibus fauimus, & quemadmodū Antiochi Philippiq; bello pro uobis aduersus reges, sic nunc

pro rege aduersus uos stetimus. Quemadmodũ soleamus socios iuuare, & quàm impigrè capessere bella, C. Liuiũ, L. Aemiliũ Regillũ interrogate, qui classibus uestris in Asia præfuerũt. Nunquã uestræ naues pugnauere sine nobis, nostra classe pugnauimus semel ad Samũ, iterũ in Pamphylia aduersus Annibalẽ imperatorẽ, quæ uictoria nobis eo gloriosior est, quod quũ ad Samũ magnã partẽ nauiũ aduersa pugna, & egregiã iuuentutẽ amisissemus, ne tãta quidẽ clade territi iterum ausi sumus regię classi ex Syria uenienti obuiã ire. Hæc nõ gloriãdi causa retuli (neq; enim ea nunc nostra est fortuna) sed ut admonerẽ quemadmodũ adiuuare socios solerẽt Rhodij. Præmia Philippo & Antiocho deuictis amplissima accepimus à uobis. Si quæ uestra nũc est fortuna Deûm benignitate, & uirtute uestra, ea Persei fuisset, & præmia petitũ ad uictorẽ regẽ uenissemus in Macedoniã, quid tandẽ diceremus? pecunia ne à nobis adiutũ, an frumẽto? auxilijs terrestribus, an naualibus? quod pręsidium tenuisse nos, ubi pugnasse aut sub illius ducibus, aut per nos ipsos? Si quæreret, ubi miles noster, ubi nauis intra pręsidia sua fuisset, quid responderemus? Causam forrasse diceremus apud uictorẽ, quemadmodũ apud uos dicimus. Hoc enim legatos utroq; de pace mittẽdo consecuti sumus, ut ne ab utra

que

que parte gratiã iniremus,ab altera etiã crimen & periculũ esset. Quanquã Perseus uerè obijceret,id quod uos nõ potestis P. C.nos principio belli misisse ad uos legatos,qui pollicerẽtur uobis quæ ad bellũ opus essent, naualibus armis, iuuẽtute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos fore. Ne præstaremus, per uos stetit,qui de quacũq; causa tũ aspernati nostra auxilia estis. Neq; fecimus igitur quicquã tanquã hostes,neq; bonorũ sociorũ defuimus officio, sed à uobis prohibiti præstare fuimus. Quid igitur? nihil ne factũ neq; dictũ est in ciuitate uestra,Rhodij,quod nolletis,quo merito offenderetur populus Rom. Hinc iã nõ quod factũ est defensurus sum,nõ adeo insanio, sed publicã causam à priuatorũ culpa segregaturus. Nulla enim est ciuitas quæ nõ & improbos ciues aliquando,& imperitã multitudinẽ semper habeat. Etiã apud uos fuisse audiui,qui assentando multitudini,grassarẽtur,& secessisse aliquãdo à uobis plebẽ, nec in potestate uestra Rẽp. fuisse. Si hoc in hac tã bene morata ciuitate accidere potuit,mirari quisquã potest aliquos fuisse apud nos qui regis amicitiam petentes, plebem nostram consilijs deprauarent? qui tamen nihil ultra ualuerunt,quàm ut in officio cessaremus. Non præteribo (id quod grauissimum est in hoc bello) crimen ciuitatis nostræ. Legatos eodem tempore & ad uos & ad Persea de

pace misimus, quod infelix consiliũ, furiosus, ut postea audiuimus, orator stultissimum fecit, quē sic locutũ cõstat, tanquã C. Popilius legatus Romanus, quē ad summouēdos à bello Antiochũ & Ptolemæũ reges misistis, loqueretur. Sed tamē ea siue superbia siue stultitia appellãda est, eadē quæ apud uos, & apud Persea fuit. Alij ciuitatũ quàm singulorũ hominum mores sunt, gentes quoq; aliæ iracundæ, aliæ audaces. quædã timidæ, in uinũ, in Venerē proniores aliæ sunt. Atheniensiũ populũ fama est celerem & supra uires audacem esse ad conandum, Lacedæmoniorum cunctatorem, & uix in ea quibus fidit, ingredientem. Non negauerim & totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia, et nostrorum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas ciuitates uideamur, & id ipsum nõ tam uiribus nostris, quàm uestris honoribus ac iudicijs. Satis quidem & tunc in præsentia castigata illa legatio erat, cum tam tristi responso uestro dimissa. Si tum parum ignominiæ pensum est, hæc certè tam miserabilis ac supplex legatio, etiam insolentioris, quàm illa fuit, legationis satis magnum piaculum esset. Superbiam uerborum præsertim iracundi oderunt, prudentes irriderent, utiq; si inferioris ad uersus superiorem est, capitali pœna nemo unquam dignam iudicauit. Id enimuero periculũ

erat

erat, ne Romanos Rhodij contemnerent, etiã Deos aliqui uerbis ferocioribus increpant, nec ob id quenquã fulmine ictũ audimus. Quid igitur superat quod purgemus, si nec factũ hostile ullũ nostrũ est, & uerba tumidiora legati, offensionẽ aurium, non perniciem ciuitatis meruerũt? Voluntatis nostræ tacitæ uelut litẽ æstimari uestris inter uos sermonibus audio, P. C. fauisse nos regi, & illum uincere maluisse, ideo bello persequendos esse credunt. Alij uestrûm, uoluisse quidem nos hoc, non tamen ob id bello persequendos esse, neque moribus, neque legibus ullius ciuitatis ita comparatum esse, ut si qui uellet inimicum perire, * ut si nihil fecerit quo id fiat, capitis damnetur. His qui nos pœna, non crimine liberant, gratiam quidem habemus, ipsi nobis hanc dicimus legem, si omnes uoluimus quod arguimur, (non distinguimus uoluntatem à facto) omnes plectamur. Si alij principum nostrorum uobis, alij regi fauerunt, non postulo ut propter nos qui partiũ uestrarum fuimus, regis fautores salui sint. Illud deprecor, ne nos propter eos pereamus. Nõ estis uos illis infestiores, quàm ciuitas ipsa, & hoc qui sciebãt, pleriq; eorũ aut profugerũt, aut mortẽ sibi consciuerũt, alij dãnati à nobis in potestate uestra erũt, P. C. Cęteri Rhodij sicut gratiã nullã meriti hoc bello, ita ne pœnam quidẽ

Etsi forte legendum magis uidetur.

ſumus. Priorũ noſtrorũ benefactorũ cumulus, hoc quod nũc ceſſatũ in officio eſt, expleat. Cũ tribus regibus geſſiſtis bella per hos annos, ne plus obſit nobis, quòd uno bello ceſſauimus, quàm quòd duob. bellis pro uobis pugnauimus. Philippũ, Antiochũ, Perſea, tanquã treis ſentẽtias ponite, duæ nos abſoluũt, una dubia eſt, ut grauior ſit. Illi de nobis ſi iudicarẽt, dãnati eſſemus, uos iudicate P. C. ſit Rhodus in terris, an funditus deleatur. Nõ enim de bello deliberatis P.C. quod inferre poteſtis, gerere non poteſtis, quũ nemo Rhodiorũ arma aduerſus uos laturus ſit. Si perſeuerabitis in ira, tempus à uobis petemus quo hãc funeſtã legationẽ domum referamus, omnia libera capita, quicquid Rhodiorũ uirorũ, fœminarũ eſt, cũ omni pecunia noſtra naues cõſcendemus, ac relictis penatibus publicis priuatiſq;, Romã ueniemus, & omni auro & argento, quicquid publici, quicquid priuati eſt, in comitio, in ueſtibulo curiæ ueſtræ cumulato, corpora noſtra coniugũq; ac liberorũ ueſtræ poteſtati permittemus, hic paſſuri quodcunq; patiendũ erit, procul ab oculis noſtris urbs noſtra diripiatur, incendatur. Hoſteis Rhodios eſſe Romani iudicare poſſunt, eſt tamẽ & noſtrũ aliquod de nobis iudicium, quod nunquam iudicauimus nos ueſtros hoſtes, nec quicquam hoſtile, etiamſi omnia patiemur, faciemus.

Pecca-

Peccauerimus ne.) Multa hoc loco desiderãtur. Purgatio facile intelligitur criminum cum quadã expostulatione, quod nec in senatum fuerint Rhodij intromißi, nec ijs publicè in Vrbe hospitium assignatum. Antea Carthaginensibus.) Exemplũ à pari per contrapositum. Et Macedonas.) A minore exemplum per contrapositum. Quemadmodum soleamus.) Diluit ab enumeratione meritorum suorum in Romanos, quòd arguebãtur Rhodij fauisse regi, et pro eo stetiße. Si quæ uestra.) A contrario illud ipsum diluit. Cõsecuti sumus.) hoc commodi retulimus. quòd uulgò dicimus, lucrati sumus. Quid lucraberis si facias hoc? pro, Quid hoc faciẽdo consecuturus aut assecuturus es, siue consequeris? quanquam Perseus.) Correctio potentißima. Neque fecimus.) Breuißimè colligit falsò argui Rhodios. Quid igitur.) Prosopopœia est per præsumptionem. Hinc iam.) Forte non hinc, sed Hic legendum est. Hic uide qua arte à ciuitate in priuatos crimen transferat, & à necessario ciuitatem defendat. Nulla enim est.) Huius totius loci uelut thesis est. Etiã apud uos.) Hoc uel potentißimum est, si à facto eorum apud quos agas causam, tuum defendas. Exemplum est à maiore. In officio cessaremus.) deessemus officio, omitteremus quod ex fide faciundum fuit. Non præ-

præteribo.) Hic uide quemadmodũ à moribus gentis defendat crimen, ſeparatis uniuerſorum & ciuitatis à ſingulorũ moribus. Alij ciuitatũ.) Ita legendũ eſſe puto. Aſcẽſiani codices pro Alij, Eã habẽt, quod uitioſum eſſe per ſe facile deprehẽditur. Theſin hãc mox hypotheſi cõfirmat. Velut litẽ æſtimari.) Lis tũ æſtimari dicitur, quũ deliberatur dãnari ne an abſolui debeat is cõtra quẽ facere uidetur, idq; ex facto. Ita ſumi quæ mox ſubijciũtur, demõſtrant. Alias lis æſtimatur, quũ petitur damnari aduerſus quẽ facit, ſubducta ratione eius quod aduerſarij refert aut factũ aut nõ factũ fuiſſe, quo nomine ille in iudiciũ uocatus eſt. Hic uolũtatis Rhodiorũ rationẽ, quæ conſilio atq; argumẽtis à Romanis oſtẽdebatur pœná ne digna eſſet, litis æſtimatione intelligit. Nã litis æſtimatio eſt & ubi uoluntate modò peccatum eſt, & ubi facto. Non crimine liberãt.) abſoluunt, fatẽtur nos pœna indignos, etiamſi peccatũ à nobis ſit. Si omnes uoluimus.) Volumus Aſcenſiani codices habẽt. Ratio ipſa ſenſus præteritũ magis efflagitat. Quod arguimur.) uoluiſſe. Non diſtinguimus.) non ſeparamus malitiam, ut loquimur, actus interioris ab actu exteriori, id eſt, æquè peccaſſe nos fatemur uoluntate ipſa ac facto, ob idq; non recuſamus pœnam facto ipſi debitam, ſi uoluimus quod arguimur uoluiſſe. Magna

gna pars Theologorum asserit hoc ipsum, æque deliquisse eum, qui uoluntate firma & stabili (uocãt efficacem) unius alicuius mortem cupiuit, atque is deliquit, qui re ipsa cædem eius fecit. Nam aiunt (ut uerbis eorum interim utar) actum exteriorem nõ addere bonitatem aut malitiam actui interiori.

Si alij principum.) Ab hoc loco reos ab innoxijs separari petũt. Cæteri Rhodij.) Totus hic locus propè ad finem deprecatione quadam cõstat, cuius maxime locus est enumeratio maiorum & plurium officiorum, quàm maleficiorum. Quidẽ sumus.) meriti scilicet. Si perseuerabitis.) Hac una sententia pœnitentiæ fidem faciunt.

Argumentum in CXCII.

Capto deuictoq; Perseo, legibusq; Macedonibus impositis, quum Romam L. Aemilius Paulus consul traijcere cum suis pararet, prædam ipsam in milites ita diuisit, ut quum in equitem CCCC. denarij, in peditem CC. diuisi essent, facile ipsi constaret eorum animos expletos non esse. In ea tamen militũ de se opinione Romã aduerso Tiberi subuehitur, quò paucos post dies Anicius et Octauius classe sua aduecti sunt. Tribus his ab senatu triũphus decretus erat, mandatũq; Q. Caßio prætori, ageret ex patrũ autoritate cũ tribunis pleb. ut rogationẽ

ad plebem promulgarent, ut quo die in Vrbem triumphantesueherentur, ijs imperium esset. Triumpho Anicio & Octauio decreto, nemo aduersabatur, cæterum Aemilius Paulus milites aduersarios habuit, quos Seruius Sulpitius Galba qui tribunus militũ secundæ legionis in Macedonia fuerat, per suæ legionis milites solicitando stimulauerat, ut frequentes ad suffragium conuenirent, prohibituri ne imperiosus dux rogatione ante dicta promulgata triumpharet. Iam uerò in Capitolio T. Sẽpronius tribunus plebis eam rogationem ad populum ferebat, dato etiam priuatis ut in re minime dubia loco dicendi, quum ille idem Seruius Galba repente processit, & à tribunis postulauit, ut in posterum diem differrent quæ contra eum triumphũ dicere uellet, quoniam eiusmodi essent, ut diei unius tẽpus desiderarent. Tribunus eo ipso die dicere, si quid uellet iubet. Ille itaq; inuitus rem aggreditur, diei eius reliquum (erat tum octauæ tempus) dicendo extrahit, quo tempore imperium nimisquàm seuerum Aemilij reprehendit, plus laboris prædicando, plusq; periculi quàm res desiderasset, ab eo iniunctum esse. præmia contrà & honores ita arctata, ut militia, si talibus ducibus succederet, & horridor asperiorq; bellantibus, eadem uictoribus inhonorata futura uideretur. His alijsq; uocibus, quæ

eodem

eodem pertinebant, ita militum animos concitauit, ut postero die frequentes Capitolium complerent. Iam uerò primæ tribus intrò uocatæ rogationem antiquabant, cum rei indignitate principes moti, magna frequentia in Capitolium concurrunt, indignum uociferantes L. Aemilium tanti belli uictorē debito fraudari triumpho, iam licentiæ militari duces tradi, dominos imperatoribus milites imponi. His alijsq; uocibus criminibusq; in Galbam congerendis, Capitolium tumultibus compleuerant, quū sedato paulisper tumultu, M. Seruilius, qui consul & magister equitum fuerat, à tribunis postulat ut deintegro eandem rem agerent, facerentq; sibi dicēdi potestatē. Tū tribuni uicti principum autoritatibus, eam rē deintegro agentes, pronunciant se tribus reuocaturos, si M. Seruilius alijq; priuati dixissent. Itaq; Seruilius pro Paulo ita loqui cœpit.

M. Seruilij pro L. Aemilio Paulo, ut ei triumphus contra militum maledicentiam decerneretur, oratio. CXCII.

QVantus imperator L. Aemilius fuerit, Quirites, si ex alia re nulla æstimari possit, uel hoc satis erat, quod quum tam seditiosos & leues milites, tam nobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad instigandā multitudinem inimicum in castris haberet, nullam in exercitu seditionem habuit. Eadem seueritas

imperij quam nunc oderunt, tunc eos continuit, itaq; antiqua disciplina habiti neq; fecerunt. Seruius quidem Galba, si in L. Paulo accusando tyrocinium ponere & documentum eloquentiæ dare uoluit, non triumphum impedire debuit, quem si nihil aliud, senatus iustũ esse iudicauerat, sed postero die quàm triumphatũ esset, priuatum eum uisurus, nomen deferre, et legibus interrogare, aut serius paulo quũ magistratum ipse cepisset, diem dicere, inimicũ ad populum accusare. Ita & precium rectè facti triumphum haberet L. Paulus pro egregiè bello gesto, & pœnam, si quid & uetere gloria sua & noua indignum fecisset. Sed uidelicet cui crimẽ nullum probrum dicere poterat, eius obtrectare laudes uoluit. Diem integrum hesterno die ad accusandum L. Paulum petijt, quatuor horas, quantum supererat diei, dicendo absumpsit. Quis unquam tam nocens reus fuit, cuius uitia uitæ tot horis expromi nõ possent? Quid interim obiecit, quod L. Paulus si causam dicat negatum uelit? Duas mihi aliquis cõciones parumper faciat, unam militum Macedonicorũ puram, alteram integrioris iudicij & à fauore & odio, uniuerso iudicante populo Rom. apud cõcionem togatã & urbanam prius res agatur. Quid apud Quirites Romano, Serui Galba, diceres? Illa enim tibi tota abscissa oratio esset, In statione seuerius & intentius institisti, uigiliæ
acerbius

acerbius & diligẽtius circuitæ ſunt, operis plus quàm antea feciſti,quũ ipſe imperator & exactor circũires.Eodẽ die & iter feciſti,et in aciem ex itinere duxiſti.Ne uictorem quidem acquieſcere paſſus eſt, ſtatim ad perſequendos hoſtes duxit.Quũ te præda partienda locupletem facere poſſet, pecuniam regiam translaturus in triũpho eſt,& in ærariũ laturus.Hęc ſicut ad militũ animos ſtimulandos aliquẽ aculeũ habent, qui parũ licentiæ, parũ auaritiæ ſuæ inſerui tũ cẽſent,ita apud populũ Rom.nihil ualuiſſent, qui ut uetera atq; audita à parẽtib.ſuis nõ repetat quæ ambitione imperatorũ clades acceptæ ſint,quæ ſeueritate imperij uictoriæ parte, proximo certè Punico bello,quid inter Marcũ Minutiũ magiſtrum equitum,& Quintum Fabiũ Maximum dictatorem interfuerit,meminit,itaque accuſatorem id ſcire potuiſſe, & ſuperuacaneam defenſionem Pauli fuiſſe.Tranſeatur ad alteram concionem,Nec Quirites uos,ſed milites uideor appellaturus,ſi nomen hoc ſaltẽ ruborem incutere, & uerecundiam aliquam imperatoris uiolandi afferre poſſit.Equidem ipſe aliter affectus animo ſum,qui apud exercitum mihi loqui uidear,quàm multoantè eram quũ ad plebem urbanam ſpectabat oratio.Quid etiã dicitis milites? Aliquis eſt Romę præter Perſea,qui triũphari de Macedonibus nolit, & eũ non iiſdem manibus diſcerpitis,quibus Mace-

donas uiciſtis? Vincere uos prohibuiſſet, ſi potuiſſet, qui triumphanteis Vrbem inire prohibet. Erratis milites, ſi triumphum, imperatoris tantum, & non militum quoque, & uniuerſi populi Romani eſſe decus cenſetis. Non unius hoc Pauli, multi etiam qui ab ſenatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triũpharunt. Nemo L. Paulo magis eripere decus perfecti belli Macedonici poteſt, quàm C. Luctatio primi Punici belli, quàm P. Cornelio ſecundi, quàm illis qui triumphauerunt. Nec L. Paulum minorem aut maiorem imperatorem triumphus faciet, militũ magis in hoc uniuerſique populi Romani fama agitur, primum ne inuidiæ & ingrati animi aduerſus clariſſimum quenque ciuem opinionem habeat, & imitari in hoc populum Athenienſem lacerantem inuidia principes ſuos uideatur, Satis peccatum in Camillo à maioribus ueſtris eſt, quem tamen ante receptam per eum à Gallis urbem uiolarunt, ſatis inſuper uobis in P. Africano. Literni domicilium & ſedem fuiſſe domitoris Africæ, Literni ſepulchrum oſtendi. Erubeſcamus, gloria ſi par illis uiris L. Paulus, iniuria exæquetur. Hæc igitur primum infamia deleatur, fœda apud alias gentes, damnoſa apud noſtros. Quis enim aut Africani aut Pauli ſimilis eſſe, ingrata & inimica bonis ciuitate, uelit? Si infamia nulla eſſet, & de gloria tantum ageretur,
qui

qui tandem triumphus non communem nominis Romani gloriam habet? Tot de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Pœnis, ipsorum tantum imperatorum, an populi Romani dicũtur? Quemadmodũ non de Pyrrho modo, nec de Annibale, sed de Epirotis Carthaginensibusq́ triũphi acti sunt, sic nõ M. Curius tantũ, nec P. Cornelius, sed Romani triũpharũt. Militũ quidẽ propria est causa, qui & ipsi laureati, et quisq; donis quibus donati sunt, insignes, triũphum nomine cient, suasq; & imperatoris laudes canentes per urbem incedunt. Siquando non deportati ex prouincia milites ad triumphum sint, fremunt, & tamen suum quoq; se absentes, quòd suis manibus parta uictoria sit, triumphare credunt. Si quis uos interroget milites, ad quam rem in Italiam deportati, & non statim cõfecta prouincia dimissi sitis, quid Romani frequentes sub signis ueneritis, quid moremini hic, & non diuersi domos quisq; abeatis uestras, quid aliud respõdeatis, quàm uos triumphanteis uideri uelle? Vos certe uictores conspici uelle debeatis. Triumphatum nuper de Philippo patre huius, et de Antiocho est, ambo regnabant quum de ijs triumphatũ est, de Perseo capto, in Vrbem cũ liberis adducto non triumphabitur? Quòd si in curru scandenteis Captiolium auratos purpuratosq́; ex inferiore loco L. Paulus in turba togatorum unus pri

uatus interroget, Luci Anici, Cn. Octaui, utrum uos digniores triumpho esse, an me censetis? Currum ei cessuri, & præ pudore uidentur insignia ipsi sua tradituri, & uos Gentium quàm Persea duci in triumphũ mauultis, Quirites, & de accessione potius belli, quàm de bello triumphari? Et legiones ex Illyrico laureatæ urbem inibunt, & nauales socij, Macedonicæ legiones suo abrogato, triumphos alienos spectabunt? Quid dein de tam opimæ prædæ, tam opulentæ uictoriæ spolijs fiet? Quonam abdentur illa tot milia armorum detracta corporibus hostium, an in Macedoniam remittentur? Quò signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictę, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri, tanta pecunia regia, an noctu tanquam furtiua in ærarium deportabuntur? Quid illud spectaculum maximum? nobilissimus opulẽtissimusq; rex captus ubi uictori populo ostẽditur? Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, pleriq; meminimus, Perseus rex captus, Philippus & Alexander filij regis, tanta nomina subtrahentur ciuitatis oculis? Ipsum L. Paulum bis consulem, domitorem Græciæ, omnium oculi conspicere Vrbem curru ingredientem auent. Ad hoc fecimus consulem, ut bellum per quadrienniũ ingenti etiam pudore nostrum tractũ, perficeret, cui sortito prouinciam, cui proficiscenti præsagientibus animis uictoriam

riam triumphumq́ destinauimus, ei uictori triumphum negaturi, & quidē non homines tantū, sed Deos etiam suo honore fraudaturi? Dijs quoq; enim, nō solū hominibus debetur. Vtrū maiores uestri omniū magnarū rerū & principia exorsi ab Dijs sunt, & finē eū statuerūt? Cōsul proficiscens, prætor ue paludatus cū lictoribus in prouinciā & ad bellū, uota in Capitolio nūcupat, uictor perpetrato eodē, in Capitolio triūphans ad eosdem Deos, quibus uota nuncupauit, merita dona populi Rom. traducit. Pars non minima triumphi est, uictimæ præcedentes, ut appareat Dijs grates agentē imperatorē ob Rēpub. bene gestā redire. Omneis illas uictimas quas traducendas in triumpho uindicauit, alias alio cædente mactate, illas quidem epulas senatus, quæ nec priuato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, utrum hominum uoluptatis causa, an Deorum hominumq́, autore Seruio Galba turbaturi estis? L. Pauli triumpho portę claudentur? Rex Macedonum Perseus cum liberis & turba alia captiuorū, spolia Macedonū circa flumē relinquentur? L. Paulus priuatus tanquā rure rediēs, à porta domū ibit? Et tu cēturio, miles, quid de imperatore Paulo senatus decreuit potius, quàm quid Seruius Galba fabuletur, audi, & hoc dicere me potius, quàm illum audi. Ille nihil præter quàm loqui, & ipsum maledicè ac malignè,

didicit, ego ter & uicies cum hoste per prouocationem pugnaui, ex omnibus cum quibus manum conserui, spolia retuli, insigne corpus honestis cicatricibus omnibus aduerso corpore exceptis habeo (Nudasse deinde se dicitur, & quo quæque bello uulnera accepta essent, retulisse. Quæ dum ostentat, adapertis forte quæ uelanda erant, tumor inguinum proximis risum mouit) Tum, hoc quoque quod uidetis, inquit, in equo dies noctesque persedendo habeo, nec magis me eius, quàm cicatricũ harum pudet pœnitetque, quando nunquam mihi impedimento ad Remp. bene gerendam domi militiæque fuit. Ego hoc ferro sæpe uexatum corpus uetus miles adolescentibus militibus ostendi, Galba nitens & integrum denudet. Reuocate, si uidetur tribuni, ad suffragium tribus; ego ad uos milites. * Pauca desunt.

Quantus imperator.) Suasio est in id petita, ut Aemilio triumphus decerneretur, præmissa refutatione eorum quæ ab aduersarijs obiecta erant. Exordium ducitur à laude Aemilij, et re causæ ipsi adiuncta. *Tam nobilem.) intelligit Seruium Galbam, qui Paulo priuatim erat inimicus.* *Eos continuit.) prohibuit, repreßit,* *Neque fecerunt.) concitauerunt seditionem.* *Tyrocinium ponere.) deponere, & exuere. Tyrocinium uerò latißimè patet, comprehendit enim omnia omnium artium initia,*

tia, quibus qui instituuntur, tyrones appellantur. Vereq; tyrocinium ponere dicuntur, qui percepta qualibet arte, iam ipsi per se excolere instituunt. Vulgò dicimus se amouere ex disciplina, Gallicè apprentissaige. Sicut tyronem appellamus itidem Gallicè apprentif. Exercere uerò tyrocinium, siue tyrocinio destinari, est sub magistro artē discere, quod Gallicè dicimus estre à lapprentißaige. Et documentum eloquentiæ.) Non dubitabo hic rursus quod sentiam dicere, dare documentum cuiuslibet artis, significare quod uulgò dicimus facere unum caput operis. Idq; Lutetiæ fieri uidemus ab opificibus, quando posito tyrocinio præfecti ac tanquam magistri artis existere uolunt. Dicitur & specimen artis dare. Nomen deferre.) Ita uerba ea infinita legenda esse puto, ut uerbum Debuit repetatur, non tertia persona. Est autem deferre nomen, ante iustam accusationem de crimine reo ipsi obiecto ad prætorem denunciare. Hac uelut accusatione peracta, primo quoq; die reus à prætore uocabatur, nisi uenißet in ius cum eo qui delaturus erat nomen. Quum uerò in ius uentum esset, dicebat, inquit, Pædianus, accusator reo, Aio te Siculos (exempli causa) spoliasse. Si tacuisset, lis ei æstimabatur ut uicto, si negasset, petebat à magistratu dies inquirendorum rei criminum, & tum insti-

tuebatur accusatio. In *sequentem actionem,* Recte, *inquit, quia* Lepidus *legibus tantum interrogatus, necdum cœperat accusari.* Ex *his plane intelligi puto, quid sit legibus interrogari.* Nam *quum reũ fieri, & legibus interrogari,* Pædiano *autore idem sit, reum autem fieri solennibus uerbis et forma supra subiectis dicat, fit ut eadem forma uelut legibus interrogetur.* In *statione seuerius.*) Enumeratio *est criminum quæ à* Galba *in* Aemilium *congesta fuerant.* Vos *prohibuisset.*) Seruius Galba.

Erratis *milites.*) Correctio *est qua suadet à publico commodo multis orationibus.* Nemo L. Paulo.) A' *simili & pari, & tanquam à senatusconsulto & iudicato.* Eripere *decus.*) *præripere gloriam, adimere, auferre.* Nec L. Paulum.) Tollit *ambitionem qua* L. Paulus *notari poterat.* Ab *æquo & iusto quodammodo suadet, quum si secus fiat, famam populi* Romani *periclitaturam asserit.* Si *infamia nulla.*) Pergit *suadere quod paulo antè susceperat, à commodis publicis, primũ totius ciuitatis, deinde militum, argumentis ductis à simili, & communi hominum opinione.* Triumphatum *nuper.*) A *minore.* Quòd *si in curru.*) Ab *iniquo.* Auratos *purpuratosq;.*) Aurati *dicuntur qui auro insignes sunt, quos uocamus indutos ueste ex panno aureo facta.* Ita *purpurati, qui*

pur-

purpura insignes. Et uos Gentium.)*erat rex Illyriorum, de quo capto Anicius & Octauius triumphaturi erant.* Ducuntur *argumenta à minori.*

Quid deinde.)multis orationibus à necessario suadet. Ipsum L. Paulum.) A *uotis.* Ad hoc fecimus.) Ab *iniquo & impio, aut si mauis, ab æquo et pio.* Nam *dissuadet ab iniquo & impio, suadet ab æquo et pio.* Prætor ue paludatus.) Alij *libri habent,* Paludatis *lictoribus.* Ego *reposui,* Paludatus *cum lictoribus, adductus uidelicet* Liuij *sententia, qui suprà retulit ingentem numerum populi nuncupatis uotis ipsum* L. *Aemilium paludatum extra* Vrbem *prosecutum esse.* Paludatus *dicitur armatus,* Festo *autore.*

Argumentum in CXCIII.

L. Aemilio Paulo *tandem triumphus decretus est, qui funere alterius eius liberorum miserabilis extitit.* Nam *quum quatuor ei liberi essent, duobus datis in adoptionem, alteros hæredes sibi retinuerat, quorum minor ferme duodecim annos natus quinto ante triumphum patris die deceßit.* Atque *eo funere fortuna non contenta, reliquum triduo post triumphum absumpsit.* Non *ita multo post actum triumphum data concione, ut de suis rebus gestis more cæterorum imperatorum differeret, ita retulit.*

Oratio

Oratio L. Aemilij Pauli de rebus per ipsum in Macedonia gestis, & fortuna.

CXCIII.

QVanquã & quàm feliciter Rempub. administrauerim, & quòd duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare uos Quirites arbitror, quum spectaculo uobis nunc triumphus meus, nunc funera liberorum meorum fuerint, tamẽ paucis, quęso, sinatis me cum publica felicitate comparare eo quo debeo animo priuatam meam fortunam. Profectus ex Italia, classem à Brũdusio sole orto solui, nona diei hora cũ omnibus meis nauibus Corcyrã tenui. Inde quinto die Delphis Apollini pro me exercitibusq́; & classibus lustra sacrificaui, à Delphis quinto die in castra perueni, ubi exercitu accepto, mutatis quibusdam quæ magna impedimenta uictorię erant, progressus, quia inexpugnabilia contrà hostiũ erant, neq; cogi pugnare poterat rex, inter pręsidia eius saltum ad petram euasi, & ad pugnam rege coacto, acie uici, Macedoniam in potestatẽ populi Rom. redegi, & quod bellum per quadriennium quatuor ante me consules ita gesserunt, ut semper successori traderent grauius, id ego quindecim diebus perfeci. Aliarum deinde sequundarum rerum uelut prouentus secutus, ciuitates omnes Macedoniæ se dediderunt; gaza regia in potestatem uenit, rex ipse tradentibus


bus propè ipsis Dijs in templo Samothracum cum liberis est captus. Mihi quoq; ipsi nimia iã fortuna mea uideri, eoq; suspecta esse, maris pericula timere cœpi in tanta pecunia regia in Italiam traijcienda, & uictore exercitu transportãdo. Postquam omnia sequundo nauium cursu in Italiam peruenerũt, neq; erat quod ultra precarer, illud optaui, ut quum ex summo retrouolui fortuna cõsuesset, mutationem eius domus mea potius quàm Resp. sentiret. Itaq; defunctã esse fortunam publicam mea tam insigni calamitate spero, quod triumphus meus uelut ad ludibrium casuum humanorum duobus funeribus liberorum meorũ est interpositus. Et quũ ego & Perseus nũc nobilia maximè sortis mortalium exempla spectemur, ille qui ante se captiuos captiuus ipse duci liberos uidit, incolumes tamen habet, ego qui de illo triumphaui, ab alterius funere filij ad currum ex Capitolio propè iam expirantem ueni, neq; ex tanta stirpe liberûm superest, qui L. Aemilij Pauli nomẽ ferat. Duos enim tãquam ex magna progenie liberorum in adoptionẽ datos Cornelia & Fabia gens habẽt, Pauli in domo præter se nemo superest. Sed hanc cladẽ domus meæ uestra felicitas, & sequunda fortuna publica consolatur.

Quanquam.) Ratio est comparandi fortunam aduersam cum felicitate, ubi præsertim felicitatem fortuna consequitur. Ab utroq; exordiũ ducitur.

In

In templo Samothracum.) eorum populorum Græciæ. In argumento priore multa dixi. *Eſt interpoſitus.*) Nam ut in argumento expoſui, minor quinq; diebus ante triumphum, maior triduo poſt eundẽ abſumptus eſt. *Captiuus ipſe.*) Perſeus enim in catenis cum alijs Macedonibus ante currum Pauli triumphantis ductus eſt. *In adoptionem datos.*) Adoptio et adoptatio idẽ ſignificant, aſſumptionem ſcilicet in alienam familiam, ſed per prætorem. ſin per populum fiat, arrogatio dicitur. De his uide Gellium.

LOCVTIONVM ANTIBARbararum Elenchus.



RERVM ET VERBORVM Index.

pro

Orare

In

Speci-

Tessera

EX OFFICINA
ROBERTI VVINTER,
BASILEAE, ANNO
MDXLV.